THESAURI ANECDOTORUM

TOMI II.

PARS III.

SUPPLEMENTUM
HISTORIÆ
MIRACULORUM
S. MATHIÆ
APOSTOLI.

Auctore Anonymo, Monacho Benedictino Cœnobii S. Mathiæ Treviris,

Erutum ex MS. Cod. Monasterii Mellicensis à R. D. Godefrido Depisch, Benedictino Mellicensi.

Supplementum

Historiæ Miraculorum S. Mathiæ Apostoli, auctore Anonymo Monacho Benedictino Trevirensi.

CAP. I.

Quidam de Sancti Mathiæ miraculis detrahens à dæmone obsidetur, & in præceps agitur.

INterea dum opinio beati Mathiæ multis signis cresceret, plurimi ex diversis orbis partibus fama virtutis ejus exciti veniebant,& curabantur ab infirmitatibus suis. Quadam igitur die, cùm religiosi viri vota ferentes ad ipsum locum propararent, alius cuneus inde digressus illis occurrit, cumque curiosiùs, ut assolet, de miraculis Apostoli, anne verè ita se haberent, ùt auditu perceperant, inquirerent, quidam malignæ mentis diabolo, ùt postea patuit, instigante: Quidnam, inquit, anilibus fabulis creditis? Nescitis Clericos, monachosque ad fingendum talia callere quæstûs gratia, hisque præstigiis marsupiis nostris, & apothecis laqueos ponere? Nimirum ut epulis vacent illi, jejunandum nobis erit. Ut illi superabundent, nos egebimus. Quot nobis idola proponunt, nunc Martini, nunc Nicolai reliquorumque, non saluti nostræ sed substantiæ inhiantes? Quasi verò hæc non sufficiant, novum nobis quodammodo de Mathia vinculum faciunt, ut patrium fundum penitus emungant. Redite itaque ad cor, videte, quia deliramenta sunt hæc: anilia magis, quam vera miracula. Hæc & alia multa, quæ brevitatis causâ omisi, eo dicente uxor ejus, ac filius, aliique sanioris consilii viri, rogabant eum, ne Sancto Apostolo detraheret, dicentes, divina hæc opera esse, non humana figmenta. Sed cùm infelix ille non solum tacere renueret, sed multo deteriora proferret; subito traditus hosti antiquo, cujus hæc interitu* loquebatur,

A. clamydem suam, ac tunicam ad pedes usque scidit, & caballo suo insiliens per montes, & valles, ac devia quæque se cum clamore valido proripuit. Quæsitus ergo per biduum est, nec inventus. Post diem tertium in palude quadam caballus quidem ejus apparuit, verùm ille penitus inveniri non potuit. Cujus exemplo multi correcti, & devotiores effecti sunt.

* ita Cod. f. leg. instinctu.

CAP. II.

Petulanti cuidam loquela adempta, & ad S. Mathiæ tumulum restituta.

B. EST autem IV. Kalendas Julii solennis consuetudo Gallorum, ut in unum diœcesi qualibet coadunata cum reliquiis & letaniis ad urbem Trevericam properent, ut communi lætitia beatorum Apostolorum Petri, & Pauli natalitia celebrent. Ab inventione Sancti tamen Mathiæ maximè hic mos inolevit, unde & ipse sæpius in cantu vulgari replicatur. Qua specie dum quidam laudes Sancti Mathiæ, quas vulgò Leisos vocant, canerent, unus eorum levitate vivendi actus, cœpit vocari

C. temere, & pro laude simillima laudi decantare, ut risum sui similibus excitaret: quod dum tota via faceret, & sæpius licèt admonitus nullo modo desisteret, ultio divina subsecuta est. Nam cœpit voces quasdam inintelligibiles immo strepitus inarticulatos subito pro verbis emittere, digno sane judicio: ut scilicet verba perderet, qui cachinum verbosum renueret temperare. Mutus itaque permansit ad correctionem cæterorum. Ductus est igitur ad patrocinia Sanctorum, ubi cum nullam salutem consequeretur, etiam me-

D. dicis oblatus est, quòd putabatur morbo magis aliquo, quàm divinitus obmutuisse. Sed quia medicina flagello divino non obviat, quidquid à Physicis adpositum est,

effectu

effectu caruit. Tunc demum deprehensa causa beato Mathiæ proximi ejus vota voverunt, & ad tumbam sacram illum trahentes, cùm oratum fuisset, sanum illum, & incolumem receperunt. Nam cùm à matre interrogaretur, si abire vellet? non prius, inquit, abscedam, quàm populus adstans beati Mathiæ virtutem noverit, & prædicet: quo facto sanus abivit.

CAP. III.

Invocata S. Mathia ope rusticus è tetro carcere in libertatem asseritur.

SEquenti anno cum quidam rusticus Mosellanus in vigilia Sancti Joannis Baptistæ naviculam ingressus cum uxore & filio ad limina beati Apostoli per flumen Mosellam venire decrevisset, in ipso itinere à quodam Tyranno captus, & catenatus in carcerem mittitur cæteris fuga elapsis. Cumque acerbis ab illo tormentis cruciaretur, mulier beatum Mathiam cottidie non muliebriter invocabat, refundens in eum vincula viri sui. Neque etiam id frustra fuit. Veniente etenim Solennitate Apostolorum, in qua ob reverentiam beati Petri captivi omnes absolvuntur; cùm ille non solùm non laxaretur, verùm multiplicatis & vinculis, & custodibus magis artaretur, manifesta beati Mathiæ virtus apparuit. Namque cùm ille Sanctum Apostolum cum multo gemitu & lachrimis sæpius invocaret, repente tota custodia in somnum dissolvitur, & reserata divinitus compede sensim in digitos levatus ille subtrahitur, ac nemine prohibente foras est progressus. Cumque in manus Dei, & beati Apostoli se commendâsset (intellexerat enim se exauditum) à summo vertice montis, in quo castellum eminebat, saltum in præceps dedit, & nihil omnino læsionis referens, ad sua cum gaudio repedavit.

CAP. IV.

Clericus S. Mathiæ patrocinio à dæmone, à quo pridem obsessus fuerat, liberatur.

IN civitate Argentina provinciæ Alsatiæ quidam Clericus genere non infimus antiquo hosti, nescio, quo judicio, traditus est. Qui cùm inaudita quædam moliretur, & diceret, multo labore captus, & A in vincula conjectus est. Oblatus igitur à suis Clero, & monachis, adjuratus*, quia non ipse, sed in ipso diabolus dixit, nihil se exorcismos eorum curare, sed neque reliquias, &, quod mentitus est, etiamsi Corpus Dominicum adponeretur. Cùm igitur multo tempore sine spe salutis degeret, subito fama miraculorum Sancti Mathiæ illò pervenit. Qua audita dæmon remissiùs agere cœpit dicens: priùs se velle cedere, quàm illò ad tormenta duceretur. Cœpit exinde Clericus meliùs habere, modestiùs se gerere, ita ut sine vinculis B circumquaque ambularet. Voverunt itaque affines ejus iter suum pariter cum ipso beato Mathiæ, cœperuntque, quæ itineri necessaria erant, præparare. Venerunt itaque, intraverunt Ecclesiam, obtulerunt, quod præ manibus erat, reique seriem tam ipsi, quam Clericis circumstantibus retulerunt, ignari futurorum. Nam cùm post recreationem corporum Clericus oraturus intrâsset, tanta subito violentia dæmonis correptus est; ut pristinæ vexationis & insaniæ modum excederet. Correptus igitur rursum, & catenatus est: C jacuitque diem illam, noctem quoque sequentem duxit insomnem. Nocte verò sequenti divinitus soporatus, tali visione consolationem invenit. Apparuit ei in visione beatus Maternus tertius Treverorum Archiepiscopus dicens: Quid agis? aut quid hic versaris? Et ille: Nosti Domine quàm miserabili dolore afficiar. Cui beatus Vir: age, inquit, peccata tua confessione dilue, cùm primùm mane illuxerit, ut, cùm venero, paratum te inveniam, & deducam. Post hæc dicta disparuit. Aurora demum illucescente vocato Sacerdote purissimam de peccatis suis confessionem fecit, moxque inter verba orationis exanimis corruit, ita ut quidam eum obiis- D se dicerent, alii finem rei expectandum censerent. Post sex igitur horas in pedes erigitur, & adstantes his verbis alloquitur: Beatus, inquit: Maternus fratres paratum me, ut volebat, inveniens, secum ad orientalem plagam deduxit, ubi bonorum gloriam, malorum tormenta mihi ostendit. Ubi cùm moraremur, antiquus hostis obviam procurrens, injustè se à suo habitaculo propelli asserebat; triduo toto me sibi à Mathia fuisse permissum, nunc autem ante placitum evulsum se abscedere: cùm interim Mathias veniens claritate vultus sui

* ita Cod.

sui ac reverentia illum abegit. Dixerat, & postquam multorum, quos nunquam viderat, mores & facta denotâsset, adhuc se vexandum prædixit, horamque suæ liberationis prænotavit. Quæ omnia eo, quo prædixerat, ordine completa sunt. Nam iterum vexatus, itemque perfectè absolutus, divinis ibidem misteriis participavit, & cum gaudio ad sua reversus est.

CAP. V.

Mulieri, membris ferè omnibus captæ, sanitas ad S. Mathiæ sepulchrum reddita.

MUlier quædam, dum æstivo tempore frugibus metendis exiret, die media repentina valetudine correpta deorsum ruit: cujus ita nervi obstupuerunt, ut pedes natibus concrevisse viderentur. Quid faceret misera, quò se verteret, nesciebat. Visum quoque est ei medicorum auxilia quærere, sed frustrata est. Anilia quoque multa seu dicta, sive antidota adhibuit; sed & hæc nequidquam. Transierat annus atque dimidius, quo temporis spatio nihil illa remedii salutaris invenit. Novissimè verò navi imposita per Rheni alveum Mosellæque Treverim pervenit, & ad tumbam Mathiæ Apostoli seabellis repens se contulit, atque post larga laehrymarum flumina subito obdormivit. Vidit itaque in somnis se esse curatam, & libero gressu ad propria reversam. Cùm ergo evigilâsset, eò devotius oravit, & cum multo nervorum crepitu in pedes constitit, & regressa est magnificans Deum.

CAP. VI.

Paralyticus in eodem loco sanatus.

QUidam vir pauper paralysi gravatus erat, ut neque pedum, neque manuum officiis uteretur: paupertatis insuper incommodis afficiebatur, duplici malo laborans ægritudinis simul & egestatis. Hic, ut audivit, multos ad urbem Trevericam spe salutis excurrere, eadem spe animatus, quomodo potuit lecto digressus, scabellisque usus grandi labore, ac mora tandem pervenit, atque ad Apostoli sepulchrum accedens breviter, sed intimè oravit. Oratione completa in pedes surrexit, ac populo spectante semel & iterum in testimonium indultæ sibi sanitatis se-

A. pulchrum circuire cœpit. Se igitur recepto gratulabundus abscessit.

CAP. VII.

S. Mathias votum, Sancto Simeoni dicatum, & destinatum, suscipere renuit.

ALius vir, cùm esset pastor ovium, beato Simeoni, qui Treveri in porta Martia, quæ & Nigra vocatur, requiescit, ovem de paupere ovili vovit. Cùm autem voti tempus impleretur, longè ab urbe positus, quia ovem lascivam deducere non poterat, dignum pretium pro illa ta-

B. xare coactus est. Quo accepto Treverim cum uxore devenit, & cùm ante monasterium Sancti Mathiæ transirent, visum est illis Apostolum non prætereundum esse sine munere. Sed nihil erat præ manibus præter votum Sancti Simeonis. Intraverunt itaque Ecclesiam, & cùm denarium thecæ imposuissent, foras resiliit. Existimantes igitur eum non plenè impositum, iterum injecerunt; sed vehementiori quàm pridem, assultu resilivit. Quem cùm tertiò jactâssent, similem rei exitum sortiti sunt. Noluit etenim Mathias vo-

C. tum alterius sibi inferri. Abierunt ergo tristes non intelligentes, quid res portenderet.

CAP. VIII.

Duo viri è naufragio S. Mathiæ auxilio erepti.

DUo viri de vico, Logostein nominato, Rhenum transituri, naviculam piscatoriam ingressi sunt, quos alii duo tam habitu, quàm facie ignoti rogaverunt; ut eos secum assumerent, quod & fecerunt. Mox igitur ut à portu paulo longius abierunt, tanta est exorta tempestas, quantam

D. nullus hominum illo in loco expertum se meminit. Unde & scaphâ dissolutâ peregrini illi, quò devenerint, incertum est. Dubiè namque inde accepimus, an homines, an dæmones fuerint. Duo autem viri alii cùm inter undarum volumina versarentur, beati Mathiæ nomen de sub undis invocantes, meritis ipsius à terra horrenda morte liberati sunt. Nam passus ferme quingentos sub aquis salvi delati, cuidam insulæ applicuerunt, & salicibus inhærentes, navigio domum relati

relati sunt, gratias agentes Deo. A

CAP. IX.

Manûs officium à muliere ad Apostoli tumbam receptum.

DOmus viduæ cujusdam fortè à maligno quodam prædone igni succensa est. Quo repentino casu muliercula turbata, dum reculis suis eripiendis instaret, parvulum suum inter flammas oblita est. Sed post paululùm ad se reversa concita cucurrit, puerum eripuit. Sed cum exiret, ab illo domûs incensore tam validè impulsa est; ut digiti manus introrsum B reflexi, omnino inutiles redderentur. Quare dolore simul & egestate compulsa, cùm dolori remedium quæreret,nec inveniret, ad tumbam Apostoli cum aliis religiosis accessit,cùmque orationi ibidem instaret, omni populo spectante officium manûs, quod diu perdiderat, recepit.

CAP. X.

Invocato S. Mathiæ nomine pauper opibus, & viribus validum, secum armis congressum, occidit.

ERat quidam malignæ mentis sicut divitiis, sic abundans & vitiis, qui cædibus, & rapinis in vicinos suos grassatus vio- C lenter omnia depopulabatur. Quidam autem illorum, quos injustè afflixerat, domum illius igni succendit, & aufugit. At ille sicut erat mentis perversæ, in quemdam pauperem crimen injecit, & pro tribunali judici illum detulit. Quod cùm per advocatum suum pauper fecisse se negaret, ad hoc tandem causa devenit; ut duello determinaretur. Hoc tyrannus ille, sicut erat vir sanguinis avidissimus, læto suscepit animo; pauper autem se suaque dominio illius submittere volebat,ut quiesceret; sed ille renuit. Die igitur dicta D venerunt ambo, locumque duelli intrantes, sunt congressi pari certamine, viribus impares. Attrivit etenim tyrannus pauperem pene usque ad ditionem*, donec compulsus à suis, nomen Sancti Mathiæ invocaret, pauper divitem uno ictu dejiceret, & occideret: & salvatus est sanguis innoxius meritis beati Mathiæ.

*f. leg. deditionem.

CAP. XI.

Salus viro, toto corpore tabescenti, restituta.

VIr quidam tanta ariditate contabuit; ut ritu pecudum repens manibus graderetur. Cumque vehementissimè morbo tali torqueretur,ab uxore cœpit divortium quærere: quod illa omnino renuit, & ei fideliter adhæsit. Emensis ergo annis tribus beato Mathiæ votum vovit, & paulò meliùs habens quibusdam volentibus eum illò devehere, non assensit; sed ipse modo, quo potuit, venit, & optatæ salutis remedia percepit.

CAP. XII.

Rustici filia, omnium membrorum usu destituta, S. Mathiæ suffragio sanata.

ITem filia cujusdam rustici, cùm in annis nubilibus viro esset tradita, post nuptias & læta nuptialium dierum convivia ac gesta toto corpore contracta est, ita ut membris pariter collapsis nihil aliud quàm truncus inutilis videretur; quin etiam chaos illud membrorum horrendo ac tremulo motu agitabatur, nullumque vitæ vestigium in illa, nisi in solo pectore deprehendi poterat. Hujus parentes, cùm audissent mirabilia, quæ Dominus per beatum Mathiam operabatur, votum voverunt, & filiam suam vehiculo impositam Treverim perduxerunt. Quæ cùm cordis intentione oraret, quia ore non poterat, quod devotè fideliterque petiit, adsecuta est, & quæ alieno adminiculo advecta est, pedibus suis reversa est.

CAP. XIII.

Senex Schiasi, & Gangræna laborans ad sepulchrum Apostoli persanatus.

SEnex quidam cum ætatis incommodo laboraret, tali etiam infirmitate contabuit. Nam, sciasine, an cancri ulcere,dubium, ita crus ejus pervasum est; ut ossa pelle,& carnibus nudata magnum intuentibus horrorem incuterent. Unde tripliei malo morbi, famis, & senectutis plurimum affectus XV. annos sine spe salutis exegit. Interim tamen plurima medicamenta adposuit, Judæorum quoque auxilia, ac vetularum carmina; sed nihil ex his remedii salutaris accepit. Tandem audito rumore miraculorum Apostoli votum ei vovit, & eodem momento salus, licèt non plena, cruri ejus accessit. Concluso etenim vulnere cutis ac caro recrevit: non tamen omnino dolor cessavit. Surrexit igitur,

igitur, & Treverim venit, & procumbens ad sepulchrum Apostoli perfectam accepit sanitatem.

CAP. XIV.

Puer, voto à parentibus S. Mathiæ nuncupato, fœda totius corporis formâ liberatus.

PUer quidam, dum puerilibus excessibus se exerceret, repentino morbo tactus toto corpore contractus est. Præterea brachium ejus dextrum adeò intumuit; ut mensuram corporis excederet. Cujus parentes ubi votum suum beato Mathiæ voverunt, statim brachium ejus detumuit, & specie corporis recepta puer sanus, & incolumis evasit.

CAP. XV.

Puer undis submersus, & mortuus ad vitam revocatus.

ITem puerulus matrem secuturus præeuntem de ponte Attilæ in aquas subjectas cecidit, & aquis furentibus interceptus penitus extinctus est. Mater autem ejus causâ operis cùm longius hinc abesset, quid puero acciderit, ignorabat. Cùm ergo peracto negotio rediret, invenit filium suum in ulteriori fluminis ripa mortuum ejectum. Tum verò dolore nimio emortua corruit, & magnis ululatibus complevit. Sed post modicum in se reversa, cùm omni humano auxilio esset destituta, beatum Mathiam cum multa cordis contritione invocavit, & calore fidei succensa puerum sibi reddi postulavit. Nec in vanum. Mox enim ut sanctum nomen insonuit, redivivus puer matri assurexit, & ultro de somno evigilans, cum matre, nihil habens læsionis, salvus abiit, & longo post tempore vixit.

CAP. XVI.

Aquis suffocatus S. Mathiæ ope ad vitam reducitur.

JUxta fornicem Attilæ triumphalem, qui duo milia passuum à Treverensi civitate distat ad meridiem, quidam adolescens, dum media æstate Mosellam transvadare vellet, repente corruit: & cùm assurgere vellet, repente aquarum impetu præfocatus est, cumque multitudo maxima con-

A. curreret, navigium reperiri non poterat, quo eum extraherent. Unde multo dolore contriti ripas amnis multis clamoribus implebant. Vespere autem facto piscatoribus regressis ad ripam delatus est. Quem cum populus eadem hora sepelire vellet, ne calore resolutum cadaver fœtorem ac pestem inferret, mater abnuit, ei tota nocte incubans, ut aut dolori suo multis lachrymis satisfaceret, aut fortè, beato Mathia lachrymas ejus miserante, filium reciperet. Illatus ergo domui tota nocte declamatus jacuit, & matre sæpius Apostolum invocante post horas XXIV.
B. adolescens resumpto spiritu resedit: & se ipse, mater verò ipsum, recepit salvum & incolumem, &, quid circa se ageretur, mirantem.

CAP. XVII.

Miles è vinculis, & carcere liberatus.

MIles quidam, Treverensi teritorio genitus, non infimi generis, sed pauperis erat substantiæ. Quapropter pudore actus, natale solum reliquit, peregrinaturus ubicunque se obtulisset opportunitas. Devenit ergo Coloniam Agripinam, ubi, cùm ei & status & leges urbis placerent, subsistere elegit. Ascivit itaque sibi
C. potentissimos quosque in dominos, ut cùm hominium illis fecisset, eorum auxilio & consilio tutior degeret. Cumque multo tempore prosperè ageret, nullaque agitaretur molestia, causa quadam obveniente unus dominorum ejus dissimulato odio domui suæ accivit illum, correptumque in vincula conjecit. Novem denique dies in quadam arce jacuit, ubi nihil auxilii, nihil humanæ invenit consolationis. Tunc demum divino nutu beatum invocare cœpit Mathiam, & ut sibi in periculo mortis posito, adesse vellet, crebris exoravit gemitibus. Post lachrymas igitur ob-
D. dormivit, viditque se quasi solutum ac liberum incedere. Quod somnium prima, & secunda nocte vidit, & ea visione animus ejus vehementer arrectus est. Tertia verò nocte non jam per somnium, sed certissimè solutus est uno tantum pede. Hac spe lætatus catenam compedis manu arripuit; quomodo tamen vel quali arte exiret, non invenit; nam paries firmissimus erat, ipse verò manu nihil nisi minimum cutellum tenebat, qui etiam ipsis custodibus

ſtodibus nullam faceret ſuſpicionem. Eo cutello celerrimè per invocationem Sancti Mathiæ aditum invenit, & fugiens nullo ſentiente per contigua tecta ſex domorum deſiliit, & liber abſceſſit.

CAP. XVIII.

Civis Colonienſis è periculo mortis, in corpore & anima perferendæ vindicatus.

Burgenſis etenim ejuſdem civitatis ſolemnia munera deferens ad tumbam Sancti Mathiæ, adventûs ſui cauſam hoc modo aperuit. Ego, inquit, infirmabar graviſſimè, morboque ad vitalia tranſeunte morti proximus eram, malam mihi conſcientiam præ oculis habens. Stabant igitur mei facie miſerabili, ſciſſis veſtibus, geniſque flentes, & mugientes, & finem vitæ meæ præſtolantes. Interea quidam veniens inopinus ab urbe Treverica retulit meis, quanta Dominus mirabilia per beatum Mathiam operaretur, conſuluitque eis; ut vice mei vota illi voverent. Quod cùm illi ſumma cum devotione feciſſent, ego eadem hora caput erigens tam ſubito convalui, ut ſtatim omnia negotia domûs meæ diſpoſuerim. Memor itaque ſponſionis meæ adveni, vota preceſque ei reponens, qui me à duplici morte animæ & corporis eripuit.

CAP. XIX.

De quodam puero, de morte ad vitam revocato.

Puer quidam, viduæ filius, morbo tactus ad extrema perductus eſt. Cumque dies XV. ægrotâſſet, extinctus eſt. Compoſitus ergo feretro, media locatur domo, ubi more Gallorum vigiliis ac ludis ſolemniter frequentatur. Ludebant alii; ſed mater flebat uberrimè, noctemque inſomnem agens nullum dolori remedium, aut finem admittebat. Unicum tamen ſolatium reputabat, ut ab invocatione nominis Sancti Apoſtoli non ceſſaret, quouſque unicum filium vivum meritis illius reciperet. Illuceſcente jam aurora fide exardenti ſe credens exauditam, ad feretrum accedit, faciem pueri detegit, quid ſua valuerit oratio volens experiri: cùm repente puer oſcitans aſpicientem ſe matrem reſpexit, plauſu puerili ei adſurrexit. Quod

A. cùm viderent adſtantes, repentino timore correpti, huc illuc diffugerunt, quibuſdam lapſis, quibuſdam in anguſtiis poſticii attritis. Mulier autem fidelis puerum gratulabunda levavit, & quid ſibi beneficii Mathias contulerit, expoſuit univerſis.

CAP. XX.

De Paralytico, cui lumen oculorum, & vires corporis reſtituta ſunt.

Quinquagenarius homo quidam Pulchri montis accola, quod eſt caſtellum Arduennæ Sylvæ, paralyſin incurrit, cujus incommodis adeò percuſſus eſt, ut
B. diu membrorum funditus careret officio. Præterea idem humor rapidus illi oculorum lumen extinxit, itaque per omnia inutilis fuit. Sexto tamen menſe cæcitatis ſuæ unius oculi lumen divina miſeratione recepit. Quia igitur omnino ſui impos erat, quidam ingenuus vir, ejuſdem caſtelli municeps, intuitu Dei ſuæ domui alendum ſuſcepit. Qua domo multos annos degens. cùm ſe nihil melius haberet, deſperaverat omnino. Sed perſuaſus ab amicis, ut ſpem in Domino ponens, beatum Mathiam adiret calore fidei ſuccenſus, fulcro baculorum ſuperincubuit, atque
C. per devexa montium, per concava vallium periclitatus demum ad urbem Trevericam perlatus eſt. Cumque ad memoriam Apoſtoli perorâſſet, ſubito ſurrexit; & cùm adhuc laxante gradu ſua munuſcula obtuliſſet, perfecta ſanitate & oculi & corporis inde receſſit.

CAP. XXI.

Ex energumena Spiritus nequam ejectus.

Suburbano rure, quod Treveri adjacet Aquilonem verſus circa portam Mar-
D. tiam, ruſtica quædam dæmoni tradita eſt vexanda. Quam idem antiquus hoſtis adeò vexavit; ut multorum labore vix coërcita in vinculis teneretur, & ſicut vulgus novitatis ſemper eſt cupidum, curioſitate adducti plurimi convenerunt, quibus illa graviſſimas ac pudendas notas inuſſit. Circa veſperam ſana loqui, nihilque veſanum agere, maritoque ſuo blandiri, ut ſe abſolveret. Credidit ille, & eam abſolvit. Illa furore dæmoniaco agitata, cum ululato maximo ſe proripuit, & in vicinum domui

mui ſuæ puteum præcipitavit. Hanc è A. veſtigio vir inſecutus, quòd veſper erat, invenire non potuit; ſed mane facto ſuis ululatibus prodita immiſſis funibus ſummo labore extrahitur. Cumque ſine vinculis domi ſederet (fatigata enim caſu putabatur) ſubitò prorupit, arreptoque dolabro puerum ſuum in cunis jacentem effuſo cerebro peremit. Virum etiam* ſuum eodem impetu adpetiit; ſed ejus virtute repreſſa, & in compedes conjecta eſt. Poſtremò per Eccleſias Sanctorum tracta, noviſſimè beato Mathiæ prolata eſt inimico multùm renuente. Quo in loco, cùm pro illa oratum fuiſſet, ſpiritus malignus eſt ejectus.

* Cod. etenim.

CAP. XXII.

De ruſtico, qui cæcitate, paralyſi, & peſte liberatus fuit.

RUſticus, qui per annos XXX. jugi cæcitate laboraverat, paralyſi, & peſte contabuit, perſuaſus ab amicis, uxore greſſum regente, ad ſalvificum ſepulchrum pervenit, ubi perfectam adſecutus eſt ſanitatem, & pudore actus latenter abiit nolens aliquem factum in ſe miraculum ſcire, non tamen ut gloriæ Sancti invideret, ſed ut vicinis oſtentui non eſſet. Poſtmodum tamen ignaviæ ſuæ pœnituit, & rediens in Eccleſiam, coram omnibus adſtantibus, quid in ſe geſtum eſſet, aperuit.

CAP. XXIII.

De puero, ex aquarum verticibus erepto, & ſanitati reddito.

APud Fuldam, quæ eſt Franciæ Tevtonicæ, mulier quædam pontem fluminis tranſitura, onere quodam prægravata, cùm puerum ferre non poſſet, viam illi præmonſtrabat timens illud, quod & accidit: Nam ſecuturus eam puer in aquam de ponte cecidit, & proximi molendini rota exceptus & circumvolutus ad mortem uſque contritus eſt. Stabat autem mater ejus videns illum ſic rotari, & rejecto onere auxilio illi venire volebat, nec poterat. Rejectus tandem lachrymis ejus puer exequitur, domumque defertur. Cumque per triduum jam deficeret, mulier gemebunda nomen Apoſtoli invocavit, & ſtatim puer ad nomen celebre adſurgens, panis offulas petiit, & comedit, ac perfectè comedit.

CAP. XXIV.

De Puerulo ex prunis ſine corporis læſione ſervato.

MUlier quædam, dum furno adſtaret ſtudioſa panibus coquendis, parvulus ejus circa ipſam girans, in prunas cecidit, & vehementiſſimè aduſtus, dum palpitaret morti proximus ad nomen Apoſtolicum ita convaluit; ut nec ſignum aduſtionis ullum in eo diſcerni poſſet.

CAP. XXV.

Conjugem viri inſidiis morti deſtinatam S. Mathias defendit.

B. COlonienſis quidam maligno ſpiritu tactus, uxorem ſuam perverſo zelo inſecutus, cogitare cœpit, quomodo illam perderet. Adſcitis igitur in tantum ſcelus duobus lenonibus ſpopondit illis XV ſolidos ſe daturum, ſi illam occiderent. Qui amore pecuniæ adſenſerunt. Exinde quærebat opportunitatem, quomodo malitiam ſuam expleret. Unâ itaque dierum, cùm illi aſſideret, talibus eam verbis alloquitur: videsne, inquit, chariſſima mihi, quanta exultatione, quantoque tripudio miraculis beati Mathiæ totus orbis occurrat? Eamus igitur & nos ejus gratiæ C. fieri participes: ut quos peccata premunt, ligantque graviſſima ſcelera, ejus abſolvat indulgentia. Hæc & his ſimilia multa cùm diceret, credulum cor mulieris, ad quod volebat, illexit. Aſſumptis igitur duobus illis hiſtrionibus Treverim verſus ire cœperunt. Cùm autem ſylvæ cuidam adproximarent, vir diverſa fingens negotia domum regreditur dicens, primo mane ſe rediturum. Interim hiſtriones illi mulierem nihil mali ſuſpicantem, per inviа rapiunt, & ei laqueum inponunt. At illa mortem ſibi imminere videns, Mathi- D. am, quo potuit, clamore invocare cœpit, dicens, illius causâ ſe talia pati, cujus opinione evocata ſit. Vix verba compleverat, & ecce divinitus tres equites veniunt, & correptis illis ſanguinariis mulierem eripiunt, mortemque ipſam in auctorem mortis refundunt.

CAP. XXVI.

De equis vi abductis, & reſtitutis.

TAlium ſignorum miraculo evocati plurimi comprovincialium pari vo-

to atque consensu Mathiam petere decreverunt. Cùm verò venissent in pratum quoddam vernans amœno gramine, ibidem pernoctare decreverunt. Oppressis illis somno per largam potationem,& confabulationem latrones sylvæ proximæ tres eis equos furto abstulerunt, quos cùm ad aquam modicam, ut transirent, perduxissent, calcaribus, flagellis, & fustibus latera eorum tundentes, nullo modo eos movere potuerunt. Tota in his nocte consumpta cùm nihil omnino proficerent, tandem virtute divina id fieri intelligentes, regiratis equis tanta velocitate reversi sunt; ut volare eos putares. Interim muliercu- B. læ (senserant enim equos amissos) multa in Mathiam minus benedicta congesserant, quòd eos in suo itinere positos non protexisset. Cùm ecce illi veniunt, equos reducunt, quid eis accidisset, referentes. Receptis igitur equis iter suum peregerunt.

CAP. XXVII.

Asellus repertus.

PAri forte quidam institor asellum mercigerum suum cum clitellis suis perdiderat, & eadem lege recepit.

CAP. XXVIII.

Rusticus, cui ruens arbor lacertum contriverat, repentè sanatus.

RUsticus quidam, cùm servum suum ad ligna succidenda præmisisset, è vestigio ipse subsecutus, dum arbor ipsa corruit, lacertum ejus in duas partes divisit, quo dolore ad mortem pene deductus est. Sed cum sui votum Apostolo vovissent, continuo per merita ejus perfectam salutem adsequitur.

CAP. XXIX.

Puer mutus & claudus, loquelam, & gressum adeptus.

SImiliter muliercula quædam quinquennem puerum ad tumbam sanctam detulit, qui & incessu, & loquela penitus mutilatus erat. Ubi quatuor dies remorata, cùm nullam remedii opem sensisset, irata recessit. Et cùm medio die puerum in ulnis ferens nimio æstu ac labore fatisceret, ac pene deficeret, puerum deposuit, & cum maxima cordis contritione

A. beatum Mathiam invocavit. Moxque puer & loquelam, & gressum adeptus, sanus & incolumis surrexit.

CAP. XXX.

Puer mortuus vitæ redditus.

QUin etiam vir de Bunna, quæ & Verona, puerum mortuum, atque Libitina compositum, dum votum suum simul cum uxore beato Mathiæ vovisset, ordine alibi descripto, recepisse se gavisus est.

CAP. XXXI.

Mutæ loquela; alii mulieri usus pedum redditus.

EPternaco, qui regalis locus est, mulier muta veniens, linguæ figuram detulit Apostolo, & linguam recepit. Alia verò, quæ repens scabellis illuc venerat, eo, quod pedes ejus concrevissent, curata est perfectè.

CAP. XXXII.

Paralyticus sanatus. Puer, & puella cæci visum recipiunt.

PAralyticus juvenis hac peste serpentina
C. tabescens à patre & matre impetravit, ut ad Apostolicam tumbam deferri debuisset. Quo cùm sancto die Pentecostes venisset, statim tremor omnis aufugit. Vespere facto ad hospitium divertens, cùm post multas lachrymas obdormisset, perfectè curatus est. Et cum populus in laudem Dei & beati Mathiæ devotus convenisset, subito puer & puella cæcos prius oculos indepti sunt.

CAP. XXXIII.

Puer mortuus ad vitam resuscitatus.

D. PAschali letania puer unus in castello, quod Ara Lunæ dicitur, opportunitatem nactus, quod parentes ejus absentes erant, puerili discursu cum coævulis suis diem transigens in fossatum ejus castri cecidit, & aquis præfocatus est. Quem parentes rumore tracti domum referunt, sepelire volentes. Sed fortè Ecclesia ab Archidiacono sigillo damnata erat. Hac sepulturæ difficultate adacti beato Mathiæ votum voverunt, & eo incolumi recepto magnificas Deo gratias egerunt.

A.

CAP. XXXIV.

De puella, miro modo integræ sanitati reddita.

FIlia mulieris unius semel, & secundò morbo correpta, tantâ postremò diriguit ariditate, ut membris concretis, & collapsis nihil nisi truncus inutilis videretur. Cujus dolore mater affecta medicinam, & anilia adhibuit carmina. Sed nihil salutis adsecuta est. Veniens igitur hebdomadâ remotâ juxta Apostolum, cùm non impetrâsset salutem, domum reverti cogitavit. Et surgens, ut sanctorum B. limina circuiret, puellæ præcepit, ut ad sepulchrum Apostoli se volveret. Sed illa præ dolore domi remansit, ubi & somno gravata vidit se quasi in Ecclesia Apostoli esse, & Reginam quandam de terra occidentali procedentem ad se venire, & an domi esset Mathias? interrogare: quæ respondit eum adesse. Processit Regina ad sarcophagum, de quo prodiit vir habitu, ac facie insignis, qui cum Regina ad turrim usque progrediens quasi colloquium cum illa babuit, & reversus ad patientem, quidnam vellet, inquisivit. Illa salutem se velle C. respondit. At ille, salutem, inquit, quarta die obtinebis. Dixit, & receptus tumulo somnium illius, ac somnum pari fine conclusit. Puella matri revertenti omnia narrat, & secundùm quod viderat, quarta die sanissima evasit.

CAP. XXXV.

Digitus, vires, lumen oculorum carentibus restituta.

QUædam anicula ibidem (post) unum digitum manûs putrescentem ac di- D. lapsum, alium recepit. Paralyticus alius corpus; puellula annum unum & semis cæca oculos.

CAP. XXXVI.

Examen apum ad Apostoli tumbam delatum.

RUstici cùm ad Sanctum Mathiam peregrinarentur, invenerunt examen apum per sylvam vagans: & oratione ad Apostolum facta, ut sibi illud deferri vellet, acceptum per sex millia passuum, ita ut nulla omnino avolaret, cum lætissimo clamore detulerunt, & tumbæ Apostolicæ imposuerunt.

CAP. XXXVII.

De Contracto, & podagrico sanato.

COntractus quidam ad sanctum Ægidium salutis gratia repens, & non proficiens ad Apostolum venit, ac salutem perfectam obtinuit. Nec minus puella podagrica, quæ nives & glaciem sine sensu frigoris calcabat, pleniter sanata est.

CAP. XXXVIII.

Dolores post partum puerperæ sedati.

INgenua quædam, & genere & nomine notissima post partum nimio dolore resoluta est, ita, ut neque ad tempus loqui posset: quæ postmodum cùm se hebdomade majoris VI. feria ad Apostolum deferri obtinuisset, diem illam & noctem ibi frustra consumens Paschali vespera sanissima surrexit.

CAP. XXXIX.

Vinculis constricti à S. Mathia soluti.

MErcator quidam Treveri oriundus, cùm ad nundinas solemnes profectus, regredi vellet, à latronibus captus, omnibus, quæ habebat, profligatis, in sylvam ductus, & ad arborem ligatus est: ubi cùm nudus staret, & aculeis muscarum, & æstu deficeret invocato nomine Sancti Mathiæ mirabiliter solutus, ac liberatus, salvus rediit ad propria. Eodem modo captus miles à ministerialibus unius comitis, & catenatus beati Mathiæ meritis salvus evasit.

CAP. XL.

Eadem libertas militi concessa.

MUniceps quidam Alti Castelli duos armigeros alterius militis captos in vincula conjecit, quos beatus Apostolus à vinculis absolutos illæsos abire fecit, custodibus solita virtute soporatis.

CAP. XLI.

Morbus ab infirmo depulsus.

TRajecto quidam oriundus, ubi beatus Servatius corpore pausat, nescio, quo infortunio media die coram percussus est. Cùm igitur nullatenus ire valeret, suadentibus amicis equo vectus Treverim nutabundus advenit. Ubi cum ad Apostolum preces

preces & munera obtulisset, morbo, quem inpatientissimè ùt Brabatinus tulerat, exemptus est.

CAP. XLII.

Infans, qui in puteum deciderat, incolumis servatus.

PLatea Treveri quædam Carnificum est, unde & nomen obtinuit, in qua & ego parvulus cum senatore quodam nobili mansi, ubi secus nos ancillula infantem, ut solet, in ulnis refrigerandi gratia accepit. Cumque puteo aquæ quadraginta ferme cubitos profundo incubuisset, puer elapsus introrsum cecidit. Quo viso illa flumen Mosellæ adiit, ut se mergeret. Nec enim domum reverti audebat. Cui nutu Dei quidam occurrens, quò tenderet, inquisivit. Sed illa non respondente ex pallore vultus malum deprehendit, & blanditiis illam deliniens, quid causæ esset, accepit, reducensque illam in puteum multo labore descendit, & puerum siccum (nam virtute quadam super aquam ferebatur) eripuit, parentibusque, qui cum populi turba accurrerant, nulla vestigia casus, aut humoris referentem obtulit. Erat autem annum natus dimidium, & cui loqui natura negabat, Mathiam apertissimè loquebatur, ita ut nos audiremus, & nihil aliud annum dimidium locutus est, nisi semper nomen Mathiæ. Unde constat eum ejus virtute liberatum.

CAP. XLIII. & Ultimum.

Puerulus invocato S. Mathia ad vitam revocatus.

JUxta pontem Mosellæ quidam puerulus naviculam excidens submersus est. Quod videns quidam juvenis vestibus abjectis aquæ insilivit, & inventum extrahere volens, maligno spiritu retrahente, quem Neptunum vocant, semel, & secundò perdidit. Tertiò cùm nomen Apostoli invocâsset, mortuum recepit. Cumque totam noctem in feretro jacuisset, manè Sacerdos, ut illum sepeliret, venit. Quod ubi mater, quæ Mathiam nocte tota vocaverat, vidit, beato Apostolo præ dolore quasi interminari cœpit. Mox igitur redivivus puer adsurrexit, & eodem fine & matris dolorem, nostrumque laborem terminavit. Sunt præterea & alia multa de virtutibus Apostoli, quæ nos brevitatis causâ, ne fastidium legentibus nasceretur, obmisimus.

ACTA
SANCTI
CHRISTOPHORI
MARTYRIS,
VERSU, ET PROSA DESCRIPTA

A

Walthero Subdiacono
Spirensi.

Eruta ex Cod. MS. Imperialis, & Celeberrimi Monasterii ad S. Emmerammum Ratisbonæ Ord. S. Ben. à P. Bernardo Pez.

Epistola

Epistola

Waltheri Subdiaconi ad Collegas Urbis Salinarum.

DOminis Liutfredo, Benzoni, & Friderícho unà cum cæteris datæ consortibus pacis Vualtherus, quod magnis parvus, & par, si fari liceat, paribus. Libellum nostræ modulationis, quem visendi gratiâ vestra postulavit adoptio, quatinus opera fidem præbeant dictis, juxta promissum in promptu habetis. Quem tamen, ut in Deo loquar, nulla scientiæ nostræ præsumptio. vobis dirigendum nostro excussit armario, sed invictæ virtutis amicitia, immò inviolatæ charitatis vobiscum secura formido. Quid enim authenticum sine authento? quid auctoratum sine auctore? quæ perempto duce victoria? Quod autem dico, tale est. Audistis divæ memoriæ, immò incomparabilis vitæ seniorem meum, videlicet Spirensis Ecclesiæ Præsulem, nomine Baldericum, cujus in hoc opusculo præcipientis, & quasi pede ac lingua præcedentis, cautus impressi vestigium: cujus etiam ope, & gratia omnis, si qua tamen fuit in hac

A. quasi arida sarmentorum strue scintilla refulsit. Qui recepto suæ creditionis debito, quod admonuit, ultra dignitatem sua examinatione probavit, probatumque expositionis suæ pollice elimavit. Atque ubi præcepto Domini non multo post viam universæ carnis intravit, hoc, quod exposuit, meo judicio secum abstulit, nisi vestræ charitatis luce, & partu hæc uti posthuma proles renata processerit. Quod ut fiat, assumpto in manus opusculo, non cæcutientium oculorum silicernio, nec palpitantis assentatoris eloquio, sed diligentis, ut ita dicam, obstetricis, opus esse videtur auxilio. Et ne fortè aliquæ lividorum

B. manus ansam tenentes calumniæ, hac, quam polliciti estis, fide obligati, diem, & digitum correctionis non subtrahentes, huic operi favere, & nostri non immemores iterum, iterumque valete. Ægritudo, & infirmitas infirmavit litteras: titulum verò libri *Scholasticum* propter principia placuit vocari.

Incipit Prologus in Scholasticum Waltheri Spirensis.

SOlvere nos typicæ scelus est signacula legis:
Si capienda novæ spectetur gratia palmæ,
Quæ veteranorum reparare statuta logorum
Scribitur; unde sui decimas pro fructibus agri
Nobilis Ecclesiæ vehat ad donaria quisque
Gratis, ut hunc lacti, quem deficit area faris
Offerat ad veram supplex devotio messem,
Quæ potiùs viduæ minimo placabitur ære,
Quàm si congestos dives locupletet acervos.
Quare ne teneras petrarum frigus aristas
Stranguler, aut natæ suffocent semina spinæ,
Vel speculum risus moveat tumulatio census,
Hordea, quæ siccis sine germine credita sulcis
Appositis manibus sopita falce cõegi,
Defero ad uber opum Præsul Baldrice tuarum,
Quo pastore gregis obdormit luridus anguis,

Quatenus

Quatenus exhausti tenuis farrago libelli,
Quæ vix ter duplicem retulit gravidissima frugem,
Te duce concepta, & te interprete lumen adepta,
Accubet ingenuis vel in imo margine biblis.
Et quia scis duplices æquare in pondere lances,
Spirat ad id pelagi cumulos hæc undula ferri.
Ergo pater modico feriarum tempore rapto
Omnibus inversam vitiis obducito pennam.
Projice quisquilias, & hiantes obline rimas,
Dictaque commodiùs in gratum suscipe munus,
Auspice sub tali rumpantur ut illia Codri.
O felix tanto felix Vaccina patrono!
Celsa sub his humeris cœlo quandoque frueris.
Tuque gravis censu, tali Sekkingia natu
Dic age Tartareis hoc Præsule libera threnis.
Sit Baldrice tibi sedes in luce perenni,
Tuque nitor stellæ, & hyperiona kere.

Præfatio ad invitandum Lectorem idonea.

Quid referam, quæ nemo legit, quæ nemo videre
Dignatur, cùm sint eadem, me judice, primo
Doridis exitio, aut Veneris credenda marito?
Nam cùm diversas discreto tempore formas,
Moribus ancipites, naturæ summa potestas
Imperio dominante Dei sub gaudia lucis
Proferat, & variæ comites effecerit artis.
Est genus hoc hominum, quod pondera molis acerbæ
Imponat dorso, quamvis sit viribus impar,
Ire volens, quocunque animum fert prona voluptas.
Et quamquam tali depressa gravedine cervix
Succubet, ac fragilis nutanti poplite gressus
Stare neget, tamen ire parat, nec audit amici
Clamorem socii, donec, si vadit ab alto,
Currat præcipitem devexo pondere callem,
Malens fortè mori, quàm tanto cedere fasci.
Et quid huic nisi cæca suæ temerantia noxæ
Lethi causa fuit? Nam si succurrere vitæ
Vellet, & auditi verbis parere sodalis,
Illius auxilio columen cum fasce teneret.
Talis erat, qui Romanæ præcesserat olim
Agmina militiæ, cum Parthis bella pararet,
Regulus. insignis vultu, quàm fortis in armis,
Si tamen inversum retulit cum Nursia canthum
Nosset, quanta viro fuerit patientia, virtus.
Hic certus jaculo, duros cum sterneret hostes
Assiduè, & miseras dilecto conjuge nuptas
Orbaret, multasque tibi? cui tertia regni
Sors cecidit, mœsti Bellona & Marte secundis
Mitteret inferias, ubi jam cessisse periclum
Credidit, & madidos votivo sanguine truncos
Induit exuvias, quas lætus strage peracta
Abstulit occisis nudato corpore Parthis.
Atque ubi divisam captivos tollere prædam
Jusserat ascenso repetens tentoria curru,

Ecce

Ecce repentini cæco de tramite montis
Arsacidæ subeunt, quos pugnæ doctior usus
Abdidit, è speculis in tanta cæde futuros
Auxilio, socium subitò si cederet agmen,
Sive sequi promptos confisum cruribus hostem.
Quid verbis opus est? Densis incurritur hastis,
Excussusque jugis proprio subvolvitur axi.
Diffugit Romana cohors Ductore relicto
Non fine nobilibus scriptura teste triumphis.
Tunc unus rabidis innectens fortia vinclis
Brachia subrisit: non hæc promissa dedisti
Civibus accepto properans in prælia pilo,
Sed quia victrices Aquilas mentitus Apollo
Delusit vacuos redeundi pace Latinos,
Ante triumphalem patriæ quàm videris arcum,
Insignem laurum carcer tibi Parthicus offert.
Et mala, quæ nostris hac clade valentia regnis
Te duce composuit, duplicato vulnere solus
Portabis: reliquis etenim vindicta superstes
Protrahat ingratam vario discrimine vitam.
Quid moror, ut sanctum talis fortuna Senatum
Impulit? A Parthis condicto fœdere pignus
Poscit Roma suum, tali sub lege solutum:
Ut redeat patribus belli captiva juventus.
Dux mandata refert, & aperto carcere solus
Ad patriæ gremium pugnæ transmittitur auctor
Regulus, ut reliqui, Partho veniente, redirent.
Gaudebat tanto salvato Consule Roma.
Ipse autem Patribus in Conciliabula ductis
Inquit: malo mori, quàm lux mea consulat hosti.
Et sic, dum sanctos monitus audire parentum
Negligit, ad Parthos legali ex jure remissus
Causa fuit mortis unius noxia multis.
Quod si Pompei moneat Cornelia litem
Vixisset, Phario nunquam credendus Achillæ.
Est alius, cui mortali sub crimine lapso
Vix in judiciis extorquet pæna reatum,
Ostenditque sibi miseranda remotio facti
Defensoris opem, potuit quam fortè mereri:
Namque locum veniæ tribuat concessio culpæ.
Ast ego, quem sacræ vix Sublevitica mensæ
Non meritis concessa meis pro munere Christi
Gratia contigerat, jam sub puerilibus annis,
Dum gravidum tanti non inconsultus adirem
Ponderis obsequium, facinus properabo fateri
Ipse meum, qui magniloquo pensanda Maron
Promptior ad ferulas humero portanda recepi.
Arbitrium tamen excusant præcepta Patroni,
Qui me disposito florenti rure scholarum
Hoc tantum numero dociles instruxerat annos,
Cui pariter pariles decadis sub cardine partes
Contulerat quadruplum replicans binarius orbem.
Hinc me digressum monuit ratione paterna,
Sicut filiolum, dicens: puer opto videre,

Quem fortasse tibi sollers effectio fructum
Ediderit; quoniam pridem mihi gaudia de te
A studiis rediens quidam collega tuorum
Indidit, & variis repetens sermonibus inquit:
Quantum naturæ vigili conjunxeris arte,
Ergo meos audi monitus dulcissime fili.
Festinat tempus; cinerem cinis exigit; inde
Te memorem finis libeat jam præmeditari,
Quo veniat vultu, qui, dum perrexerat exul,
Te cumulare sui præcepit lucra talenti.
Felicem, si vel tenui cum fruge recurras.
Quid facerem tanti perculsus odore Hyacinthi?
Ilicet ante suam deflexo poplite sedem
Reddo vicem veniæ, famuli sic orsus ab ore:
Dic pater, in qualem tua me prudentia partem
Declinare velit? Si spem dabit illa sequendi,
Liber eam,. quocunque jubet, licet obvia sistant
Spicula, correptum temerè prohibentia callem.
Vel sequar exigui nunquam cessurus amici
Consiliis; cùm me videam rationis egenum.
Mox duce sub tali chartarum texta revolvens,
Christophorum invenio. Nec plura moratus honorem
Supplex reddo sibi, noctuque dieque lituris
Incumbens, quicquid tanto fautore notavi,
In gremium transfundo tuum, mitissime lector.
Id rogitans, ne te modici bellaria scribæ
Offendant, cujus humilis devotio solùm
Inspicienda manet. Quòd si sub littore primo
Angustum miratus iter campestria captas,
Hæc eadem, quæ scriptori satis arta probabis
Auditu dura, sed gestu suavia sentis.
Et quia mel tacto potiùs dulcescit amaro,
Ante favos nostri centauria pasce laboris.

Primus Libellus de studio Poetæ, qui & Scholasticus.

Postquam maternas infantia prima papillas
Destitit, & fragiles presso vix pulvere gressus
Signare ad rotulam læta nutrice valebam
Parvulus, & tenero suspendere verba palato,
Ad flores apicum ductus sub pollice patrum,
Hædulus ut dulci depulsus ab ubere matris
Gaudebam summas herbarum vellere cimas,
Dulcia materno præponens gramina lacti,
Utque avidus ludi gymnasia quærere cœpi,
Me gremio charæ Nicostrata refovit alumnæ,
Suavia melliflui præbens jentacula clarni,
At postquam prima sitienti fauce saliva
Imbibit Alphabetum notularum docta tenore
Syllabycas rectâ rugas plicuisse rubricâ,
Nuda mihi clausas tribuit Psalmôdia mammas.
Terpsichoréque suam docuit me texere pallam,
Donec bis Tropicos repetivit Apollo meatus.
Mox ubi perfectæ posuerunt licia telæ,

Gram-

Grammaticis opibus me tertius applicat annus,
Et mihi Romanam primùm monstraverat aulam
In signo signi vertentem insignia rei.
Interiùs variis eadem depicta figuris
Urentes ferulas dapium sub odore reservans
In fronte octonas prætendit lauta coronas
Squalida, quas modicè texit cum nube vetustas.
Has ut parva meæ vidit sollertia curæ:
Approperemus, ait, nidore inducta popinæ,
Et nostro nitidos figamus vertice cyclos.
Quod si hæc forte tuam cingent diademata glabram,
Ac tibi contigerit calidæ sorbitio cœnæ,
Securus reliquas poteris superare salebras.
Talibus accensus monitis, & amoribus, inquam,
Te duce, ni ferulas formidet parva juventus,
Aggrediar pulchris innectere colla coronis:
Hujus enim ùt nostros intendit regula mores,
Lætor, & artificem fingat cum pollice vultum.
Transilit incultos imbellis dammula colles,
Cautior & madidas servat gladiator arenas.
Eja pone tuis firmissima cingula lumbis,
Ocyus extinctas occultat Tharsia vires.
Nec mora, nec requies, pariter repetivimus ædes,
Et nos e specula conspexit ut ipse Toparcha,
Tergere splendidulas abluta sorde coronas,
Insidias furum meditatus adesse latenter,
Præstrinxit teneras commoto verbere costas.
At postquam tanti sensit nihil esse perieli,
Et nos chara suæ solatia quærere cœnæ;
Oscula porrectis trutinavit dulcia labris,
Invitatque suæ nos ad convivia mensæ.
Continuò totis fervebat sedula tectis
Vernulitas juvenum, sociata plebe sororum,
Quotquot Niliacis descripsit Græcia biblis,
Et mensas onerant dapibus, paterasque coronant.
Postquam prima quies summovit gaudia cœnæ.
Instrepuit salibus præ cunctis Alphesibæus
Euterpe tibiis, numero comitata sororum,
Quæ somno-raptum docuerunt carmina gallum.
At cytharæ cordas doctè percussit Jopas,
Commendans refluum tacta testudine Nilum.
Orpheus Eurydices raptum plorabat amicæ,
Muros Amphion, Delphinas duxit Arion.
Tranavit pelagus desertus ab Hellade Phryxus,
Jam petit ima puer fluctu tollente Leander.
Defunctis apibus matrem clamavit Aristevs,
Terruit audacem cauda centaurus Achillem.
Jactat bis senos Alcidis clava triumphos,
A pueris junctus reparavit multa Silenus:
Qualiter omnigenas forment elementa figuras
Martis furta, dolos Vulcani, jurgia Phœbi,
Thesea, Pasiphaën, quas exuit Icarus alas,
Prætidas,* & mundum flamma Phaëtontis adustum,
Atque ignem cœli subductum fraude Promethêi.

Et plures nenias, quas finxit Græcia mendax.
Extinctum ingenuæ Daphnim flevêre Camenæ.
Atque ubi jam Tryades feretro impofuêre cadaver
Orcadum comitante choro, pullata Diana
Exequias ftructura venit, pecorumque comarchos,
Pan, & Hamadryadum deducens agmina fecum
Silvanus fterilemque ferens de monte cypreffum.
Tum Ceres, & Fauni, Satyrisque immixtus Apollo,
Nomius, atque Pales Limnidum plebe fecuta
Nereidas Galathea vehit, facilesque Napeas,
Duraque fata trium pariter gemuêre fororum.
At poftquam mœftis hunc compofuêre cavernis
Ridiculum actura calamos inflare Minerva
Cæperat. Utque genas ficcavit gratia cantus,
Et cuncta inflatam ridebant Numina buccam,
Ipfaque dulcifoni torturam fenferat oris
Ad putei deducta caput, projecerat aules,
Quæ tibi perpetuum Thamyra genuêre dolorem.
Hæc fatis ut noftra fatiavit corda voluptas,
Venit prifcorum longo plebs ordine vatum.
Atque ubi jam cantus princeps finivit Homerus,
Felix arguto cecinit fponfalia plectro,
Ac feptem geminas recitavit rite forores,
Ad dulces epulas invitat Flaccus amicas,
Perfius emuncto fufpendit ludicra nafo.
Planxit Romanæ Juvenalis figna coronæ.
Mufa Severinum plorabat carcere claufum,
Surfulus ingenua cantavit prælia voce.
Africa præfentat fecum comœdia Davum,
Lucanum veteres non afferuêre Poëtæ,
Præterea triplicis fuccincta vefte coloris
Omnibus excellens docuit nos Mufa Maronis
Otia paftorum celebrare, modosque laborum,
Et jam fera fuos afcendit Cynthia currus.
His ita compofitis cubitum difceffimus; atque
Percepta in totam volventes carmina noctem
Omnibus è modulis metricæ dulcedine legis
Illecti, faciles ftudiis fallacibus aures
Appulimus, quæ magna quidem pueriibus actis
Bis binos placuit nobis reparare per annos,
Officioque ftyli jocus eft audita refcribi.
Inde ubi majorum tetigit nos cura ciborum,
Porphyrius claras nobis referavit Athenas,
Qua multi indigenæ librabant verba Sophiftæ.
Cernere erat quandam vultu pollente puellam,
Practica cui limbum, pinxitque Theorica peplum.
Et licèt effigiem macularet parva vetuftas,
Ipfa tamen ternas fufpendit ab ubere natas.
Præftitit hæc nobis fummi fubfellia lecti,
Et poftquam ftrato licuit difcumbere cocco,
Procedunt fenæ turba comitante forores
Ingenui vultus, non abfque gravedine geftus.
Adducit famulas præftanti corpore quinas
Omnia fub gemino claudens Dialectica puncto.

Prima quidem miles generali nomine pollens,
Insignita tribus unum selegit amictum,
Hanc vice continua sequitur gradiente secunda.
Tertia discrevit, quidquid primæva coëgit,
Dans operam sanè cirros crispare secundæ,
Quos quartæ solido collegit fibula nodo.
Instabilem fucum tulit ultima quinque sororum
Docta, quibus geminas decernens Græcia formas
Pinxit quale tribus, quid sit referendo duabus,
Ut reboant nobis deliramenta Platonis.
Inde suam stipat comitum pressura sodalem
Rhetoricam, duplicis vestitam flore coloris,
Quæ jaciens varias nervo pulsante sagittas
Monstrat hypothetici nobis spectacula ludi.
Et jam cornuta surgens ad Sydera fronte
Causarum rivos patulo profudit ab ore.
Sed postquam illatas pepulit conclusio lites,
Ipsaque gravigenas compegit pace Sophistas,
Omnibus asseculum veniente porismate lætis
Sub pedibus Logicæ recubabat nexa coævæ
Commissura tibi reliquorum munia Tulli.
Rhythmica summarum præcessit quinque puellas,
Quæ circumscriptis intende vocabula lector.
Hæc quia Dactylico non cernis idonea metro,
Primula multiplici caput irradiata metallo
Tardantem retro citius jubet ire sororem.
Quæ simul ad sociam conversâ fronte sequentem
Inquit: habeto meæ tecum dextralia palmæ:
Hoc etenim speculi nostræ commendo sodali,
Quam genui, patria quondam statione locata.
Staret in ornatis famularum quinta capillis,
Nil sibi lacteolam præberet tertia vittam.
Ibant quamque sua comitum stipante corona.
Et postquam planas limabant rite figuras,
Intervallorum mensuris, & spatiorum
Ordine compositis, cubicas effingere formas,
Nituntur, mediumque vident incurrere triplum.
Collatum primi distantia colligat una,
Alterius numeros proportio continet æqua.
Respuit hæc ambo mediatrix clausa sub imò,
Ordinibus Mathesis gaudebat rite paratis,
Hæc missura tibi solatia clare Boëti.
Inde Abaci metas defert Geometrica miras.
Cumque characteribus iniens certamina lusus
Ocyus oppositum redigens corpus numerorum
In digitos properè disperserat, articulosque.
Inde superficies ponens ex ordine plures
Trigona Tetragonis conjunxit pentagonisque
Strenua Pyramidum speciem ductura sub altum.
Tum laterum miras erexit ut ipsa figuras
Arripiens radium semetretas fecit agrorum,
Quos quodam refluus confudit tempore Nilus.
Tradidit & varias in secto pulvere metas.
Hinc sedet excelsæ solio subnixa cathedræ,

 His

His observandis referans tua scrinia felix,
Intulit aulœdas juvenili corpore quinas
Musica ternarum nutritas ubere matrum,
Quas etiam primo cantandi postulat ordo.
Edidit ergo graves, durasque Diatona voces,
Quæ sequitur, suavem generavit Enarmia cantum,
Ultima diversas variavit comica phtongos.
Postea filiolæ resonare melodima doctæ
Et cum lemmatibus Dieses produxit epogdôus,
Pro numero annorum pulsant discrimina vocum.
Primaque tetracolon, dat sesquitertia phtongon.
Euphona pentaticum, genuit Diapente melodum.
Diplasii octonas erexerat Archia chordas.
Tripla quater triplices profert Asnomia cantus.
Ultima quindenum tangens proslambanomenon
Fessa resedit humi, finem dans quadrupla ludi.
Atque ubi jam fidium siluit genus omnigenarum,
Et satis Harmonicam tendebant organa normam,
Processura domum repetebant tecta fabrorum,
Et sub malleolis inierunt dona soporis.
Quæ post Pythagoræ multo vigilata labore
Discutiens gravidum retegebat Agrypnia somnum,
Nunc retinent Latii, te prælibante Boëti.
Jam duodena suum transcendit linea punctum.
Et quoniam seram jam deserit Hesperus Oetam,
Quinque parallelos Urania complicat orbes.
Et primum Boreæ gelida defixit ab auro,
Quam medius geminas serpens interluit ursas
Casuras nunquam memorem Junonis ob iram.
Idcirco lacrimis vultus infecerat Helix.
Inde sequens circus tenet Arctophylaca secundus,
Quem pia sedenis ornavit gratia signis.
Inter quæ rutilæ resplenduit aura coronæ:
Prolapsoque genu rabido furit Hercules ictu,
Inde Lyra, & niveus tardantem Cephea cygnus
Impulit, atque aliis inter residentibus astris
Extremi Ophiucus sortitur marginis urnam.
Signifer inde suas aperit pecuaribus ædes,
Quæ pascit sterilis cum sole Diana quot annis.
Australem Persæ plicuit ternarius orbem;
Pistricem Eridano confert Antarcticus ordo.
Hos inter nitidam cinxit Galaxia zonam.
Postremumque metron cum limite clausit Horizon.
His etiam geminos ubi decertavimus annos,
Et finem studiis distinctio fecit herilis,
Alloquor unanimem vultu mærente sororem:
Ecce quater duplices cum Sole peregimus orbes,
Quod spatio dignum tanto lustravimus æquor,
Quos solùm steriles mundi traxêre labores,
Jam metam vitæ metuit lanugo juventæ.
Idcirco vigili mecum ratione voluta,
Ut periit gelidæ commissa pecunia fossæ.
Et quoniam citiùs accurrit tarda senectus,
Lusibus abjectus juvenum, nucibusque relictis,

Cur-

Curramus facræ cereles ad fercula mensæ,
Quæ superant omnem devicto melle saporem.
En oculis subjecta tuis paradoxa beati
Christophori! Quem si pleno cantabimus ore,
Ante tribunitiam securi stabimus iram.
Ergo, ait illa, priùs per pura silentia mitem
Omnicreantis opem flexa cervice precemur,
Qui minimis rerum tribuit veniabile donum.
Atque ita stelligeri limen pulsabat Olympi:
Christe salus hominum, spes, & caput omnigenarum,
Quem timet immensus, quia tu capis omnia, Mundus.
Cùm septenorum lapis existas oculorum:
Annue, quòd tantæ stabiles in vertice petræ
Inviolata tibi sedes mereamur haberi.
Et quia cuncta potes, nostras intellige voces,
Concedendo tui nobis magnalia vernæ.
Sancta Dei genitrix, hæc famina porrige nobis
Et nostræ voci benedicito mitis Hilari.
Atque pedem junge per cuncta sibi Fridoline.
His quoque Galle pater monitus suffragia confer.
Tuque Leo forti nos committere Leoni,
Cœlicolas pariter nobis impende sequester.
At nos Christophore placido si conspicis ore,
Atque tuos scribas vultu ridente serenas,
Non secus, ac sicci repetant si pocula cervi,
Ad tua tendemus alacres insignia cursus.
Præsto sunt chartæ; quas si dignaris adire,
Omnibus in terris celebrabitur ista poësis.
Respice virtutum pelagus pie nauta tuarum
Recturus modicam stantem sub littore cimbam.
Nos quoniam sine te nusquam tentamus abire,
Teque gubernante ripam reparamus utramque,
Jam Pater alme rati sumpto moderare tridenti:
Neve nimis tumidæ pergendi vota procellæ
Aerius impediant, aut navim bruma repellat
Te duce littoreum properamus solvere funem.
Incipe, si qua datur via flaminis; inde sequemur.

Explicit Liber I. de studio Poetæ.

Incipit II.
In quo exordium Passionis S. Christophori.

More quidem Regum gestabat sceptra Syrorum
Fascibus indignus publicis Rex, nomine Dagnus,
Celans corda lupi, simulatis vultibus agni.
Et dum plumatam portarent colla coronam,
Texerat occultè serpentem forma columbæ.
Jam quid plura querar? Tigribus rabidis fuit impar.
Hic dum forte Samon ditione teneret avorum,
Quæ caput urbis erat, Syriæ dum regna manebant,
Vir quidam meritis in censu paupere dives,
Quem patribus non ignotis Chananæa propago.
Ediderat; quia nulla suum vult terra videntem,

Non

Non pera gravidus, baculo regit exule gressus.
Hunc quondam reprobum dixit concordia patrum,
Non signo vitii, sed conditione tribuli.
Namque ubi nutricem cunarum depulit annus,
Corde senex, ætate tener, sermone pudicus,
Indolis egregiæ micuit puer, & reprobatis
Nequitiæ maculis, proprii fit nominis hæres.
Quem Cynocephalicæ pudeat reverentia formæ,
Ut perhibent hoc digna viro, qui Christe tuorum
More canum liquidas speculatus in æthere stellas,
Obliquo vultu gentiles præterit aras:
Sic tamen, ut patriæ nunquam sit visus abesse.
Quo trahis aura sinum, cumulo præsente typorum?
Hic reprobus fuit ille lapis, quem littera legis
Abjectum memorat, quo post in acumine templi
Composito, paries unum confecit uterque.
Dum caput atque pedem rupi sociavit eidem.
Venerat hac Syrios ubi plebs distermınat agros.
Utque diem lapso Phœbus succendit Eoo.
Ne calor ille sibi libitum breviaret eundi,
Seposita veste, viridi successerat umbræ,
Illacrimans, quoniam fidei ductore carebat.
Tunc ait Angelicæ quidam collega coronæ:
Surge Dei miles, oculos tersure madentes,
Auriculasque meis ultroneus arrige verbis;
Parturit effectum quoniam devotio rerum.
Aspicis excelsas murorum ex aggere pinnas,
Altaque barbaricis cænacula fulta columnis?
Hæc securus adi; cæpto hic ignosce labori,
Dum requiem lassis ferat indulgentia membris,
At te nullarum dispendia tanta morarum,
Aut effrenatæ priùs hinc crudelia gentis
Hospitia avellant, quàm fœnora simplicis auri
Sparsa per urbicolas saltem duplicata reportes,
Arrisura tibi redeuntis voce Patroni.
Quapropter veterum spinas, silicesque Syrorum
Impiger apposita radicitus erue marra.
Sed quia te patrii paulum serpedo veneni
Inficit, & nitidos caligo retundit ocellos,
Catholicæ pistis collyria prorsus inunge
Temporibus, quia totius natura medendi
Appendet fidei, sacræ si gratia spei
Jungitur, & duplicis obstricta catenula legis.
Hæc cùm præcipuè tibi sint fomenta salutis,
Si capis ambrosios juncto thymiamate succos,
Abscissura putrem manet ecce chirurgia carnem,
Promptiùs ut tepidum relinat fragrantia vulnus.
Jamque infundendum capiti sic collige nardum.
Omnia quattifidis, quæ terra amplectitur alis,
In medio librata Poli, vel quicquid ubique est,
Pondere, mensura, numero, motuque creavit
Trinus, & unus apex. Hæc maxima credulitatis
Est species: hæc orthographæ penetralia sectæ.
Incole septeni nexu velata sigilli

Fir-

Firmiter, & nulli mendarum pervia fuco.
Sed Patris ingeniti genitus sine tempore natus,
Cui in Deitate quidem conregnat Spiritus idem,
Missus ab arce Poli reparavit perdita Mundi
Semina factus homo, ne prima periret origo,
Quæ permulsa neci serpentis fauce trilingui
In misera morte marcebat secula quinque.
Ergo ubi collectum senarius impulit ævum,
Et provisa priùs involvit tempora cursus,
Optimus anfracta perculsus imagine plastes,
Ne peregrina suo plausisset gloria facto,
Voce paranymphi Gabrielis rite paratum
Virginis ingressus thalamum, Deus atque homo verus
Exiit, ùt veterum promisit lectio vatum,
Quid loquar auctori, quantum assurrexerit orbis,
Cùm suspensa cibo faveant animalia Christo?
Visitur Angelicæ pastoribus oroma turbæ,
Stella maris famulam videt ad præsepia stellam,
Se peperisse Deum sapiens in thure Magorum,
Non tamen humano Deitas ita clauditur actu,
Portet ut illa tuum quiddam minuendo suorum.
Quin tua propter te clemens acceperat in se,
Plena quidem veteris sub lege redemptio legis.
Hac igitur gemina matris, genitique medela
Morbida pestiferi vacuante chirographa ligni
Livor abit veteris vita redeunte veneni.
Et quia sic prisci deleta est cautio scripti,
Fortè novella prius redimens conembia fœnus.
Quòd si fermentum succrescere cura veternum
Arcet, ut anniculi cum lactibus immolet agni
Azyma, jam mundet celebratis Pascha farinæ,
Quod Pater in sacram per natum sustulit aram.
Cur tibi legiferi tabulas, & verba Moysi
Exequar, & populum manna ningente refectum
Cælitus, aut siccas reflui Jordanis arenas?
Nam si fortè sitis vivæ patrimonia fortis,
Placabis verum superato gurgite Jesum,
Qui Mundo, stellisque prior, solisque nitore
Splendidior, postquam quinquennia sena replevit,
Assumptæ spatium carnis, baptismatis amnem
Ingressus, per pnevma suum scelus abluit orbis.
Quid tibi virtutum referam monimenta tuarum,
Scripta manu Domini vitæ cœlestis in albo?
Non est ingratus servili munere Christus,
Unde ut plena tuæ cedat victoria dextræ
Ad strepitum belli, tunica vestire trilici.
Qui tamen intactæ sitiet cunabula sponsæ,
Emplastro fontis obducens vulnera carnis,
Et veteres maculas rudis ipse renascitur infans,
Ergo age dextrarum si vis comes esse viarum,
Elice tam lassis Baptismi pocula membris,
Sed quia fluctivagum longè ferit undula portum,
Ad legem Domini liquido recreaberis imbri.
Hæc, quem prima tuis industria suaserat annis,

Introitum justæ pandet sorbitio vitæ,
Et quæ mortalem fallit querimonia prolem,
Non dilata tuam minuerunt præmia laurum,
Centuplicanda tibi post hujus lucra talenti.
Si tibi sint monstri mores, & inania gentis
Verbera, purpureæ pretium referentia palmæ,
In cruce suspensum pro te cognoscito Jesum.
His dictis reserans actutum lumina cordis,
Et tergens patulas decussâ nube fenestras
Jamiam Christophorus Christum, cui totus adhæsit,
Officio manuum supplex in vota vocavit,
Ut proprios dextro confirmet numine visus,
Seque clientelæ talis dignetur honore.
Clauditur interea ventis pluvialibus Æthra,
Hac tantùm parte, quam Græcia solis ab ortu
Dixerat Anatole, & rursum prior Angelus inquit:
Ecce tibi salubrem promissi luminis imbrem
Contulimus, quem qui sicco semel imbibit ore,
Sub pedibus vivi natum mirabitur agni,
Quem supra montes perhibebat stare Johannes.
Te quoque Christophorum mutato nomine dici
Censuimus, quia Sancta tibi præconia Christi
Missa Samonitis injunxit adoptio Patris.
Quod si dura tibi portendat vincula Princeps,
Lætus in adversis, melius confide secundis.
Nam Dominus Regum, cujus te jura ministrum
Elegère sibi, duræ formidinis arma
Objicit hostilis adversum prælia dextræ,
Ac tibi perpetuam dat pro mercede coronam.
Talibus Angelicæ petiit signacula palmæ
Christophorus, properatq; viam, quam semita monstrat,
Divini recolens secum missatica verbi
Jugiter, & tacitæ solvens plectoria linguæ:
Spiritui laus, atque tuo sit Christe parenti,
Qui mortale genus veniali pollice sursum
Erigis, ut nullo tenebrentur flaccida fumo
Sydera terrarum, quæ sol justissime tecum
In patriæ sedis hoc jam religantur amore,
Amplius infesto ne lubrica dæmonis unco
Intrent tendiculas, aut tetri carceris umbras,
Qua metus, & lacrimæ regnant, stridentque catenæ,
Interea portis, & mœnibus astitit urbis,
Utque domos miras, & culmina vidit, obortis
Suffusus lacrimis, & huic compassus ovili
Talia mellito modulatur carmina plectro;
Christe, Pater cujus primùm dignatio finxit
Terrigenam, ac triplicis animæ ratione politum:
Ut quibus ipse prior cunctis virtutibus ibat,
Congrua pro libitu præponens nomina rebus,
Te sibi prælatum sciat omnibus omnia factum,
Si tibi parva meæ placeat devotio luctæ,
In lucrum festina tuum, mihi dulcia verbi
Pange fluenta tui, quibus hæc populatio.
Illita, vivifici sitiens signacula fontis

Arri-

Arripiat, ne Tartareis inserta tenebris
Jam videat veneranda tui vestigia lychni,
Ecclesiamque suis cumulet per secula donis.
Te duce difficilis cedent obstacula callis
Objecto nitidum claudentia pulvere sulcum.
Ergo precor Domine, renovetur ut orbita per me.
Talibus ingrediens Jovianam tendit ad ædem.
Namque propinqua sibi fuit, & celeberrima plebi.
Lucus erat viridis celsa sub vallibus urbis,
Qua populi sacras festorum reddere pompas,
Et veteres ritus hymnorum ferre solebant,
Ad quem votivas manibus tollendo placentas
Jam mediante die celerem muliercula quædam
Nisa parare gradum, dum fortè per atria templi
Curreret, obliqua facie venerata sacellum,
Mirandi vultus subito perterrita visu
Hæserat. At postquam rectos defixit eodem
Obtutus, habitumque viri, faciemque notavit,
Erectis concussa comis, nec munere linguæ
Usa, repentino redit exanimata recursu:
Haut aliter, quàm Getulum si cerva Leonem
In longas valles, vel in ardua montis itura
Viderit, & notum repetat pede præpete lustrum,
Atque ut prima sibi vocem dedit hora loquendi,
Hoc solo turmas clamore vocabat agrestes:
O vos exanimi cives succurrite civi
Vel jam lapsuro Junonis adesto marito.
Hujus enim foribus astare videbitis umbram,
Quam Titana tremat provincia cernere coram.
Illicet excussi domibus, rebusque relictis
Mos uti plebis habet, pernicibus undique plantis
Visendi studio concurrunt, atque beatum
In nixu baculi coram testudine templi
Invenêre virum, secreto murmure captum.
Irruerat jam frequens, monstrumque putando
Milia multa vehit, quibus ille per ardua dextrum
Præco Dei meditatus iter, sic ora resolvit:
O Patris ingeniti proles, O gloria Mundi,
Aspice, quæso, tuum vultu pietatis alumnum,
Ut renovata meæ lux, & suggestio curæ,
Hæc Paradisiacis inducat ovilia caulis.
Dixit, & exilii virga, quam ferre solebat,
Altius in viridis defixa cespite ruris
Hoc intestinas percussit pectine chordas.
O qui frugiferæ morientia semina terræ
Vivificas, O qui rerum moderatus habenas
Æthera syderibus, & campos floribus ornas;
Quos cùm frigoribus primis decusserit Eurus,
Alternis vicibus cum vere Favonius affert,
Hanc virgam nitidæ gemmis frondere juventæ
Consueta largire manu, quòd vinea præsens
Te veram vitem fœcundo palmite quærat:
Ne sterilis ligni radicibus acta securis
Infœcunda suis abscidat robora flammis.

Ista licere tibi, verbo qui cuncta creâsti,
Quis dubitet? cùm Cana meri Galilæa liquorem
Senserit œnophoro lymphæ mutante colorem.
Hæc ut Divinus complevit dicta sacerdos,
Si granum sinapi spatiis concordat Olympi,
In foliis virgæ patuit genitura Mariæ,
In partu viridis sicca radice viroris
Et velut ad puteum sterili de rupe fluentem
Currebat sitiens deserta per arida miles.
Sic ad gemmiferum festinans turma bacillum
Canitie posita viruit pollente juventa.
Flagitii veteris maculas in flumine purgans,
Quem numerum vulgi properat quia pagina claudi
Lectoris veniæ referent libamina prosæ.
Quod tibi lignorum merear dulcedo melodum?
Nonne finitimis ultro rationibus absim:
Illa quidem fueras, de cujus flore stupebat
Inter primates populi, dum thura cremaret
Divino pollens Aaron sub amore sacerdos.
Quæ si totius genuit solatia Mundi,
Tu quoque jam Syriis peperisti gaudia cunctis.
Quorum corda tui specie mellita nitoris
Per fidei capulum mortis vicêre tropæum,
Bellantes illi, cui laus & gloria soli.

Explicit Liber II.

Incipit Liber III.

Qui cupis ad varias sponsi considere mensas,
Sensibus ante tuis accendere lumen amoris
Ipsius summa studii virtute memento.
Forsitan in sera noctis si venerit umbra,
Occursumque sibi proclamet præco parari,
Inveniat claras oleo stillante lucernas,
Adductumque sui te sub penetralia lecti,
Convivam dignum faciat discumbere secum.
Quod si fortè tuam subeant fastidia mentem,
Ut portes plenas oleo fumante laternas
Non parcens pretio, subeas licet omne macellum,
Lampadibus saturis cum densa nocte redibis,
Introitum templi frustra poscis reserari.
Ergo sacris ne te pudeat pallescere chartis,
Quæ tibi delicias cœnæ, valvasque recludunt.
Et si majoris studium te tangat honoris,
Primus in hac sede tenuis conviva recumbe,
Hic ut devotum cum te conspexerit hospes,
Dicat: amice veni, primæque incumbito sedi.
Hæc ut Christophori monitis tibi gloria cedat,
Ipsius signis curas impende laboris,
Quæ pro posse suo præsens hic indicat ordo.
Fama volans alacris intrat prætoria Regis,
Perque manus procerum summas illabitur aures,
Ignotum venisse virum, qui fana Deorum,

Et puri solidas argenti mole columnas
Calcaret, veteris spernens solemnia legis-
Quique gigantei celebrem rumore triumphi
Militiam renuens, ignoti nominis unum
Diceret esse Deum, qui conderet ardua cœli,
Et quæcunque suo complectitur ordine tellus.
Talibus auditis fervet commotio Regis,
Ac velut incluso lupus insidiatus ovili
Circuit angustas diverso tramite caulas.
Sic volvens varios irarum in pectore fluctus
Æstuat incassum, motus ultura Deorum.
Atque ubi fera suæ sedit sententia menti,
Dentibus infrendens, & inania prælia miscens,
Misit causidicos de prima sede ducentos,
Qui tecta fraude sub ramo pinguis olivæ
Hunc adventitium cogant in mænia secum;
Illius ut formam liceat sibi cernere coram,
Et responsa suis opponere congrua dictis.
Haud secus, ac jussi faciunt, atque ocyùs illum
Arripuêre locum, quò confluxisse coronam
Plebis Catholicæ monstrant vestigia famæ.
Atque ibi festivæ celebrans solemnia vocis
In medio caveæ potuit fortasse videri
Christophorus, Christi meritis, & nomine servus.
Cujus pacificum retinens in turbine clavum
Pontica navifragi cessisse pericula Mundi
Gaudet, & undivagam religans in littore puppim
Debita viventi solvebat vota Tonanti,
Ore, manuque suum satagens cumulare talentum.
Et jam plenus homo tali moderante magistro
Auspicioque animi referens portenta futuri,
Ut Psalmista rudis David quatit organa regis;
Eripe me summi coæterna Synergia Patris
Irarum manibus, ac noxia quæque repellens
Thoracem, galeamque tui protende pavoris
Faucibus invidiæ, pactum quæ diluit omne:
Et pastoris ope proprium tuearis ovile,
Ne veteris longinqua petat divortia saltus.
Jamque aderant missi Regis mandata gerentes.
Cumque sibi primam legali more salutem
Offerrent, sacri vultus terrore repulsi,
Ceu puer immanem si fortè aspexerit anguem
Sulcantem latos erecto pectore campos.
Longiùs absistunt, nec pluribus hiscere verbis
Moliti, Regis missatica muta reportant.
Namque sibi pluris visa est reverentia patris.
Ergo alios illuc numero transmisit eodem.
Sed cùm præda truces precibus prostrata Leones
Terreret, prædam sitiens fit præda satelles.
Et cecidit supplex ad terram regia pubes.
Nam Domini præsente manu, satis esse putabat,
Si cum pace viri pateat sibi copia fandi.
Ergo ubi Sydeream cumulavit laudibus aram,
Altaque regifici suscepit munera missi,

Orditur placidè, sicut solet in sapiente:
Ut me regalis præsentia cernat honoris,
Suspendit nostræ secum trutinatio libræ.
Nam nihil in tales effecerit archia regni
Milite, si nostrum cadit in contraria velle.
Sed si tanta meum cupit excellentia vultum,
Ibo libens, quò me vester præcesserit index,
Non adeò Regis, quàm vestro pulsus amore.
Ventum erat ad portas: & postquam prima facultas
Disclusit patulos revoluto cardine postes,
Pictus acu fidei, nudusque pavore Tyranni
Passibus arreptis in consistoria venit.
Ac velut immota coram regnante columna
Magnus in aspectu, & mentis procerior actu
Constitit, ignotis caput objectare periclis
Impiger, atque suum pro Christo tradere templum,
Qui via, spes, virtus, sapientia, vita, triumphus
His, quicunque suæ sperant munimina palmæ,
Ut pater ancipitis mucronem porrigit oris.
At postquam nitidos in Principe fecit ocellos,
Ille miser talem cordi fulgere lucernam
Non passus, graviterque ferens, hoc lumine priscas
Extingui Syriæ tenebras, de culmine sedis
Corruit, & tumido suffocat verba palato.
Ac si fortè suam subeat sententia mentem,
Infernæ potuit casum sentire ruinæ.
Ergo ubi seclusæ vocis percepit hiatum,
Ac membris validus caput extulit, atque tribunal
Inscdit, nomen ejus, patriamque rogavit,
Aut cui summorum solvisset vota Deorum?
Subsequiturque suam talis responsio vocem:
Postquam prima meam vidit conceptio lucem,
Me dixit Reprobum generalis adoptio patrum.
Sed Divina suam respectans gratia formam,
Omne genus sordis pluvialibus abluit undis,
Et me Christophorum natura vocavit aquarum,
Angelici velut admonuit legatio verbi.
Quod si tu patriam perquiris nomine nostram,
Respice Syderei campos, & culmen Olympi.
Cujus me laribus velut ablactata rogavit
Uberibus matris infantia, sanctio fontis
Indidit, & rutilæ crucis assignatio frontem
Instaurans per chrisma meam, mihi rura spopondit,
Quæ generis nostri petulantia perdidit. Ergo
Postquam docta meum tinxit sollertia sensum,
Proposui Domino soli servire Deorum,
Qui cœli, terræque suo fert climata palmo,
Cum propria formata manu, & qui denique regum
Sceptriger, atque suis imponens stemmata servis
Flectit in occiduum Princeps in principe regnum
Quodam processu conjuncto pneumatis actu.
Talibus exarsit dictis fornacula regis,
Flammarumque globos calido sub pectore volvens
Æstuat, & tumidis tandem singultibus infit:

Tuna

Tune canine meis proponas prælia Divis?
Tu quoque lethiferi genitus plantagine succi
Invertas veterum moralia festa Syrorum?
Haud impune tuam tegit hæc audacia mentem:
Supplicium luitura venit. Mox ista subinfert
Discreto sermone viri patientia sancti:
Non dubio sine fine tuis hæsura medullis
Mortis perpetuæ miseranda pericula nostro
Adscribis generi versa vice: nam tibi tortas
Dæmonis O fili per flammea texta catenas,
Hæreticæ labis vindex conflavit amussis.
Et quoniam in celebris intras sponsalia regis
Tortorum trudente manu sub Tartara missus,
Qua recubat lethi complex cultura Deorum
Æternis arsura focis, remeare nequibis,
Regalisque gradus fuerit tibi copia casus.
Major enim ædicula cedit majore ruina.
At cùm vestibulum pandet tibi janua primum,
Æratosque suo concluserit obice postes,
Quamvis præcipuum tollas ad Sydera planctum,
Non tibi letheæ tecum submersus abysso
Aliget ille Jovis, vel ab Æthere mittitur Iris.
Sed majora tibi cumulant incendia. Namque
Primus in orbe Deos fecit timor irritus, atque
Vana superstitio, sacris incognita libris.
Ergo ministrorum pereat manus, atque Deorum
Redde tributa Deo, quæ regia poscit imago.
Quid tibi vis? Quiane mentem spe pascis inani
Stultitiâ seducte tua? Num fana precaris
Fabrili conflata manu? Prô nescia veri
Humani generis soboles! Num si quis in illis
Errorum nævis memorandæ relligionis
Justitiæve modus foret, aut veniabile quicquam,
Artificemne suæ meritò præponeret arti.
Cui tantorum operum deberet solvere votum?
Heu curvæ in terris animæ! Quid inania tantùm
Temporibus ruitura suis simulacra timetis,
Cùm mergant proprios Phlegethontis in ima colonos?
Diluit hæc hominum inventis inimica vetustas,
Et nisi currentes semper renoventur in annos
Longævo tepefacta situ, sublapsa feruntur,
Atque subærati species delebitur auri.
Non secus ingentem foliorum quàm quis acervum
Ordine quæque suo componens linquat apertis
In foribus primi revoluto cardine templi,
Ac si forte levis aditum perceperit auræ
Janua, mox volitant summi per culmina tecti,
Et sibi dispositum non servat linea motum.
His igitur committe tuas post talia curas,
Ac fessis rebus aptam hinc promitte medelam.
Qui nisi fortè tuo ducant sub pollice vultum,
Atque tuæ curentur opis medicamine, sicut
Ante tuam fuerant ipsi sine nomine formam,
Quandoquidem non sunt, nihilum sine fine manebunt.

Tuque

Tuque Deus melior, qui tanti criminis augur
Fatorum claudis proprio sub numine fatum,
Heu steriles veri, quos talia monstra lacessunt!
Num tu mortiferis immussas verba metallis?
Labra movere tuis non possunt obvia labris.
Auribus incussum patulis, pedibusque fruuntur,
Nullaque sub totis tangunt vitalia membris.
Sed plasmata solo, tellurem servat imago.
Quam placare tibi cæsis cùm fortè juvencis
Hymnidicus debet, redimita fronte sacerdos
Liba ferens, quæcunque tibi prece poscis emaci,
Cum rerum damno succedent gaudia vento,
Sed majora tibi venient incommoda, quando
Irarum vultu summus ferit omnia judex.
Cujus justitiæ pietas, & recta voluntas
Haud quaquam meritum pensans quorumvis honorum
Vel graduum, justè dat convenientia cuique
Namque vias Domini pietas, & Alithia cingunt,
Et qua te dignum inveniet mercede, beabit.
Quam vereor, sterilis succidat robora ficus
Jam capulo vicina manus! Prô quanta charybdis
Te raptura patet, nisi sancto fonte renatus
Exuta veteris nativa clade parentis
Suscipias vivum renovato corpore Christum!
Qui non argenti, vel acervo deditus auri
Suavia devoti poscit libamina cordis
Ad nihilum ducto tauri, vitulique cruore.
Hic solum solo, & verum de lumine lumen
Ut radios Phœbi, sic texit cornua Phebes,
Amborum illustrans pretiosa lampade terras,
Ipse in principio discernens tempus ab ævo,
Et firmans solidam diviso gurgite terram,
Quandoquidem cunctas animæ, carnisque figuras,
Quas secum genuit, verbo reparante creavit,
Præsidet immanis totius partibus orbis:
Et sol justitiæ mundum deliberat ipse,
Omnia sub tali suspendens pondera lance.
Ut cum pro merito reprobos susceperit ordo
Ecclesiæ natis illibans oscula patris
In Paradisiaci sistat pratensibus agri,
Qua per circuitum redolet fragrantia florum,
Pulchraque præcipuis adhibens lucentia gemmis,
Invitat sacræ secum ad mensalia cænæ,
Et tandem rutilis exornans colla coronis
Pro duro gratam tribuet certamine palmam.
Hunc pavet Angelicæ metuenda colonia turmæ;
Nam terræ, atque poli servit Monarchia soli,
Et totus capiti Mundus conjungitur uni,
Ipse est nostra salus, lux, atque redemptio Christus.
Hunc si placaris, pœnarum liber abibis.
Finierat. Contra nullum vox regia fecit
Antithetum, obstipo sed figens lumine terram,
Ignarúsque viæ sanctum præcepit in arta
Carceris includi caligine; si vel in illo

Supplicio vincat fidei inviolabile lumen.
Ecce quadringenti facta testudine Missi,
Quorum sub primo jam littore mentio nota est,
Procedunt pariter, dextrasque, & inermia monstrant
Pectora, confessi veram pro nomine Christi
Militiam, & prompti vitam pro morte pacisci.
Quos ubi summorum revocare nequivit honorum
Sponsio, & argenti promissum pondus, & auri,
Nec cognatorum dilectio, rege jubente
Ad necis exitium celeres, capitale subibant
Supplicium, coram posita mercede polorum,
Et jam cum palma recubant in cæsaris aula,
Quam regit æternus, cui laus, & gloria, Christus.

Explicit Liber III.

Incipit Liber IV.

Interea gelidas intravit carceris umbras
Plus hilarem solita referens dulcedine vultum
Præco Dei visa sociorum morte suorum,
Qui per purpuream pretiosi sanguinis undam
Dignum natalem matris meruêre secundæ,
Cujus lacteolas postquam didicere mamillas,
In gremium altricis sacræ, cunasque recepti
Christophoro referante viam tractare licenter
Primo lactis ope illecti, tum panis amore,
Quæ viventis aquæ dulcis conspersio tinxit,
Impavidi tumidas Mundi superare procellas
Virtutem imbelli mox præposuêre timori,
Militiæque modo confisi pectore nudo
Æterna dignum facturi laude tropæum.
Gaudent bellare matris vestigia ponè,
Ejus & ignivomas cupidi gestare sagittas,
Corytosque suis habiles suspendere lumbis
Ad vexilla crucis sub suadela monitoris
Convertêre manum, & Christi celebrare triumphum
Morte magis voluêre sua, quàm regis in aula
Militiæ retinere gradum, vel pondus honorum.
Nam geminæ sibi proposito certamine legis
Quicquid Mundus amat, penitus post terga rejecta.
Elegêre Deum potiùs, quàm principis aurum,
Cujus præcipitem sic commovêre furorem:
Nos unum virtute Deum de nomine trino
Credimus, atque illi mentes, & vota dicamus,
Cujus imperiis quadratus subjacet orbis,
Et detestandas horremus dæmonis aras.
Quocum perpetuos cùm tu properabis in ignes,
Nos Duce Christophoro Christi penetrabimus ædes,
Cui decus egregium debetur, & hostia laudum.
Tuque sub exitii chaos indubitanter iturus
Propositos tecum saccos portato gazarum:
Præmia militiæ quoniam præsentia nostræ
Deserimus tineæ non amittentia morsus.

Sentit ibi ingratam scabrosa rubigo repulsam.
Nec onus effossum rapit inclementia furum.
Sicut enim nostræ generosus significet alæ
Nullius umquam recipit contagia labis,
Immaculata suis fert donativa ministris.
Eja cerne motam felici lumine nostram
Portitor, & ventis concedens vela secundis
Totos pande sinus, iteris quòd prona facultas
Difficiles vitet levigato remige cautes.
Et jam flecte ratem longa statione relicta,
Et fine, quòd medium succidat palmula fluctum
Dum licet in tuta ventis spirantibus aura,
Totaque tardantis laxa prosnesia puppis,
Nam nobis magnum restat maris æquor atandum.
Sancta Nicea tuis confer suffragia nautis,
Et committe ratem ventis Aquilina migrantem;
Tutiùs ut vestros secum vectura triumphos
Ostia cum pleno subeat post prælia velo.
Fortè aderant geminæ præconis voce puellæ,
Quas natura potens cum pollice finxit honesto,
Vultibus, & membris redimitas flore decoris,
Sed quoniam nondum cecidit cultura Deorum,
Postquam prima suos pubertas attigit annos,
Dedaliæ Veneris incesta lampade tactæ
Cœperunt pariter celebrare lupanar, easque
Ipsa cupidineo tinxit Libitina veneno,
Illecebris sanos ut possent vertere sensus,
Dum columen juvenum mutaverit ignis amorum.
Hinc igitur confisa suis vindicta medelam
Regia consiliis, ut vel Sodomita libido
Cincta Gomorreis facibus caliginis atræ
Fumo verbigenam fuscaret fortè lucernam,
Lætitiæ frustra surridens vultibus, atque
Difficilis fidei spondens pro munere censum,
Seque operi illarum suffragia certa daturam.
Spei macræ gerulas in carceris abditi umbras,
Qua facer ad Dominum vigilavit Prædo luporum,
A terra geminas tendens ad sydera palmas,
Atque ubi jam foribus regina libido sub ipsis
Insidias, fraudesque suas meditata latenter
Excitat ignivomas fumanti fomite tædas,
Ecce sub adversum statuit vestigia vultum
Virgo Pudicitia, referens munimina tuta
Pectoris, & fido spem collatura sodali.
Emicat, ac primum flagrantem fervida pinum
Discutit opposito clypei semptemplicis orbe,
Atque minata ferum sublato vertice contum
Dentibus infrendens hæc intonat ore modesto:
Tune meas ductum laribus, gremioque refotum
Ad Veneris spumas insana libido reducas?
Anne oblita tibi pudibundæ fœdera Judith
Non hoc pacta modo? Quæ postquam legis in umbra
Marcida sopiti transfixit colla tyranni,
Cartallum festina suum cervice recisa

Te pereunte, domum victrix reditura gravavit,
Incolumisque suam, duce me, repedavit in urbem?
Quid tibi magniloqui referam nomen Danielis,
Quem nostra ducente manu jejuna Leonum
Non tetigit rabies? Nunquid te scire Susannam
Dissimulas, quæ fallaci sub pignore amorum
Præbuit extentum nostro pro nomine collum?
Sed cum lictoris inscripta fronte machæram
Opperiens, oculos ad sydera tolleret, insons
Judicis Angelici meruit sermone levari,
Sicque sacerdotum periit fallacia tecum.
Num recolis, quòd jam dudum cùm Virgo Johannes
Conjugio celebri sponsalia læta pararet,
Id decoris summi ne casta puerpera patris
Defuerit visura sui magnalia nati,
Inter delitias divino flumine potus
Inque meum dulcem declinans pectus amorem,
Immaculata sequi vestigia maluit agni?
Quid juris tibi stella maris Benedicta reliquit?
An calet extincta refluis cervicibus hydra?
Num bellum molita sitis concurrere mecum?
Congredior; ne tu quemquam moritura lacessas.
Hæc ait, & calidum perfecto vulnere telum
Adducens nitidis remeavit in Æthera pennis,
Atque repercusso micuère ergastula Phœbo.
Talibus attonitæ bellis visuque puellæ
Dejiciunt mœstos prostrato corpore vultus,
Horaque præscriptum tangebat tertia punctum.
Sed nec Æthereas sustollebantur ad auras,
Donec jam medium lampas succendit olympum,
Tunc etenim impletis surrexit in ordine votis
Spermologus, pavidasque videns post terga sorores,
Sic placidis animum dictis, vultumque serenat:
Quænam filiolæ corrugat ineptia frontem?
Lætitiam revocate animis, mœstumque timorem,
Et nebulas relegate procul: nihil ecce pericli est.
At minimè vester transmissor inultus abibit,
Cùm censura brevis facinus deliberat orbis.
Sed quia supplicii nostras intrâstis ad umbras,
Quid vultis, vel qua rerum ratione venitis?
Hactenus aut vestram instituit quæ regula vitam?
Protinus hanc seriem demissa voce sequuntur:
Eheu! per totæ jucundum tempora vitæ
Duximus obscænum celebrare libidinis antrum.
Sed quod pro nostri rediit mercede laboris,
Vestis erat nudis, & larga refectio siccis
Faucibus, & captæ satis ampla redemptio plebi,
Unde tuam nostris faciem ne subtrahe plagis,
Ut medicâ succisa manu contagia morbi
Effugiant, habilem nobis missura salutem.
Ergo, ait, expulsis nostro medicamine nævis
Intima, qui vestri scalpunt penetralia cordis
In commune Deum summi veneremur olympi,
Colláque vestra sibi mox ut devota videbit

Spes comitata fidem vobis dabit ecce salutem.
Quandoquidem sub divino canit ore Prophetes:
Vivo ego, peccantis mortem nullabo videre,
Id libet, ut dignam subeat conversio vitam.
Hoc etiam nobis divini Spiritus oris
Dona salutaris veniæ, fideique reliquit
Exemplo, decies denis si Pastor ab agnis
Unum perdiderit per devia fortè viarum;
Nonaginta novem per pascua nonne relictis
In sylvas, saltusque redit clamando vacantes:
Transfuga donec ovis ad notæ cantica vocis
Approperet, læti scapulis revocanda magistri?
En ego fida gregum custodia, spesque meorum,
Cùm tenerum nostris incuria fecerit agnum
Excursare castis solitam, si quando redibit
Implorando manum, satagam præbere lacertum.
Vestri etiam sexus venialia signa tenemus
Nam Dominus plantas meretrici præbuit almas,
Quas lotas lacrimis unxit, tersitque capillis.
Et rediit veterum maculis exuta malorum.
Quæ mora? Jam serum succendit vesper olympum,
Et numerum stabulis pastorum cura reponit.
Ergo fidem revocate simul, ne fortè luporum
His septis paret excubias furtiva simultas.
Talibus edoctæ signis, veniaque puellæ,
Idola depulsis proeul abjecere columnis,
Et veræ lucis se exultant pignus adeptas,
Inclyta veridici juxta prædicta videntis.
In tenebris nitidi radios cognoscere solis.
Vixque didascalicæ complentes murmura linguæ
Nectebant sacras per noctis tempora causas,
Et mærent tardè flectentem plaustra Booten,
Certæ pro Domino cuicunque subire periclo.
Et jam discussà fugerunt sydera nocte.
Atque ut pulchra suum reseraverat aura cubile,
Pallida cæruleam convolvit Cynthia pallam,
Et jam purpureus processit ab æquore Phœbus
Irradians totam spatiosà lampade terram,
Convenêre duces simul ad prætoria regis.
Ast ubi quemque virum susceperat ordo locorum, ex
Editiore thoro confidens summa potestas
Majestate manus servanda silentia jussit,
Longius abjecta nigredine fellis amari
Procedunt geminæ parili virtute columbæ,
Quas ita festivo suscepit curia vultu:
O Decus, O patriæ titulis per secula dignæ,
Christophorumne pias celebrem duxistis ad aras
Idolii solita redimitum thuris acerra?
Ecce palam vestro sunt præmia parta labori.
Protinus hanc vocem, nulla formidine pœnæ
Territa subsequitur parium mulcedo sororum:
O veris digne lacrimis, multúmque timendis
Tundende opprobriis; utinam dulcedine nostri
Illitus eloquii, veterum monimenta Deorum,

Et

Et steriles pompas imo de pectore trudas,
Ut post sacrilegas infesti dæmonis aras
Dignior electi sceptris, & nomine Regis
Errorum Mundi merearis apostata dici!
Ergo age, rite tuum precibus venerare patronum,
Nulla cui propriæ præponitur hostia formæ,
Sicut in Abraham præsens exemplar habemus,
Qui cumulis piræ pignus decrevit anile,
Historia ut veteris divinat mystica legis.
Hic postquam magnum deduxit ab hoste triumphum,
Captiva plebe cum fratris prole redempta
Nobilis, & tuta raptum statione locavit,
Melchisedech primus, veraxque in rege sacerdos
Pro reditu chari redimita fronte sodalis
Hymnizans, agnique ferens libamina casti
Non cessat meritas Domino persolvere grates.
Nec minus Angelicæ verbo imprægnata coronæ
Implevit quondam sterilem Sara fertilis alvum.
Festinans partum, quamquam sit fessa dierum,
Quem dum verus amor patris decreverit aris,
Prædonem veprium metuit cum semine Regum,
Quid gerit id belli vetus aut conceptio nati,
Ni fidei casto populentur ut intima ferro,
Sicque benignarum concreto germine frugum
Illius nati mereamur amore potiri,
Quem patris, & famuli cecinit Psalmodia David
Laudibus eximiis dignum de cardine solis
Usque sub extremum diffuso limite Mundum?
Hic nos ad propriæ formatos thema figuræ
Spurcitias carnis unda vacuante cruoris
Jam sub sydereos secum transvexit olympos.
Et quoniam veris hæc sunt impressa sigillis,
Membra levamus eò, quò nos traduxit origo.
Insinuans nobis arti dextralia callis,
Obliquo lævum spectantia lumine ramum,
Per quem mortiferæ descendent pignora vitæ
Æternum subitura chaos cum plebe Deorum,
Qui nihil in nihilum te ducunt, & tua tecum,
Sed si fortè velis sana resipiscere mente,
Auriculasque tuas nostris impendere formis.
Hac ope consilii summo copulabere Regi,
Omnia qui certo distinguens tempora fine
Disposuit secum volventem secula cursum.
Cujus sancta fides, lapsos quæ surrigit omnes
Corporis, & mentis clavum ratione gubernans,
Naufragio pelagi solidis navalibus acto
Annectit validam fluctu tollente saburram,
Ne ruat in tumidas navis jactata procellas.
Et quia jam fixo nos alligat anchora morsu,
Quamvis præcipuum terræ collegeris aurum,
Nullus avaritiæ cumulus nos promovet inde,
Qua capitis nostri tutela videtur haberi;
Cujus inextinctam tribuit confessio lucem;
Unus enim Regum regnat cum laude per ævum.

Explicit Liber IV.

Incipit Liber V.

Interea fragilem dum nota per oppida lintrem
Flectere, littoreasque juvat deradere cautes,
Ardua nec summi consurgunt carbasa mali,
Etesiæ pereunt, perit irreparabilis hora,
Et vereor meditata mei ut vestigia cursus
Impediant subitæ concreto flumine crustæ.
Ergo age fida meos impelle sororcula nautas,
Tuque, cui nostrum commisi in littore clavum,
Erige confractos felici robore contos,
Ut cùm primus iter Ponti sufficerit Auster,
Inveniat promptum securo remige lembum.
Et nos ad pugnam ripæ ulterioris inactam
Diducti memorem referamus ab hoste triumphum,
Quem simul unanimes Christo vicère sorores,
Quæ pelagi clavo tuta statione locato
Imprimis cultum flocci fecère Deorum.
Hinc pro amore Dei nudatæ veste timoris
Fæminei, & calamum sexus cum stemmate vultus
Oblitæ fragilis malunt problemata mortis.
Sed quoniam Princeps illinc efferbuit ira,
Rore refrigerii fictura pocula regi,
Quæ tamen immensum cumularent caumatis æstum,
Ipsius facilem purgabant talibus aurem:
Non opus est nostrum violare sacraria regum.
Sed si nostra tuos conducant immola Divos,
Insternat totas festalis oliva plateas,
Adsit & emeritos solvens plebecula tauros,
Dignior horrendis mactetur ut hostia fanis.
Protinus exclusa collecti turbinis umbra
Hæc citius dicto parat omnia regius ordo,
Ignorans vacuos sua tollere gaudia ventos.
Votaque barbaricis cùm sistrum indiceret aris,
Casta puellaris animi concordia sanctum
Haud oblita modum divinæ relligionis,
Ante diabolico quàm ferret thuscula templo
Carceris exiguam dissolvens rite fenestram,
Impulit intentum precibus hac voce magistrum:
Serve Dei invalidas propiùs res aspice nostras,
Et crucis ingenuum nobis impone sigillum;
Ne nos ad veterem deducant idola pestem,
Quam semel in nobis abolevit chrisma salutis.
His dictis soliti repetebant culmina templi.
Atque ubi disclusis patuerunt limina valvis,
Hunc statuis primum surrisit Ironia versum:
Indigetes divi nostræ succurrite voci.
Sed cùm nulla suis offerrent numina verbis,
Ne sopor, aut opera faciles obtunderet aures,
Tegmina molita discincta veste Nicea
Viribus & palmis fide subnixa sororis,
Colla Jovis laqueo pessumdedit: inde columnis

Idola

Idola marmoreis incaſſum fulta, deorſum
Præcipitat, nullis ultra jam debita divis.
Et tandem infractis illorum vultibus inſit:
Ferte pedem miſeris, ſi nomina magna velitis.
Curritur ad regem: colliſio ſacra Deorum
Narratur, facinusque ſimul cum compote fertur.
Ille gemens orba non diſcordante leæna,
Turbatusque genis, ira dictante profatur:
Euhohe magnificis acies maleſida ſororum
Numinibus, ſine judicio digniſſima mortis
Exitio! Non hæc pepigiſtis fœdera mecum.
Ergone ſupplicium pro voto in templa tuliſtis?
Haud impune quidem, veſtræ exemplaria pœnæ
Chriſtophorum noſtris debent adducere fanis.
At germana fides pretioſo nomine mortis
Audito, rabiem ſic principis excitat iram:
Anne tuis ullam tribuant ſpem numina rebus
Fœminea turbata manu? Jacet augur Apollo
Cum Jove, & incaſſum tenet inteſtina ſacerdos.
Non impar mutis, quibus offert munera ſaxis.
Nec mora compedibus Aquilinam ſtringere ferri
Præcipit, & grandem pedibus nexiſſe molatem,
Ut ſic in rigidæ ramos ſuſpenſa catastæ
Exueret miſeros lapſis compagibus artus.
Illa autem tantis haud quaquam territa monſtris,
Sed flectens ægras prona cervice feneſtras
Sic tetigit facilem divini militis aurem,
Qua ſol pallidulam penetravit carceris umbram:
O benedicta meæ ſpes, atque refectio vitæ,
Me committe tuo ſuperanti ſecla patrono,
Pro quo martyrii gratam portabo coronam,
Hoſtia digna ſuis, ut te duce deferar aris.
His effata modis, ſuperæ magnalia vocis
Audiit: O noſtræ thalamis digniſſima cœnæ,
Terrea ſydeream ſolvent tibi vincula portam:
Namque ego te dextris inducam filia ſeptis,
Qua lupus imbelli non ſolicitatur ovili,
Et Paradiſiacos perpes tibi gratia campos
Floribus auricomis plenos vice muneris offert.
O qui ſtelliferi veſtigia colligit agni,
Cuius amor vitam, patientia parturit aulam,
Aulam cunctorum nebula fugiente jocorum.
Quid tardas fragiles impellere Pſaltria cantus?
Tange ſoror Lyricas arguto pectine chordas
Euphoniæ, ut moduli ſua pipent cantica regi,
Cujus amica manus abolens per vulnera vulnus,
Totaque primævi ſolvens contagia morbi,
Ut modo lacteolam revocare mapalibus agnam
Nititur, ut tantæ ſcapulis invecta magiſtræ
Non ruat in ſaltum, ſatiem factura luporum.
Gloria Chriſte tibi, & ſancto cum Pnevmate Patri,
Qui facis, ut per Te tua famula curſitet ad Te,
At madefacta genis de ſorte Nicea ſororis
Emiſit talem ſupplex ad ſydera planctum:

Oqui

O qui naturis socialia fœdera nectis,
Ut ooo dissideat, quicquid tua oorma catenat,
Humanæ prolis precibus si flecteris ullis,
Ne sine germana vitali perfruar aura,
Atque ingrata meæ ducam solatia vitæ.
Me dignare tuo secum sociare sacello;
Ut quibus una fides fuerat viventibus, una
Sorte salutiferum componaot ultima casum.
Anne mori vixisse putem, si mortua cernam,
Qui mihi lucigeoæ dederit spiracula vitæ?
Sed quæ Christicolis fuerit communio mortis,
Cùm mors ipsa sibi vivo sit mortua Christo?
O sopor, & requies, quam qui mercabitur hæres,
Pioquia magnifici retioet patrimooia census,
Clamitat ùt nobis David Psalmodia regis.
Fletibus ioterea dum talibus inficit ora,
Ducitur ad regis vultum secura timorum.
Qua visa, hæc lepido trutinavit verba palato:
O mihi oatàrum dulcedo Nicea mearum,
Anoe sapit veterem Lethargica passio cladem?
Respice, quanta tuam viceruot fata sodalem,
Et ne te simili deducat tessera sorti,
Consiliis resipisce meis, templisque litato.
Quòd si magoorum spernes holocausta Deorum,
Jupiter ulcipotens mihi vivat, & augur Apollo,
Pro merito sceleris persolves debita mortis,
Taodem flecte tibi cujus vis numina divi,
Ut secura suæ reddaotur membra saluti,
De manibus surrepta meis. Sic verba repressit.
At benedicta Dei vernacula fluctivagorum
Io tegetem fidei comportaos arma timorum,
Puppibus & plexas impooens læta coronas,
Huic, qui se placidæ hospitio prohibebat arenæ,
Mitius ut potuit princeps proreta respondit:
Undarum nimiis multum contusa procellis
Ventorumque minas satiùs perpessa fureotes,
Huoc primum tuta navim statione locavi,
Et cum pace bona fugieotia deprecor arva,
Dum liceat fractos reparari robore contos.
Quod si littoreis vetitor consistere campis,
Et sedet, ut tumido committens vela profundo
Rursus Scyllææ submergar fluctibus iræ,
Atque Cyaneis obducar naufraga saxis,
Nec volo, nec possum tibi compensare duellum.
Malo mori, atque necem placida pro sede pacisci,
Ut tandem gremio potiar telluris amatæ.
Namque minas tormentorum nullabo tuorum
Spirantes vitam, Letho fugiente sub umbram.
Horruit immitem talis fiducia regem,
Ac velut incurva scrutatus viscera falce
Volvendo, quanam facti ratione puellam
Figulus irarum compesceret, utque fluentem
Nequitiæ testam fumo solidante probaret.
Mirandi sceleris opifex innectere vinclis

Brachia cum pedibus jubet, & per singula dentes
Expelli, ne forte suis edentula dictis
Objiceret vacuas udo modulante loquelas.
Ipsa autem nullis Christo duce tacta procellis
Quandoquidem jam fixa suum tenet anchora portum
Clamitat: hæc dulci mellescit pœna sapore:
O utinam nostris majora piacula membris
Inferri jubeas, dum tu tamen illa molestè
Sustineas, vacuos vento cribrante labores.
Nam qui fortè meam vinxit sub littore proram,
Me cinget nitidis sedato turbine gemmis.
Et quid si modico me terrítat undula motu,
Læta quidem & minimi interitum non passa capilli,
Ibo libens, quò me proprius præcesserat auctor,
Et ridebo tuas elata voce querelas.
Finis erat fandi; sed nulla piacula regi
Sufficiunt, avidam plenè fultura charybdim.
Ecce aliud parat horrendum, & mirabile dictu
Præstrigium, cunctisque pio de corde gemendum.
Ne mirare meas cur pulset ineptia venas,
Fida soror, lacrimisque sinus madidetur obortis.
Nullum etenim tam dura tulit natura petrarum,
Cui hæc fando gremium non humectet rima genarum.
Nam dum tanta ferum terrerent prælia Cacum,
Robora mirifici componere jussit acervi
Lividus ardentem plus incensura caminum.
Sed lutulenta suum non destitit orca sonorem;
Raucet enim fluido non cocta fidelia limo.
Jamque vaporiferæ pulsabant Æthera flammæ,
Involvitque diem picea caligine fumus.
Ergo Nicea suæ recolens emblema coronæ,
Quamvis dura suas arcerent vincula palmas,
Læta tamen, trepidæ scandebat culmina pyræ.
Utque inter medias nudato corpore flammas
Constitit, ignivomo nullatenus icta tepore.
Namque rogi nimium Theosebia depulit æstum.
Primo divini meditata silentia voti,
Ardua dulcisono percussit sydera plectro:
O qui christicolas tui fomitis igne serenas
Fons salientis aquæ, quam si quis traxerit ore,
Vivet in æternum tecum munimine regni.
Tu precibus miserere meis, ne peste rogali
Exhilaret tristem contracta cuticula regem.
Sed quia nostra tuam cupit ancillatio peltam,
Extinguat calidum roris conspersio fumum,
Maturata tribus pueris in cardine mortis,
Qui cantare tibi septemplicis orbe camini
Non cessant, meritò cui flectitur omnis imago.
Ecce aderat præsens superis de sedibus Index,
Cujus roriferæ subsidens grummula dextræ
Depositum fidei nocuo subtraxerat igni.
Et fusura suum tibi Christe Nicea cruorem,
Exiliit tepidas confuso principe flammas.
Stat rationis inops, rodensque silentia secum,

Et tandem ad gladii capulum confugit acuti,
Ultima quæ rabido superest medicina furori.
Haud aliter, quàm velivoli per cærula Ponti
Nauta ducturus fragili moderamine lintrem
Valde nobilium ditatam mole gazarum,
Ac si fortè poli faciem contristet Orion,
Omnia nimboso disturbans æquora vultu,
Cùm jam per tumidos volitant commercia fluctus,
Quæ jactura gravis summersit naufraga saxis,
Fertur inops, miserasque premens in pectore curas,
Quod superest magni succidet robora mali,
Sicque volens pavidæ lumen defendere vitæ,
Adnabit medicum palmarum remige portum.
Quid tibi sæva tygris, pejorque furore Leonis
Vipera multorum capitum moliris acervum,
Ut redeat barathro, quod Christus vexit Olympo,
Atque diabolicis succedat ut hostia templis,
Pro quo grata fuit pastoris victima templum?
Frustra securas meditantur retia dammas;
Nam semel elapsum vitabit bellua nodum.
Ergo Nicea suum stricto mucrone lanistam
Operiens recto minitantem vulnera talo
Execrata solum, suspirat scandere cœlum,
Et jam perpetui bellum factura triumphi
Martyrium capitale subit comitata sodalem.
Ecce simul capta dominantur in Æthere palma
Pro reditu summo referentes vota patrono,
In cujus portu validam fixère saburram,
His signis circumfusi pars maxima vulgi
Ad reducem conversa fidem, sic ora resolvit:
Omnia Christicolûm decantent secula regem,
Sub cujus clypei munimine tanta tyranni
Summa licèt, caruit, dum pugnæ gloria cessit
Invalidæ manui parium hoc ducente sororum.
Nos etiam meritas tibi Christe dicabimus odas.
Magnus enim in magnis cum sis, mirabile donum
In minimis claræ fidei tradux operatis.
Ergo Patri summa καὶ υἱῷ cum pneumate doxa!

Explicit Liber V.

Incipit Liber VI.

At tenebris velata suis, & lampade circum
Diffusæ plebis magis obcæcata potestas
Regis, & undivagas quorsum deflectat habenas
Ocyus, ut veterum compescat cauma furorum
Inscia, inanguinæ mentis collecta monetam
Rodebat demum hæc rabiosa silentia secum:
Hei mihi, quanta meis invexit bestius ille
Figulus errorum vitii plantaria regnis!
Quæ nisi justitiæ citiùs cum falce recidam
Funditus, ut pereat confuso plasmate plastes,
Inter florigeras speciosi germinis herbas

Carduus, & tribulis compar paliurus acutis
Exurgens, ubi candentis semel inficit agni
Vellera, & attactu maculabit corpus, ab uno
Protensa in totum scabiles descendet ovile,
Atque gregem subita feriente contagia labe,
Uvaque sepositas livore obnubilat uvas.
Expedit ergo mali fomenta perire veneni,
Ne subitò in tenerum serpant contagia vulgus,
Nostrave posteritas nævis inducta priorum,
Ultra magnificas Divûm non imbuat aras.
Hæc ait intra se, figens filicernia terræ,
Panditur interea cum Phœbo carceris aula,
Et symmista Dei vitæ præconia nondum,
Quamvis acerba suæ videat molimina noxæ,
Oblitus, sed præstantis sub honore triumphi
Lætior ereptus sustollens colla catenis
Jussibus officii, properè stetit ante tribunal
Imperii, tumidas promptus penetrare procellas,
Et dare verba catus, & respondere paratus
Pro te Christe, Pater, qui duro in carcere mortis
Obruta corde tuæ relevans sufflamine palmæ
Bellare, oppositosque jubes proscindere montes,
Turritasque tuis deflectere legibus urbes.
Ipse fides bello clypeus, victoria prædo.
Sic tamen immensum cum tollis ab hoste tropæum,
Ut pirata vetus cedat te vindice victus,
Tuque ubi prima tibi jam laurea cesserit agni,
Nequaquam unius, sed pleni raptor ovilis
Expulsa veteris latitanti aspergine cladis,
Janua tuta tuum claudas in sæcula septum,
Cujus perpetuam pandit reseratio vitam.
Ergo ades, & nostræ clementer carbasa puppis
Erige, & accepto referens spiramina clavo,
Vectorem nostrum clypei septemplicis orbe
Munitum, belli strepitum clangentibus infer
Cornibus, & nostræ modereris nauta carinæ,
Porthmea dum nostrum revehat victoria secum,
Altius ut pelagi scrutantes terga profundi,
Quæque latent modicis sculpentes prælia transtris,
Visamus patrium ducto celeumate portum.
Vana supervacui prô quorsum gloria Mundi
Tendiculas ruitura tuas in tramite justi
Occultare paras? quo pacto mæuia montis
Vertice composita inculces radicibus imis
Subdola, ne summæ per propugnacula pinnæ
Offendant nitidos vulgi redeuntis ocellos?
Quis velit accensam modio tenebrare lucernam,
Ne regat ingressum per cæca silentia vulgum?
Invidiæ laqueos quantum vis, flecte malignos,
Ista lucerna tuis non cedet clausa tenebris.
Et frustra patulis suspiras naribus auras,
Captat terra solum, cœli vernacula cœlum,
Dagnia, quem tumidis coram pellacia dictis
Incitat: an, Cynicæ soboles fœdissima gentis,

Te, qui magnorum vexatio dira Deorum
Erimcanda meæ vitiorum spermata pubi
Inculeras, nondum veteris deterrima radix
Destitit hæreseos, vel ineptia prisca sub isto
Corde moratur adhuc? Non hæc indemnis itura
Gaudebit nostræ se advectam primitus urbi,
Hæc impune suum proponere numina ludum;
Nam libet hanc meritis justè constringere pœnis:
Ne fiet ista manus aliis materia risus.
Olli sydereis oblatus victima templis
Summissa Domini respondit voce sacerdos:
Num benefacta mihi referant pro munere pondus
Supplicii? vide sis, ego promptus in omne
Exitium. Fodiat jugulo mea pectora lictor,
Injice vincla mihi, aut flammis crepitantibus ure;
Dum tamen Æthereas quantum mihi Spiritus auras
Sufficit, & corpus recreabit vita superstes,
Hæc series mecum vigilet perampla dierum
Esse Deum cœli, celebrem per climata Mundi
Totius, secum qui condidit omnia solus,
Quæ pro dispositis involvit finibus orbis,
Ipse tamen moduli, & cum tempore limitis expers.
Illius ergo fidem tibi pectoris æde notarem;
Nam tenet imperium vitæ, mortisque per ævum.
Si quibus ipse Decus, divumque impendis honorem
Idola marmoreis caderent exeisa columnis,
Quorum norma tuum obdurat cor, more petrarum,
Ne tua divino lustretur ineptia Phœbo.
Rex autem talis acidus dulcedine mellis
Hymnologum Domini manibus, pedibusque ligatis
Extendi, & graviter cæsum per verbera ferri
Exemplo cessante simul cum casside inuri
Præcipit ignita, miser ignotusque lanista.
Hæc persona trium, quos consulcura gravabat
Turbatis suffusa genis non passa virorum,
Ingemit, & quamvis magni de prole tyranni
Florida primorum gradibus polleret honorum,
Certa tamen, qualis expectet adorea Christi
Assèculas, & quanta suis ftet laurea dextris,
Assumptura tuum capitalis littera signum
Derogat imperiis, hujuscemodique furori.
O rabiem rex Dagne tuam, quæ tale jubebat
Supplicium Christi famulo sine more parari!
Heu malefida bonis, & prospera fata malignis!
Talibus eloquiis pulchram per vulnera mortem
Imperio titulante petunt, cœloque fruuntur,
Lætior at tantis ad Christi templa sacerdos
Oblatis calidas ita Præsulis aggerat iras:
En sufferre mihi majora pericula nôsti?
Præsto expecto tuas, quia sunt mihi vita, procellas,
Et mage nectarei mellis dulcedine suaves.
Protinus Ætnæam discludens Mulciber umbram
Præbuit Æolios regi cum forcipe folles.
Continuóque novum cudens insigne Pyracmon

Propo-

Propositis chalybem doctus formare figuris.
Bis sex ulnarum jussit conflare scabellum.
Nec mora, nec requies: incumbit fervida massis
Sedulitas juvenum, donec pro velle Tyranni
Sistitur in mediis scamnum lethale plateis.
Gaudebat tali jam carnificina metallo,
Et ceu Delphinum fuerit tostura marinum,
Ferrea candenti cratis supponitur igni,
Extensusque super Laurentius uritur alter.
Inde ut majores eructent ligna tepores
Auxit flammivomas olei suffusio prunas.
Sed cùm jam in cineres decresceret ignis acervus,
Aridáque emisso nigrerent nubila fumo,
Præco Dei roseam servans in imagine formam, &
Libera consumptis extendens brachia pœnis
Namque modo liquidæ defecit machina ceræ.
In vultu populi canit ista piacula regi:
Iste rogus, quem calonum mihi turba parabat,
Tecum spurcitias comedit, punitque Deorum,
Nam velut à primo hæc suspendo pericula flocco.
His dictis subita raptus caligine mentis;
(Novit enim inventum sese fudisse laborem)
Corruit in faciem, de primi limitis hora,
Donec nona suum complevit linea cursum.
Et vix ut gelidos recreavit anhelitus artus,
Immemor æterni casus jam in labe secunda:
Num tibi sufficiunt animæ fera pessima, dixit,
Quas intempestæ subvexerat orbita nocti
Temonem comitata tuum? At Theosebius ista
Supprimit: ergo meum sectatur gloria currum
Major, ubi aurati princeps auriga flagelli
Ire monet nostros vulgo comitante Triones.
Anne venena tuæ mihi cantas prædo medelæ?
Sic mihi gratificas inclinet Jupiter aures,
Hoc capitale scelus hæc crastina diluet hora,
Atque tua reliquum morte exemplabo venenum.
Interea tutas da sub custode loquelas.
Et jam candidulam fugiebat Lucifer auram.
Utque jubar terris sparsit subrisio solis,
Ducitur ad regem Syriæ clarissima lampas,
Nullibi nocturnæ caliginis obsita pannis.
Cumque sibi geminam proponeret alea sortem,
Arbitrio cæcata suo hæc quid senio dextet
Afferat, intentans, damnosa canicula quantum
Raderet, hæc tabulæ retulit responsa magistro:
Inter propositos disconvenit ecce lapillos,
Arens namque tuus fitilentus, & anomus errat.
At fatius nostram tinxit Baptisma Beryllum,
Quam mihi perpetuo firmavit chrisma sigillo,
Ne me surripiat futum cautela tuorum.
Archiatum Imperii hæc non passa diutiùs infit:
Civibus O talem superis dignum Periphrastem,
Ante Palatinas pueri desigite portas
Hanc, quam nostra reis statuam mensura pararet.

Vosque sagittiferæ calamos jactare Dianæ
In lustris soliti Sylvestribus, hunc religatum
Durius, ut meruit, missis punite sagittis.
Artubus ut punctim transfixis, ipse meorum
Eutyches hæc secum teneat monimenta Deorum.
Attentabo etiam, si, quem colit eucharis ille
Abductum manibus nostris, gravibusque sagittis
Hunc rapiat fortasse Deus cum sospite vita.
Protinus adducto consistunt corniferi arcu,
Et jaciunt ternas paribus nervis catapultas
In famulum Domini à prima clasendicis umbra
Occasum solis donec duodena monebat.
Jamque tyrannis ovans, fidei credebat alumnum
In jaculis suprema pati. Sed dextera Christi
Omnia depulsis, quæ providet, ulcera morbis,
Quæque diabolicas pellit de corde sagittas,
Supplicii miserata modos, hastilia ventis
Ingerit, à dextris suspendens, atque sinistris,
Nullaque martyrii pignus præstinxit arundo.
At cum majores caderent de montibus umbræ,
Lunaque mortalem solvisset ubique laborem,
Arida monstriferi præcepit jussio Dagni
Laurigerum vitæ succedere carceris umbræ,
Ne fortè à populo sera sub nocte solutus
Evadat. Nam Christicolæ pars maxima plebis
Exceptura suum circumstitit undique corpus:
His peractis hic cænas, invisit & iste catenas,
Et jam decutiens Oetei verticis umbras
Lucifer, a summo processit collibus Idæ
Clarior, & cœlum patuit cum sole serenum.
Ergo ubi mortales revocavit Apollo labores,
Dagnia propositi spes fervida lactibus agni
In se divinæ ferulas ita concitat iræ:
Immo, ait, ista tuum debent mihi tela cruorem,
Nec sat erit tentare tui suffragia Divi.
Protinus egressa pharetras Acontia vindex
Lumine frustratum regis perstrinxit ocellum,
Et cecidit prædo miti percussus ab agno.
At compassus huic Christi vernacula dixit:
O injucha seducte tua, nihil hæc tibi prosunt
Prælia: Tu nostris adhibe sermonibus aures.
Enucleabo tibi, quæ nobis visio somni
A Domino transmissa tulit: cùm crastina punctum
Lux videt octavum, gratam portabo coronam
Cumque meum funus hæc credula turba sacello
Ingerat, ipse lutum nostro de sanguine parvum
Delice, & imposito pro Christi nomine visum
Suscipies, tenebris fidei splendore fugatis,
Nox erat, & notam postquam lux attigit horam,
Præco Dei superas jam victima dignus ad aras
Antea suppositum, quàm framea sanguine collum
Imbueret, sanctæ solvit commercia * linguæ
O cujus maculas abolevit gratia nostras,
Hæc precibus nostris confer solatia terris:

* Cod. ligua.

Ut

Ut quæcunque meum sepeliverit arida corpus,
Grandinis, atque tuæ fluctus non sentiat iræ
Flammæ, sive famis, & acredine libera pestis,
Quique diabolicus, morbive gravedine pressus
Ad loca votivas intret referendo querelas,
Incolumis per me patriam mereatur adire.
Hæc ait, & vocis audit responsa supernæ:
O benedicta tuis tellus quæcunque beetur
Reliquiis, quicunque tuum vel nomine solo
Obsecrat auxilium, sospes feret omne rogatum.
Interea gladio collum ferientе corusco
Incola fessus humi, in patriam remeavit olympi,
Sanxit & octavas tibi rex Auguste Kalendas:
Nec dubium Angelicis susceptum rite coronis,
Quem benedicta sibi selegit adoptio Christi.
Gloria cui totum, laus, virtus, honorque per ævum,
Postera noctivagas decussit ut aura tenebras,
Jam ad Lychnum fidei caligine ductus ocelli
Rex Syriæ, sceleris que sui contagio mœsto
Corde premens: videamus, ait, quo fortè locorum
Crediderint terræ cœlestis scenoma vernæ;
Atque ubi sacrato instituit vestigia tymbo.
Exclamat: miserere mei vernacula Christi,
Ut videam verum suscepto lumine lumen.
Talibus ostensam retinens in fronte medelam
Suspicit, & tacto canit hæc modulamina plectro:
Gloria Christe tibi, qui nos de morte vocâsti.
Nunc per tota mei statuam contermina regni
Indicium, ut spreta Divorum ubicunque repulsa
Omnis huic soli vicinia cedat honori.
Nec erit indemnis tantæ violatio legis.
Ergo age, quassatam ventis proreta carinam
Tranquilla patrii portus in sede locato.
Et quia trans magnum Christo duce navimus æquor,
Ipsius in laudem naucleri junge cohortem,
Et dic: perpetuum tibi sit Rex Christe melodum,
Per cujus veniam stabilis tenet anchora cymbam,
Succinat omnis: Amen, quoniam subit ostia carmen.

Hæc Hypolevita Vualtherus ab urbe Nemeta
Pro vice Christophori metrica depinxit amussi,
Cùm primum regno successit Tertius Otto.

Waltheri Epistola ad Hazecham Sanctimonialem Urbis Quidilinæ Kimiliarchen.

Domnæ Hazechæ, meritorum, & generis speculo non obscuræ, Waltherus quicquid divini, humanique potest. Quia sicut nôstis, mater sanctissima, pauperis coram potente formidat persona, data orandi licentia inprimis id referendum gestio, quam ægrè talis potentiæ notitiam expecto: ea quidem potissimùm gratia, ut quem pridem in parvulo non dedignata es habere ridiculum, jam in adolescente certissimum habeas servitutis indiculum. Meministi enim, meministi, inquam, cum acerbæ quondam infirmitatis molestia apud civitatem Nemidonam vexata languesceres, qualiter ego vixdum prima litterarum imbutus

butus saliva, sæpe sub patrum illius Ecclesiæ digito ad tuæ vocationis manum gressus sedulitate cucurrerim, tibique Episcopali, sicut innuebas, benedictione porrecta, grato uvarum, columbarumque munere à te suscepto, læta fronte redierim; cùm ad benefactum meæ parvitatis animus sub aliqua futuræ remunerationis gratia non aboleverit accessu temporis, tua communis in omnes mansuetudo per quorundam familiarium relationem, tum etiam maximè per tuum incomparabilis disciplinæ in vita magistrum, meumque miræ paternitatis à parvo nutritium, Baldericum videlicet Episcopum innotuit. Qui etiam me retro adhinc triennio sub futura cujusdam muneris specie, in optatum tuæ charitatis servitium hac sicut pius pater, oratione implicuit: nosti, inquit, fili charissime, unicam familiarium mearum modestæ quidem sapientiæ, totiusque probi- A. tatis, nomine Hazecham? Hæc, inquit à scolis eggressa cùm libellum de virtutibus sancti Christophori inaudita in id genus versuum dulcedine conscripsisset, eundem mihi, quasi magistro emendandi officio commendavit. Sed cùm id mihi negotium librarii mei negligentia perdito libello præripuit, tibi eundem libellum gemina scribendum qualitate componendum injungam; quatenus & tibi exercitium, & illi commissi laboris referam præmium. Hoc igitur præcepto perculsus, tuaque pietate confisus injuncti operis officium toto nisi perfectum, præfati monitoris manibus in sex quodamodo libellos dispersum reportavi, atque ab eo emendatum, & ut rerum senes poscebat, diligenter expositum, tuæ præsentiæ servandum in theca reposui; quatenus tuo favore clarescat, quod tui magistri gratia extremi pollicis ungue limabat. Vale.

Wal.

WALTHERI SPIRENSIS

DE

VITA

ET

PASSIONE

SANCTI CHRISTOPHORI MART.

LIBER PROSAICVS.

INCIPIT
PROLOGUS
DE
VITA
S. CHRISTOPHORI.

Domno Baldericho, sanctæ A. Nemetensis Ecclesiæ Patri, & Episcopo Vualtherus, tantæ sublimitatis vernula minimus, æternum debitæ subjectionis obsequium. Cùm id communis omnium ferè mortalium habeat consuetudo, uti simplicis erga aliquem beneficii duplex præmii reponatur effectus; ubi multa conferuntur, plura etiam verisimile est restituantur: qui autem sua pro Christo pauperibus B. Christi distribuant, ab ipsis, inquam, pauperibus gratiarum, ut dignum est, actiones, quasi pro futuræ mercedis expectatione recipiant. Cùm igitur universorum non simplex comprobetur esse repensio, quæ tibi Domine mi, gratiarum referam præmia, quem in me velut omnium egeno, totius jam Evangelicæ lectionis scio complesse præcepta? Vix enim illud, ut ita dicam, beati Hieronymi torrens eloquium ad tantæ in me benevolentiæ par crederetur exordium. Sed ubi virium possibilitas, & rerum deest facultas, bona sufficiat, quæso, volun- C. tas. Insuper etiam Deum quasi omnium pulcherrimam tibi mercedem propono, pro quo me tantùm tuæ consolationis acclinaveras gremio. Cùm autem tuorum in me beneficiorum velut acervos inspiciam, quæ quibus anteferam? Nam ne illam quasi lethargicæ infirmitatis passus molestiam prima enimvero memoriæ perennitate dignissima quodamodo videar oblivisci, ab ipsis libet ordiri.

A parvis igitur adhuc lactentis infantiæ cunis, ubi me jam septennis gratiæ puerum ludus imbuit litterarum, divina cælitus annuente clementia, te non solùm omnis vigilantiæ in grege pastorem, quin immò totius; ùt fit in filiis, suscepi paternitatis auctorem. Proinde sub tanti patronatus tyrocinio aliquot annis, octonariæ videlicet, tantum quantitatis scholaribus deditus agris, inter multimodas contubernalium areas cum ætatis inopia, scientiæque mihi moram fecisset ignavia, vix paucissimas arentium quasi stipularum aristas arripui. Quas tamen aliquomodo tuæ, uti dignum erat, laudis inclusas quandoque manipulo, tibi acerrimo quidem earundem in colligendo monitori, primitiarum vice velut in auream Dominici altaris craticulam deferendas, non, ùt arbitror, cassa formidatione proposui, devotionis quidem officio strenuus, sed hac quasi palearum vanitate pertrepidus. Hanc interim præmeditatæ servitutis exhibitionem tuæ diligentia pietatis anticipando prævenit, atque post paternam in me suæ consuetudinis admonitionem, allato historiarum Sancti Christophori libello, hæc speciali quadam familiaritate subjecit: quoniam, inquit, fili charissime, te meo servitio promptum videor videre, hunc, inquam, libellum, quem quorundam negligentium depravavit incuria scriptorum, tibi emendandum, vel potiùs juxta Maronis in versibus disciplinam, sive Ciceronis in prosa, prout valeas, industriam, iterata styli acie è vestigio exarandum injungo. Quem cùm inprimis non inutile studii tui habeas exercitium, forsitan & me gratum, & eum, in cujus hæc honore conscripseris, tibi reddes mage propitium. Affabili igitur præ omnibus tanti patroci-

nii

nii consolatione hactenus, & in futurum A uberrimè lætificatus, quicquid in utroque scribendi genere Divina, sanctique Christophori opitulante clementia clam inter manus vertendo brevi quasi duorum mensium continuatione involabam; nuda fronte in tuæ fructificationis aream palam cribrandum infundam, malens quidem tantæ dominationis, ut oportet, ferulas in propatulum, quam grassantis invidiæ scorpiones in clanculum. Sed omne infelicissimum illud hominum genus quem in hoc alieni pedis vestigio hæc, qua livorem merear, prudentia dereliquit omnimodo? B

Absit etiam hinc procul auræ vulgaris opinio, aut inanis gloriæ sterilis, & infructuosa cupido. Quod enim cohortatione præcepti prona portandum pondus cervice suscepi, tibi etiam eadem devotione lucrifactum reservare curavi. Tu tantùm omnis experientiæ Præsul extremo operi tuæ dignationis manum conferens superflua reseces, rimas hiantium suppleas, errantis pennam invertas, commodè dictis animi alacritate subrideas, atque quod superest, quorumvis nodorum perplexionibus explanationis tuæ polli- C cem, diemque non subtrahas: quatenus omnis hæc politi operis in futurum ædificatio expositionis suæ, non auctoritatis congruat titulo.

Incipit Vita, & Passio Sancti Christophori Martyris,

CAP. I.

Christophori nomen, parentes, patria, virtutes & mores ante perceptum Baptisma.

Beatus igitur ille, de quo hic futurus est sermo, natione quidem, & ritu exstitit Chananæus, fidei verò & operum honesta conversatione apparuit Christianus, Parentibus pro Mundi gloria non infimis, gentilitatis tamen servitute captivis. Ipse autem memorabilis vitæ sublimatus exemplo candidam sacri Baptismatis vestem adulta jam ætate succinxit, dictusque est Angelica appellatione Christophorus. Sed à primis adhuc vagientis infantiæ cunis Reprobus, proprium sortitus est nomen, non tamen nota malitiæ, sed quadam suæ cognationis consueta familiaritate: quæ enim sibi cum improbis esset in vita dissensio, celebris meritorum ejus hodie pandit aspectus. Lampade verò nobilitatis, & parentelæ speculo cum esset illustris, excellentiam prosapiæ compsit efficacia disciplinæ, qua ita ab ingredientibus ferè usus est annis; ut ætatis florem animi senectute vicisset; seculi quoque delicias modesta, prout naturæ necessitas exigebat, saturitate componeret morum, itaque jucunda jam à puero maturitate suffultus, adeò contumaciæ insolentiam pressit, ne unquam humilitatis incurrisset offensam. Mira illi ad omnes benevolentia, charitas incorrupta, spectabilis in compassione lucerna. Adeò enim civium providebat in communi saluti; ut omnes eum pari venerarentur affectu. Coæqualibus quidem familiaritatis conjunctus obsequio; majoribus obedientiæ nexus est jugo; minimos namque hilari facultatum sibi copulavit erogatione. Necdum tamen regeneratus in Christo; verùm his, quæ sunt Christi, sollerter intentus: quoniam in proximo jam Deum dilexit, palmam gloriæ percipere meruit.

CAP. II.

Christophorus Simoni Apost. comparatus. Illius forma, & dilectio inimicorum, &c.

Quod autem hunc de terra Chananæa oriundum narrat historia, ratio non improbare videtur. Nam & Simonem Apostolum à Cana villa Chananæum, id est: Zeloten, dici veritas ha- D bet, à quo & istius Chananæi religio non adeo distat. Ejusdem enim appellationis, licèt non ejusdem loci, ambo in terra sortiti essent vocabulum, in cœlo jam collegii societate fruuntur. Unde & hic nihilominus Zelotis jure censendus est nomine; quoniam zelum Dei non segniùs mente frequentavit, & opere. Non impar igitur est, ut & hunc Apostolici nominis contingat hæreditas, quem, postquam Mundo fidei semina sparsit, pretiosi sanguinis unda in sublime transvexit. Erant præterea quædam & in eo maximè non erubescenda conditionis

humanæ vestigia. Longa enim, ut ajunt, & acuta facie Cynocephalum, id est: canini capitis hominem prætendens, interioris hominis formam bonorum operum studuit adornare constantia. Unde & ab illorum grege haud injuriâ probatur exclusus, quibus ita Propheticæ infectionis infrenduit tuba: *Vos inquiens, estis canes non valentes latrare.* Huic enim improperio hic propterea longè videtur extraneus; quia inter ipsa sacræ regenerationis exordia tanta fidei tradidit incrementa; ut ex suis inter cæteros meritis iste Psalmographi versus arrideat: *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso:* Amicos enim in Deo, & inimicos adeò dilexit propter Deum; ut contra persequentium gladios dilectionis scutum semper opponens, illud Evangelii non surdo commendaret auditui: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.*

CAP. III.

Susceptum Baptisma, & mutatum in eo nomen.

Quid morum hujus lenitati, quid unquam suis pro Deo laboribus possit æquari, qui Doctoris gentium modo in via peregrinationis possedit vas electionis? Sed & hoc inter alia non minimæ hujus adjicitur laudi, quòd ille, si fari licet, ad persecutionem; iste verò ad Ecclesiæ profectus est ædificationem. Totus igitur in Dei opere conversatus, inter suos affines, & comprovincialium multimodas nationes, sicut lilii nitor in spinis, aut Lucifer matutinus in stellis, multarum gentium gemma futurus incanduit. O inæstimabilis flagrantiæ florem! O inextinguibilis lucernæ fulgorem, in quo jam velut in uno capite omnium pariter virtutum summa convenit, si hanc, quam semper optabat, Baptismi gratiam fuisset adeptus! Quæ tamen quanta sibi postmodum bona adjecerit, facilem credentis non fallit aspectum. Quicquid enim sibi minus idoneum paterna fuligo contraxit, veræ innocentiæ stola relatus operuit. Simul etiam cynocephalici vultus in aliis horrenda severitas per sacri chrismatis inunctionem candidior lacte resplenduit. Illud quoque velut abjectum reprobi lapidis nomen in Ecclesia-

A. stici parietis angulo fixa soliditate fundatur. O beatum tanti pignoris uterum, & talis, tantæque prolis ineffabile Sacramentum! Quis umquam miraculorum ejus, & actuum mysteria scripturus accedat, cùm ipsorum etiam nominum virtus Tullianæ, si viveret, facundiæ torrentem excellat? De quibus unum præcipuè tantæ in futuro dominationis expressit indicium. Ad illam enim inviolabilem sacri fontis invitatus genealogiam non modo meruit effici Christianus; quin imò ritu mutato simul & nomine vocari Chri-
B. stophorus, quod juxta Græcam etymologiam diligentiùs intuenti Christum ferens, aut Christi portitor sonat, cujus iste spiritalium adeò gerulus extitit sagittarum; ut mortis pro eo non formidaret accessum: de quibus videlicet sagittis Psalmista proclamans, *sagittæ,* inquit, *tuæ acutæ.* Et alibi: *Sagittas suas ardentibus effecit.*

CAP. IV.

Christophori detestatio idololatriæ, & ad Syriam, relicta patria accessio.

C. Crevit igitur accendentibus annis sacra viri adolescentis industria, omnium simul bonorum fæcundata profectu, jamque obliquo & dedignanti admodum vultu aras, & compagensium ceremonias ita zelo pietatis armata præteriit. Ne tamen patriæ legis, & observantiæ visa sit contraisse mandatis, ipse vero ecclesias clam parentibus sedulus intercessor intravit, suaque pauperibus plena manu distribuens, quia paupertatem jam divite Christo non metuit, mundi gloriam
D. omnimodo respuit. Itaque inspectus Ætheræ puritatis syderibus, telluris emarcuit sordibus. Nam & prudentis animi vigilantia duce uni, quem tamen nondum satis recognosceret, tantæ celsitudinis machinam parere prævidit, adeo, ut ipsum sæpiùs verbo prædicationis extolleret, si parentum sibi formido non obstitisset. Cœlum igitur in tenebris pulsans, sed per quam illuc orbitam divertisset, ignorans, cùm jam virum bonæ qualitatis impleret, quidnam fecit? Quia nemo quidem Propheta acceptus est in patria sua, ipse baculum peregrinationis in manus assu-

affumens viam eft exultationis ingreffus, A. eundi quidem labore fecurus, fi optatæ lucis frui contigiffet amplexibus. Arrepto itaque comitatu cùm jam patriæ fines poft terga relinqueret, propè adjacentis Syriæ limitibus curfu felici fucceffit, nudus quidem thefauro, fed celebris confcientiæ veftitus decentiffimè pallio; non habens peram, vel facculum; quoniam cœleftis fibi præbuit annona folatium.

CAP. V.

Chriftophorus ab Angelo facris doctrinis imbuitur, & Evangelium edocetur.

JAm folis fervidior ortus terris incubuit. Cùmque beatus ille feffis artubus recreationem parans, pallio, quo erat præcinctus, fecus viam moliretur infidere: quia jam in barbaras nationes patriam procul exceffit, genas lachrimarum gratia tinxit, non ut ad mundi delitias, quibus ab infantia renuntiavit, fortuitu quafi tardus Athleta recurreret; fed quia necdum fidei ducem, fub quo militaret, habebat. O falutarium rimulas genarum! O quàm dulces gemmulas lacrimarum! Talis querelæ gemitum divinæ confolationis præfentia fine mora profequitur. C. Ad hanc enim lacrimarum dignitatem Angelorum unus affiftens: quid, inquit, tibi electe altiffimi? Ecce Chriftum, quem hactenus in pauperum victu curabas, futura jam mercede licet induere. Tu tantùm madentibus oculis primò falutarem fieri Baptifmatis infunde lætitiam. Hæc plena eft indulgentia criminum, hæc omnium remiffio peccatorum. Mox Dominicæ Incarnationis, & lavacri Sacramentum, fuæque myfterium paffionis ingreffus, totam fibi Catholicæ fidei nor-D. mam, quam defiderabat, luce fermonis aperuit. Plurima etiam Evangelicæ fibi infinuans præcepta doctrinæ, quæ ftrenuam Dominici talenti expenfionem gloria; quæ inutilem fervum pœna fequeretur, expreffit. Quibus exemplis hunc talem in amore lucrificandi conftituit; ut & fibi creditæ pecuniæ plusquam duplicem ufuram in Domini gremium cum gaudio reportaret. Hæc autem fpiritalis gratiæ inftituta hujus tandem adjectionis idem Angelus fale condivit: *Omnis*, inquit, *qui reliquerit domum vel fratres, aut forores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poffidebit.*

CAP. VI.

Chriftophorus imbre cœlitus demiffo baptizatur.

TAli igitur gratulatus oraculo, lætior quoque mercedis futuræ promiffo, quoniam in fe jam quædam Angelicæ narrationis veftigia recognovit, humili manuum facrificio dignas Deo gratiarum B. actiones immolavit: fufficit, inquiens, Domine, fufficit mihi gratia tua. Ecce oneris tui levem farcinam devota, quamdiu jufferis, cervice portabo: tu tantùm viam, quam fequar, aperire digneris. Nec mora: levigatis pro tempore membris à loco, cui infidebat, exurgens, id, quod reliquum erat, jam jam pro Chrifto peregrè profecturus effecit. Fidei namque gubernaculum manu tenens, anchoram quoque fpei tranquilla jam ftatione componens, per fuam ipfius negationem, fummum fecutus eft præceptorem. Interea nubecula quædam imbrem in fpecie roris aëre fereno collegit. Et quia fortè rivus aquæ, qua ille baptizaretur, fimul cum facerdote non aderat, totam fe divina auctoritate fuper beati viri caput effudit. Baptizatur ergo Reprobus, natusque eft Dei Athleta Chriftophorus, illuminatur Ecclefia, gentili cæcitate confufa. Dum enim illi nubes, ùt dictum eft, baptizandi præberet obfequium, Angelus Domini oblato magni nominis munere fuper eum infonuit dicens: ferve Chriftophore, ecce accepifti Baptifmum in nomine Domini. Quem qui femel pectore fitibundo potaverit, venam viventium aquarum fe inveniffe lætabitur: ait enim: *Qui biberit aquam, quam ego do, fiet in eo fons aquæ falientis in vitam æternam.*

CAP. VII.

Chriftophorus Samonem, urbem Syriæ venit, Evangelium gentilibus prædicaturus, Dagno Syriæ Rege.

HUjusmodi ille verborum non furdus auditor, per incæpti muneris viam, Do-

Domino fiduciam præstante tetendit. A Plurima ergo, dum iret in Domini laudem componens, hæc tandem verba subjecit: gloria tibi Domine, qui mortalis ignorantiæ tenebras tuæ visitationis sydere semper illustras. Hæc dum ille quasi lassabundis artubus requiem meditans, jucunda voce cantaret, quandam Syriæ urbem, nomine Samon à via non longè processit, ubi tunc temporis Christianæ religionis inimicus Rex, nomine Dagnus aris dæmonum culturam festivus exhibuit. Protinus ergo fidei galea caput indutus, gladio quoque spiritali renes accinctus, B civitatem petiit, portas arripuit, atque hæc cœlum intuens adoravit: Domine, qui fecisti Adam, & dedisti ei sapientiam, & intellectum, da & mihi servo tuo lucis tuæ in hac civitate vestigium. Hæc locutus, templum Jovis, quod à portarum non longè distabat ingressu, terrore nudus accessit, multitudinem gentium, quam ibi casu convenire putabat, gratiâ prædicationis expectans. Ubi cum aliquamdiu precum sanctitati vacaret, vox quidem ejus à Domino exaudita cœlos ascendit, sibique impetrata rei op- C portunitatem tulit.

CAP. VIII.

Concursus populi ad Christophorum.

EO namque in oratione constituto, mulier quædam foras civitatem aras Deorum visitare decrevit, sacrificia, quæ ex voto paravit in manibus portans. Cúmque jam portam civitatis ad locum destinatum vellet exire, quia paupertatem census aufugit, saltem inclinato pro D foribus capite Jovis templo reverentiam præstare non abnuit, bonum quidem suæ immolationis eventum existimans, si priùs sibi Jovis gratiam vel devotione cervicis imploret. Hujusmodi ergo causâ à latere viæ deflectens, ex improviso beatum virum videt assistere. Mox rejectis in eum per obliquum quodammodo vultibus, quisnam esset, conspicatur, adeo ut sibi, quasi civium alicui salutationis munus offerre pararet. Sed cùm ille jam honoris, ùt puto, vicissitudinem meditans, eam mutui reverentia vultus inspiceret, illa quia tantam oculorum ejus gravitatem, quasi incredula sustinere non poterat, votivæ immemor oblationis expalluit. Cúmque eum non suæ gentis hominem in ignoti habitus, & formæ qualitate notaret, per viam, qua venerat, fugiendo revertitur. In tantum enim muliebris eam stupor oppressit, ne hoc, quod viderat, plenitudine vocis efferret. Sed cùm parumper mora esset, recepto jam Spiritu ad verba recurrens: ite, ite, clamat, O populi, habetis coram mirabilia, quæ nostrorum nemo prospexit. Hoc itaque clamore civitas ferè omnis exterrita, facto pariter grege ad Ecclesiam è vestigio convolavit, ubi & beatus Christophorus baculo peregrinationis stetit innixus. Studio ergo eum videndi protinus irruit, ac velut agnum mitissimum in medio luporum circumcinxit.

CAP. IX.

Ejus pro conversione populi fervor, & preces ad Deum.

O verè perfectissimum Divinæ clementiæ famulum, cujus venerabilem ingressum non una domuncula, quin immò tota penè civitas obvia simul excepit quæ eo adhuc, coram Ecclesia stante plus quàm ad decem, & octo millia convenisse perhibetur. Erant enim præterea in eadem plebe promiscui sexus centum, & quindecim animæ. Beatus ergo Christophorus, ùt totus in Domini amore flagrabat, imminentem populi globum impavido suscepit aspectu, sua quidem pro Christo morte securus, si hujus, quæ propè astitit, plebis captivitatem sua duxisset virtute captivam. Itaque hujusmodi gregis quantitatem pro usura in Domini sinum cupiens reportare, quia lucrificandi jam tempus invenit, hæc pro circumstantibus verba implorationis effudit: Deus æternæ gloriæ, Deus errantis reparatio creaturæ, da, ut qui per te claritatem lucis inveni, huic populo lumen veritatis ostendam. O speciale hujus charitatis vinculum! O fraternæ compassionis exemplum! Qui lucem, quam ipse jam remota cæcitate videbat, cæcorum mentibus mutuò inspirare fervebat. Nam sicut Apostolus ait: *Charitas patiens est, benigna est.* Item post pauca subinferens, *non est*, inquit, *ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt.*

CAP.

A.

CAP. X.

Populus Samoniticus miraculo baculi Christophori, repentè virentis, ad fidem Christi conversus.

POst hæc non sine astantium admiratione hunc, cui innixus est, baculum defixit in terram, ut saltem miraculo revocaret ad fidem, si qui tardius vocem prædicantis audirent. Stabat itaque populus, quid futurum esset, expe- B. ctans. Ipse autem elevatis manibus has suppliciùs solito preces emisit: Domine Jesu Christe, per quem omnia virent, virentiaque producuntur in germen, fac virgam meam concreta jam radice frondere; quatenus per hanc populus erigatur ad vitam, qui per lignum mortis illapsus est culpam: tu enim quocunque jusseris, terrarum sponte natura sequetur, sicut scriptum est. *Domini est terra, & plenitudo ejus.* Quid enim cum frumenti pauca admodum grana torrentur in messe, jacto centuplicantur in semine. Nimirum C. hæc illa est tuæ voluntatis omnipotentia, per quam & in Cana Galileæ aqua ad nuptias conversa perhibetur in vinum. Ad hanc divini militis vocem, quoniam omnia possibilia noscuntur esse credenti, hæc, quam prædiximus, virga foliorum gemmas erupit. Atque ubi species stipitis florum amænitate vestitur, nobiliùs, quàm de arboribus solet, continuò germen egreditur. Omnis enim, quæ propè astitit, multitudo, divinum opus in hac visione perpendens, idola respuit, D. atque ad Baptismum lætabunda confugit. O felicissimum talis virgulæ stipitem, & tantæ viredinis florem! Hæc illa Aaron manibus trita, & è sicco robore florum redimita suavitate. Ille quidem fructus amygdalarum typus erat Samonitarum; nec minùs illa legalis reverentia sacerdotii hunc quodamodo præfigurabat portitorem Evangelii. Nam & Psalmistæ oraculum in eo jam apertè cognoscitur, qui ait, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion in splendoribus Sanctorum.*

CAP. XI.

Christophorus ad Palatium Regium adducitur, uti maleficus.

CUm ergo tanti viri memorabilis dignitas per urbem jam divulgata transcurreret, quorundam relatu ad regem usque pervenit. Rex itaque non minimi furoris igne succensus de circumstantis militiæ turba misit nuntios, numero ducentos, dicens: Afferte mihi illum maleficum, qui nostram civitatem inutili jam, ùt audio, narratione subvertit. Profecti itaque eum, ùt semper, in oratione prostratum à longè viderunt. Cùmque in eo virum tremendi vultus aspicerent, muta legatione redierunt. Nam & ille etiam, si lingua taceret, spiritu tamen hujusmodi verba psallebat: *Liberator meus de inimicis meis iracundis, & ab insurgentibus in me exaltabis me: à viro iniquo eripies me.* Missi ergo & alii ducenti, cùm eum precibus vidissent intentum, divina innuente clementia cæperunt sibi communicare. Atque ubi vir Deo plenus legatis orandi copiam dabat, accedentes ad eum, oblata salutatione dicebant: Domine, rex noster desiderat te videre. Quibus ille modesto vicissim sermone respondens: si, inquit, visum mihi fuerit, ibo. Attamen vestri causa, quocunque vultis, proficisci non dubito. Arreptis itaque passibus, ubi regalis atrii portas cardo revolutus aperuit, beatæ memoriæ Præsul palatii fores audacter intrabat, immanis quidem corpore, sed animi sublimior quantitate.

CAP. XII.

Dagnum Tyrannum in se accendit Christophorus, Evangelicæ doctrinæ prædicator.

INgressus itaque consistorium, cùm staturæ ejus proceritas cæteris emineret, radiis oculorum ita reverendus apparuit; ut eum non quasi hominem, sed potiùs Angelum æstimarent. Tantum igitur regi terrorem speculo vultûs incussit; ut penè mentis pateretur excessum. Sed cùm post moram mutuæ inter se narrationis verba consererent, beatus Christopho-

phorus à rege, quisnam eſſet, interroga- A. tus, hujus reſponſionis cœpit exordium. Ex nativitate mea dictus ſum Reprobus, poſt Baptiſmum autem meum Chriſtophorus vocor. Deo Chriſtianorum, qui ſolus creavit cœlum, & terram, reverentiam præſto. Rex autem cùm audiret, quia ſe Chriſtianum eſſe confeſſus eſt, irato vehementiùs animo ingemuit dicens: num tu canina facies, mortiferaque progenies Deorum meorum holocauſta contemnis? Per ſummum Numinum Jovem reddam tibi criminis ultionem. Beatus Chriſtophorus ait: quid me vocabulo B. mortis incuſas, cùm tibi jam perpetuæ mortis janua pateat? Idola, quibus ab infantia militabas, inania ſunt, & his, qui ea colunt, æternum generant pro mercede ſupplicium. Hæc radix malorum, hic omnium aculeus vitiorum. Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis. Utinam ſtultitiam tuam recognoſceres, ne amplius Deo vivo, & vero contraires. Hæc perfecta ſalus mentium; hoc regimen animarum; hæc etiam origo virtutum. Initium enim C. ſapientiæ timor Domini, ad quem cùm ſemel caput erexeris, nihil eſt, quod hæc inania, & abjecta mireris.

CAP. XIII.

Quadringenti milites virtute Chriſtophori ad Chriſti fidem converſi, & capite truncati.

AT Rex tantæ claritatis videre lumen indignus, beatum Chriſtophorum tortoribus tradidit, qui eum in carcerem D. mitterent: quod & factum eſt. Sed cùm hæc quaſi minima undarum commotio ſedata tranſcurreret, major quodamodo regi tempeſtas incubuit. Illi enim quadringenti milites, qui, ùt prædictum eſt, legationem regis ad beatum virum ſuſceperunt, bonitatem Dei in ſancto Chriſtophoro cognoſcentes, facto pariter grege militiæ arma coram rege projiciunt. Et quia eis Divinæ pietatis ex parte ſplendor illuxit, idolatriæ tenebris renuntiando dixerunt: nos etiam credentes, Deum Chriſtophori adoramus, & creatori noſtro potiùs, quàm tibi bellare propónimus. Quibus ille ait: ſacrificate Diis, & habete in conſpectu meo gratum militiæ, & honóres primos: dabo etiam vobis auri, & argenti munera pretioſa. Illi autem quia blandicias ſeculi pro Dei amore contempſerunt, quaſi una voce reſpondent: aurum & argentum tecum ſit in perditione: Chriſtus enim ſua nos largius benedictione ditabit. Juvat enim nos fide potiùs armari, quàm ferro. Protinus ſub Imperatoria voce adacto percuſſoris gladio capitalem ſubiére ſententiam, & ideo inæſtimabilis gloriæ in cœlo ſuſcepére coronam.

CAP. XIV.

Nicea, & Aquilina, immiſſæ meretrices ad fidem, & pœnitentiam à Chriſtophoro adductæ.

CUm autem beatus Chriſtophorus, qui tantæ victoriæ ductor exſtitit, recluſus eſſet in carcerem, impiiſſimi regis inſania juſſit duas puellas, ingenuæ quidem pulchritudinis ante ſe invitari, quarum una Nicea, altera vocatur Aquilina. Quibus allatis dixit: ſi illum maleficum veſtri amplexus ad aras Deorum revocarent, condigna vos mercede lætificarem. Quoniam ergo amoris conſueti meretricalem in ſe potentiam noverant, ad famulum Dei aperto carcere audacter ingreſſæ ſunt. Ipſe autem ex more proſtratus, orationi vacabat. Et cùm ad revoluti cardinis ſtrepitum flammas oculorum in terga reflecteret, aſtantes juxta puellæ timore velut exanimes in faciem ceciderunt. Erat autem hora diei quaſi tertia. Cúmque jam circa ſextam horam beatus Chriſtophorus completis precibus caput erigeret, ipſis etiam puellis extenſa manu ſurgendi auxilium clementer exhibuit, atque hæc ſerenatis earum vultibus paterna quadam familiaritate ſubjecit: filiæ meæ, nolite terreri: vobis enim, credite tantùm, præſto eſt gloria: ei autem, qui vos mecum incluſit, inremediabilis pœna. Sed ut apertiùs cauſam veſtræ viſitationis intelligam, converſationem vitæ, quam hactenus habuiſtis, libet à vobis audire. Illæ autem, quia coram eo ruborem culpæ diſſimulare non poterant abjecto verecundiæ pallio, hæc non ſine gemitu reſpon-

dixisse feruntur: Domine, Domine, in omnibus, quibus hoc hominum genus implicari vitiis solet, nos quidem reas tute ipse non ambigis. De reliquo tamen cella meritorum vitam proh dolor! jocundissimam nobis instituit, ubi quicquid pro corporis nostri vili mercede suscepimus, pauperibus in eleemosynam, nudis in vestem, captivis etiam erogavimus in redemptionem. Unde quia nos dignæ cruciatibus culpæ constringunt, tu pro nobis Deum tuum benignus implora; ut indulgentiæ novitas vetustæ cladis vulnus abscidat. Quibus ille respondens ait: ecce, si vos peccavisse pœniteat, renuntiate idolis, credite in Deum, & mecum in oratione participamini. Forsan ipse misericordiam, quam requiritis, gratuita vobis benedictione præstabit. Nam sicut Propheta testatur: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat.*

CAP. XV.

Earundem confessio veræ fidei, & animus ad martyrium paratus.

TAlium illæ, & non minimo quidem gratiarum refectæ solatio, sanctique Christophori institutæ præcepto, communi devotione subjungunt: credimus in Deum verum, & vivum, qui creavit cœlum, & terram, pro quo & in mortem ire non trepidamus. O specialem beati Christophori gloriam! Destinatis ad scortum, sigillum castitatis impressit, & quæ olim fatuis armatæ facibus clam ad juvenum præparabantur amplexus, prudenter obviam sponso accensis fecit ire lampadibus: quoniam & juxta prophetæ vaticinium, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.

CAP. XVI.

Nicea, & Aquilina, in Christiana fide immobiles, gentilium Diis illudunt.

NOcte igitur insecuta cœlum clauditur, & crastinæ lucis ortus in mane prorupit. Tunc rex collecto familiarium cœtu jussit duas sorores Niceam, & Aqui-

A. linam ante se præsentari. Cúmque aperto carcere adductæ essent in prætorium, eas ita sereno vultu futuri nescius compellavit. Nunquid, filiæ meæ, magus ille vestras audivit cohortationes? Ecce munera, quæ promisi vobis, repræsentari jubeo cum certa gratiarum actione in futuro. Illæ autem dixerunt: quin immò tu nostris acquiesce consiliis, & adora Deum, quem prædicavit Christophorus. Ipse enim est, qui creavit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Quibus ille hæc turbata aliquantulum fronte subjecit: num & vos

B. illius malefici potio venenata seduxit? Mementote pulchritudinis vestræ, & hoc, quod noxium bibistis, evomite; ut vobis Deorum placabilis reddatur affectus: alioquin inremediabili vos cruciatu usque ad consummationem mortis affligam. Videntes autem puellæ commotam principis faciem, simulata protinus veritate subjungunt: Quoniam tandem ad nos tua causa reverendus sacrificiorum ordo pervenit; ad hanc priùs solemnitatem tota civitas sub imperatoria vocatione

C. concurrat: ut in conspectu omnium celebrius Diis holocaustum possit offerri. Cùm ergo pro voto puellarum tota ferè civitas in unum collecta conflueret, ubi tubæ sonus sacrificii tempus edocuit, rex sub præconia voce clamavit: Nicea, & Aquilina sacrificate. Ipsæ autem per fenestram respicientes in carcerem, ubi beatæ memoriæ Præsul erat inclusus, sese in ejus oratione commendaverunt. Exinde templum Jovis sub specie sacrificandi ingressæ, iterata voce

D. clamabant: Dii gentilium magni, adjuvate nos. Sed cùm tacentibus oraculis populus diutiùs solito expectaret, Nicea ex cingulo vestis, qua erat induta, laqueum simulacro Jovis imposuit, & ne eum somno, aut operis necessitate à responso impeditum quippiam diceret, impetrato Aquilinæ sororis auxilio faciem ipsius in terra collisit. Mox etiam augustalem Apollinis statuam collata sororis manu trahendi facultate dejiciens, denuo exclamavit: si Dii sitis, surgendi vobis præstate suffragia.

CAP. XVII.

Aquilina, è catasta suspensa, pro Christo vitam dimittit.

INterea de templo circumstantium unus exivit, qui rem gestam apud regem diffamaret. Quo narrante rex furore correptus, invitatis ante se per internuntium sororibus dixit: nunquid dignam meis numinibus reverentiam, me rogante promisistis; & unde hæc miserabilis, quam audio, pœna? Cui illæ respondent: tales sunt, stultissime, dii tui, ut fœminarum viribus minùs fortes appareant. Quoniam, inquit, malefici illius seductæ consilio Deos meos collisistis, vestræ fortuitu mortis exemplo ipsum ad imperatoria præcepta reducam. Jussit igitur in conspectu suo aquilinam manibus, & pedibus constrictis in catasta suspendi, atque ut membrorum tota compago difflueret, magni lapidis pondus calcibus ejus annectitur. Ipsa autem omnibus pro Christo devota suppliciis ad jam prædictum carcerem oculos è regione rejecit. Utque beatum Christophorum precibus aspexit intentum, ira eum verbis suspiria miscens alloquitur: Athleta Dei fortissimè, pro me Dominum tuum implora, pro cujus amore flebili jam passione deficio. Ad hanc puellæ supplicantis vocem cælitus hujusmodi fertur descendisse responsum: filia mea Aquilina, noli timere: per hæc enim brevis momenti supplicia æternæ gloriæ tibi revelabitur janua. His auditis cum gratiarum actionibus Deo Spiritum reddidit, atque in pace obdormiens requievit.

CAP. XVIII.

Niceæ, Aquilinæ sorori, dentes evelluntur. Ejus in his tormentis animi fortitudo.

MIgrante igitur Aquilinâ Nicea eum lacrimis orabat dicens: Domine Jesu Christe, noli me separare à sorore mea: sed, quam in vita dilexi, in passione quoque merear imitari. Missis interea militibus ante regem venire jubetur. Cui ille ait: nunquid adhuc Nicea vete-

A. ris stultitiæ stimulo agitaris? Saltem sacrifica Diis, ne & tu crudeli * examinatione lassata deficias. Illa autem pro Christo mori non metuens: ego, inquit, tormenta tua non timeo. Tunc jussit eam in præsentia sua extendi, & singulariter dentes ejus præcepit expellere. Ipsa verò non, ùt fit in edentulis, balbutiente lingua, solito clariùs exclamavit: ego, inquam, tormenta tua non timeo; quia in rege meo fiduciam habeo: *Dominus enim erigit elisos, Dominus diligit justos.*

* f. exanimatione.

B.

CAP. XIX.

Nicea in ardentem rogum conjecta, rore cælitus demisso, illæsa permanet.

REx igitur cum in tanta nullatenus crudelitate proficeret, jussit in præsentia omnium rogum ignis accendi, & eam ligatis manibus, & pedibus in medio præcepit jactare flammarum. Quod cùm fuisset impletum, beata Nicea ele-
C. vans oculos in cœlum his verbis preces effudit: Domine Jesu Christe, qui per Angelum tuum tres pueros de camino ignis illæsos abire fecisti, libera & me in laudem gloriæ tuæ; ut sciant gentes, quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra. Ad hanc vocem flamma cœlesti rore perfunditur, & eam in nullo contingebat incendium. Nam & facies ejus roseo quodam nitore resplenduit.

CAP. XX.

Niceâ capite plexâ, magna gentium multitudo ad Christi fidem traducta.

D.

QUoniam ergo regalis asperitas velut æstuantibus undique procellis gubernaculo caruit profectionis, misso tandem percussore, eam foras palatium decollare præcepit. Capitalem igitur sententiam pro Christo nequaquam abhorruit, & quæ Dei erant, Deo reddens, in thesaurario cœli victoriosa recubuit. Videns autem non minima circumstantium multitudo tantam in fœmina virtutum constantiam, credidit in Dominum dicens: *Beati omnes, qui sperant in eo.*

CAP.

CAP. XXI. A.

Christophorus ad Dagnum regem iterum adductus, in asserenda recta religione perseverat.

INterea rutilans præco noctis, quem vesperum vocamus, apparuit, atque post moram matutinus Lucifer venturo jam sole processit. Et quoniam Dagnus rex beati Christophori meritis inquietatus tota jam nocte obdormire non potuit, mane facto prætorium ingressus, ita secum murmurâsse narratur: nisi ille maleficus dignam veneficii sui damnationem reci- B. piat, forsitan totum gregem velut ovis morbida incrementata scabie commaculabit. Cumque mox recluso carcere beatæ memoriæ Præsul ei obviam stetisset adductus; quamdiu inquit, te canina imago patientiæ vultu sustinebo? Cui ille ait: beatus esses Dagne, si derelinqueres idola, & sequereris Dominum Jesum Christum. Adhuc, inquit, in stultitia tua perseveras? Respondit Sanctus Christophorus dicens: Deum quidem colere non est stultitiæ: *Lex enim Domini immaculata, convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis*; idola verò timere non solùm est stultitiæ, quin immò omnium extremæ dementiæ.

CAP. XXII.

Christophori, variis suppliciis affecti exemplo tres consules ad Christum convertuntur, ac martyrium subeunt.

TUnc Rex diutius frenis iræ non imperans, jussit eum extendi, & virgis cæsum duriter ferreis ignita, & candente galea in capite cauteriari. Quo viso tres de consulibus misericordia commoti dicebant: væ illi, qui tale supplicium famulo Dei præparavit. O infestissimum semper natalium, qui talem edidit rabiem. Ad hanc exprobrationis vocem ipsi etiam percussoris gladium impavida pro Christo cervice suscipiunt, & ideo immarcescibilem æternæ gloriæ coronam meruerunt.

CAP. XXIII.

Christophorus, ipsis tormentis animosior factus, ignita crate atrociter cruciatur.

INter agendum verò beatus Christophorus exclamavit: Tyranne, Tyranne, quicquid nôsti in suppliciis, magis excogita: quia tantò erit gloria mihi sublimior, quantò sum in tormentis humilior. Quod cum rex ferret indignè, missis tortoribus allatum est ferreum scamnum duodecim cubitorum longitudinem habens, factaque in platea civitatis congerie lignorum ignis copiosus accenditur, in quem præco Dei super ferream cratem extensus imponitur. Cumque carnifices coram rege olei liquorem ardentibus prunis infunderent, craticula ferri à facie ignis divina virtute resolvitur, æstusque flammarum cœlesti rore perfusus extinguitur. Beatus autem Christophorus hilari ultra solitum vultu dixit ad regem: disce miser, quia ignis iste mihi erit in refrigerium; tibi autem, & diis exitiale supplicium. Erat C. autem hora diei jam quasi ptima.

CAP. XXIV.

Dagnus in terrendo minis Christophoro frustra est. Sagitta sine vulnere in Martyrem conjecta.

TUnc ille impius rex dolore perditi laboris, quid facere potuisset, incertus, turbatis omnino visceribus de consistorio, in quo stabat, cecidisse perhibetur in terram. Cumque jam dies in nonam declinaret, recepit vix Spiritum. Ita famulum Dei ad se reversus increpuit: num, inquiens, omnium ferocissima bestiarum sufficit tibi in animabus, quas aberrare fecisti? Cui ille respondens ait: adhuc multæ animæ per me credere debent, forsitan & tu ipse. Quibus ille insultans ait: Nunquid & me discipulum tibi futurum esse promittis? Sic mihi omnium Deorum retributio vivat, & anima, antequam crastina dies ad occasum caput inclinet, tu omnibus, qui à te decepti sunt, turpissimæ mortis eris exemplum. Sed quia jam paratam cœnam vesper ferus admonuit, eo in custodia relicto confusus ab-

abſceſſit. Die igitur inſecuta cùm adductus eſſet ante ſe in prætorium, tum mitibus, tum horrendis eum ita provocat alloquiis: ſaltem placare diis, & ſacrifica. Sin autem; diverſa usque ad conſummationem ſupplicia patieris. Cui ille hæc ſine trepidatione ſubjecit: ego potiùs deos tuos deteſtor; quia fidem meam habeo, quam per baptiſmum accepi. Ad hæc præcepit prædicabilis vitæ virum ad ligneam ſtatuam, quam ipſe in idem opus præparavit, alligari. Diſpoſitis quoque tribus in ordinem ſagittariis, qui in eum jacula mitterent, ille Chriſtiani nominis inimicus ita blaſphemando ſub-B. ſequitur: palam erit, ſi Deus ſuus liberet eum. Cumque illi crebriùs ſagittas in ſancti viri terga dirigerent, divina miſericordia adeò ſibi manum obpoſuit, ne vel tenuem ſanguinis guttam cutis intacta monſtraret. Atque ubi jam ſolis radios palla noctis induit, Dagnus rex beatum Chriſtophorum, ne à Chriſtianis ſolutus evaderet, in cuſtodia ligatum dimiſit. Expectabat enim fidelium multitudo non minima, quæ corpori ſuo humanitatis exhiberet officium.

CAP. XXV.

Dagno regi, ex ſagittæ acumine cæco. Chriſtophorus lumen oculorum recipiendi ſpem facit.

Ergò ut ſequentis auroræ rutilans ortus irruit, ipſe rex plenas ſagittarum pharetras afferens, adducto ante ſe beato Chriſtophoro dixit: veniat Deus tuus, & te de ſagittis iſtis eripiat. Quoniam ergo peccator intendit arcum, paravit ſagittas ſuas in pharetra, ut rectum D. corde ſagittaret, Dominus pluit ſuper peccatorem laqueos, æquitatem vidit, & linguam magniloquam diſperdidit. Namque una ſagittarum, quas habebat in manu, alterum ipſius oculum pharetras protinus egreſſa cæcavit. Tunc beatus Chriſtophorus, ut totus in Domino miſericordiæ viſceribus affluebat, his verbis illacrimâſſe perhibetur: progenies viperarum, & ſtipula æternis parata incendiis: noli jam miſerias tibi lucrari. Ego enim, prout Dominico in hac nocte videbam oraculo, cras hora diei octava certaminis mei laurea fuero coronandus.

A. Cumque Chriſtianæ religionis viri meum cadaver in ſacrario ſepulturæ tradiderint, tu ibis ad locum meæ paſſionis, & facies modicum lutum de ſanguine meo, quod ſi in Chriſti nomine fronti impoſueris, recipies gratiam luminis. *Dominus enim ſolvit compeditos, Dominus illuminat cæcos.*

CAP. XXVI.

Chriſtophori martyrium gladio conſummatum.

Igitur beatæ memoriæ Præſul cùm jam gratæ ſibi mortis tempus inſtaret, data à rege ſententia lictoris gladium prona cervice ſuſcepit. Sed ante à carnifice inducias orationis implorans, has preces ſublimavit in cœlum: Domine Jeſu Chriſte, qui me de tenebris ignorantiæ vocare dignatus es, annue; ut ab hac terra, quæcunque meum corpus in ſua ſede ſuſceperit, furor tuus mea interceſſione procul abſiſtat. Non ibi grandinis, aut ſubita morborum intemperantia ſæviat, flammarumque incendia, & fames nociva te jubente diſcedat. Si quis etiam à diabolo vexatus, vel languoris moleſtia C. præoccupatus, per me in hoc loco tuum nomen imploret, tu ei, Domine, miſericordiæ tuæ manu porrecta ſubveni. Et venit vox de cœlo dicens: Chriſtophore, ubicunque eſt corpus tuum, & ubi non eſt, quicunque invocaverint nomen tuum in ſuis orationibus, quicquid petierint, accipient, & ſalvi fient. His dictis, quia iſtius mundi incolatum ſemper abjecit, adacto iam ferientis gladio, patriam cœli lætantibus obviam Angelis coronatus intravit. Nec mirum, ſi ille Dominici Apoſtolatus particeps fuit, quem & cum beato Jacobo Apoſtolo octava calendas menſis Auguſti victoria mortis ornavit. Licèt enim non una die martyrii ſtolam induti fuiſſent; tamen eandem anniverſariæ celebritatis religionem in Chriſti nobis memoria præſtant.

CAP. XXVII.

Lumen oculorum ad ſepulchrum S. Chriſtophori Dagno reſtitutum.

In craſtino autem poſt paſſionem Sancti Chriſtophori Dagnus rex collecto fami-

familiarium cætu, quonam loco beati vi- A. ri corpus sepulturæ tradiderunt, visurus exivit. Cumque ad Sacratissimum ejus sepulchrum sub duce itineris perveniret, voce magna clamavit: electe altissimi Christophore, ostende mihi virtutem Dei tui; ut & ego credam in nomine sancto ejus. Itaque seorsum in locum passionis suæ deductus, lutum ex sacro sanguine diluit; quod cùm in effossi oculi vulnus imponeret, visum continuò sub divini nominis invocatione recepit. Lingua enim placabilis lignum vitæ. Hilari igi- B. tur animo & vultu Deo, ùt dignum erat, gratias agens: gloria, inquit, tibi Domine, qui facis voluntatem timentibus te. Ponam ergo edictum in omni regno meo, ne quis audeat violare nomen Domini, quod prædicavit Christophorus. Ipsi enim soli est gloria, & imperium, qui mirabiliter universa creavit, & mirabiliùs creata redemit.

CAP. XXVIII.

Miracula ad Sepulchrum S. Martyris facta. Epilogus operis.

Ergo ut talis, & tanta beati viri solemnitas circumjectas regiones per famam illustravit, omnis infirmus ad religiosissimum illius sepulchrum pervenire contendit, ubi inter cætera miraculorum genera cæcis visus, surdis auditus, claudis gressus, manu etiam capitis prior reparatus est actus. Quæ verò prætereа Dominus per illum mirabilia fecerit, nos jam velut nutante gressu aliis currenda relinquimus; cùm & illis nostrum ingenium succubuisse non pudeat, & nobis hæc eadem nequaquam sine metu notâsse sufficiat. Ejus namque inaudita quantitas signorum hodieque diffunditur toto orbe terrarum, præstante Domino Jesu Christo, cui laus, honor, & gloria per immortalia secula seculorum.

Amen.

ACTA
ET
MIRACULA INTEGRA
S. HERCULIANI,
SEU
HERCULANI
EPISCOPI PERUSINI, ET MARTYRIS.

AUCTORE
ANONYMO PERUSINO.

Prodeunt ex Cod. MS. Monasterii Mellicensis Operâ R. D. P. Heinrici Pachshmid, Benedictini Mellicensis.

INCI-

INCIPIT PROLOGUS IN PASSIONEM SANCTI HERCULIANI EPISCOPI ET MARTYRIS.

EX prima conditione multum A. debemus creatori, plus etiam reformati eidem redemptori: quia omnipotens & misericors Deus mirabiliter de limo terræ nos formavit, sed mirabiliùs nos perditos restauravit. Et valde fuit mirabile, cùm de non esse nos esse fecit. Sed satis mirabiliùs, cum sola sua misericordia nos redemit. Qui etiam sacras instituit scripturas ad nostram doctrinam, ne ignoraremus, quam deberemus ducere vitam. Et ut teneremus iter nostræ salutis, per sanctos viros præbuit imitanda exempla virtutis. Multa B. etiam miracula per sanctos suos est operatus, quibus infideles ad fidem, fideles verò ad frugem virtutum trahere est dignatus. Redemptor itaque noster omnipotens Deus humanam desiderans salutem, elegit beatum Herculianum sibi in sacerdotem, quem Episcopum Perusii & martyrem prævidit. Cujus miracula quia nec lingua dicere, nec memoria alicujus valet tenere omnia, pauca, quæ oculis nostris vidimus, vel eos qui vide- C. re referre audivimus, scribamus. Sed priùs unde venerit, & à quo Perusii institutus fuerit, & sub quo passus fuerit, quod etiam miraculum post suum martyrium per ejus sanctitatem factum esse Gregorius in dialogo dixerit, audiamus, ut ordinem, qui quodam filo procedat, dicamus.

CAP. I.

S. Herculiani, ejusque propinquorum & sociorum adventus Romam Juliano Imperatore.

SAnctus igitur Herculianus natione Syrus cum undecim suis consanguineis Romam divina dispositione venit de Syriæ partibus, quorum hæc sunt nomina: Johañes & Tedula, Ysaac & Abundius, Carpoforus, & Laurentius, Paulus & Paractilis, atque Anastasius. Qui dum occultè multos paganorum ad fidem converteret, sanctoque fonte sanctificaret baptismatis, templorum sacerdotes intimaverunt Juliano imperatori, quendam nomine Anastasium cum duobus suis filiis Eutycio & Britio & nepotibus totáque parentela Romam de Syriæ partibus venisse, ac multos ad fidem Christi convertisse. Quo audito Julianus, ut cum Herculiano & cæteris adduceretur, jubet. Qui dum adducti fuissent, & à Juliano Augusto interrogati, cur Christo credendo insanirent, seque illi sanos esse in fide Christi respondissent, Julianus pessimus nodosis fustibus mactatos in carcerem jussit eos retrudi, & ut sic eos posset vincere, longa fame affligi.

CAP. II.

Acta S. Anastasii, Britii, & Proculi, hujusque innocentia ab Eugenio Papa terrore divinitus incusso agnita, &c.

POst multum verò temporis de carcere extractos præcipit ad aquam Salviam duci, atque ut alios terreret, caput Sancti Anastasii in eodem loco abscindi. Cùm autem filii ejus & nepotes tantam audissent persecutionem in Christianos, Domini nostri præceptum sequentes quod dixit: si persecuti vos fuerint in una civitate

tate fugite in aliam, ab urbe Roma diverterunt, & in locum, qui dicitur via Cornelia, devenerunt. Ubi poſtquam ad invicem ſe exhortati ſunt & oſculati, Eutycius reliquit Britium in partibus Cernii, & perrexit in partes Vulſenii, ibique multis annis eremiticam duxit vitam. Britius autem cum aliis fratribus ſuis in partes Valeriæ in urbem ſpoletanam devenit, relicto Proculo in Colonia, quæ dicitur Narnia ſuper caſtrum Craſulanum, in quo erat vir ſanctiſſimus Veloſianus, cum quo ſanctus Proculus ſpiritualem ducens vitam, tantam gratiam ſanctitatis erat B conſecutus, ut à Veloſiano ordinatus presbyter, miſſam in cœlo, antequam ſol ſuper terram ſurgeret, in die ſanctæ reſurrectionis eo complente canonica verba audiret, & ſic poſtea Domino hoſtiam imolaret, atque ſic demum corpus reficeret. Quod cum fuiſſet denuntiatum Eugenio ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Epiſcopo, miſit ſuos cubicularios qui loris aſtrictum eum ſine mora ad ſe perducerent. Qui dum clam in caſtrum Craſulanum venerunt, & beatum Proculum ùt renunciatum fuerat, facientem invenerunt, C cum jurgio eum apprehenderunt, & nolentes ab eo accipere Euchariſtiæ communionem, quam dicebant potiùs eſſe execrationem, ad Eugenium ducere cæperunt. Quibus ducentibus igniferæ & validiſſimæ coruſcationes in via oſtienſi minabantur mortem, eò quòd ùt hoſtem ducebant ſanctum Proculum, nec benedictionem communionis ab eo acceperant. Proculus autem cum Eugenii cubiculariis veniens, ante ſe vidit cervam cum hinnulis ſuis itèr carpentem, quæ jubente Proculo fixit pedem, & ſtans expe- D ctavit eum, & dedit potum omnibus ſitientibus ex lacte ſuo. Eadem nocte flagellavit Deus Eugenium, admonens, quòd beatus Proculus rectè egiſſet, nec ex eo, quod fecerat, corripiendus eſſet. Qui perterritus miſit velociſſimos curſores, ut ubi invenirent hominem Dei, cum magno honore reducerent in caſtrum Craſulanum.

CAP. III.

S. Herculiani à S. Britio in Epiſcopum peruſinum facta ordinatio, A bujusque martyrium ſub Rege Totila, ex Dialogo S. Gregorii M. relatum.

Poſtquam autem Britius cum cæteris venit in civitatem ſpoletanam, & verbum Domini in illis partibus cæpit prædicare, & idola deſtruere, nunciatum eſt Turgio & Leontio atque Martiano, qui erant Proconſules, quod de Syriæ partibus veniſſent quidam, qui ſubtraherent populum in doctrina hominis illius, qui fuerat invidia crucifixus à principibus ſuis. Quo audito proconſules miſerunt miniſtros ſuos, & fecerunt Britium cum fratribus ſuis adduci, & graviter eos cædi, atque in carcerem retrudi. In eadem verò nocte terræ motus factus eſt magnus in regione illa, ubi Marcianus erat, & oppreſſit viginti de paganis in confractione palatii. Angelus autem Domini cum beato Petro venit ad carcerem, ubi Sanctus Britius orabat. Quem Sanctus Petrus proſtratum in terra elevans manu erexit pedibus, & dixit ei: Eſto fortis in doctrina Domini, & doce populum, qui crediturus eſt Domino. Poſt hæc conſecravit eum in ordine Pontificis, ut per ſingulas civitates Epiſcopos ordinaret. Sanctus itàque Britius per angelum cum ſuis de carcere liberatus, ſpoleti Johanem conſecravit metropolitanum Epiſcopum. Bevaniæ verò Vincentium & Victoniæ ordinavit Scleppio doctum Epiſcopum, Peruſii verò Herculianum nepotem ſuum virum ſanctiſſimum, qui in eadem Peruſina civitate poſt multa lucra animarum, quas Deo ſua prædicatione & exemplo acquiſivit, vitam martyrio ſub Totilæ tyrañide finivit, quod beatus Gregorius in dialogo ſic dicit. Nuper floridus venerabilis vitæ Epiſcopus narravit quoddam memorabile valde miraculum dicens: Vir ſanctiſſimus Herculianus nutritor meus Peruſinæ civitatis Epiſcopus fuit, & ex converſatione monaſterii ad ſacerdotalis ordinis gratiam deductus. Totilæ autem perfidi regis temporibus eandem urbem ſeptem annis continuis Gothorum exercitus obſedit. Ex qua multi civium fugerunt, qui famis periculum ferre non poterant. Anno verò ſeptimo nondum finito obſeſſa urbe Gothorum exercitus intravit. Tunc comes, qui

qui eidem exercitui præerat, ad regem A. Totilam nuntios miſit, exquirens, quid de Epiſcopo vel de Papa fieri juberet? Cui ille præcepit dicens: Epiſcopo priùs à vertice usque ad calcaneum corrigiam tolle, & tunc caput illius amputa. Omnem verò populum, qui illic inventus eſt, gladio extingue. Tunc idem comes venerabilem virum Herculianum Epiſcopum, ſuper urbis murum deductum capite truncavit, ejusque cutem jam mortuo à verticè usque ad calcaneum incidit, ut ex ejus corpore corrigia ſublata videretur, B. moxque corpus illius extra murum projecit. Tunc quidam humanitatis pietate compulſi, abſciſſum caput cetvici apponentes cum uno parvulo infante, qui illic extinctus eſt, juxta murum corpus Epiſcopi ſepulturæ tradiderunt.

CAP. IV.

Corpus S. Herculiani ad Eccleſiam S. Petri translatum. Puer dudum mortuus ad vitam reſuſcitatus, aliaque propè innumera miracula ad S. Herculiani invocationem facta. C.

Cumque poſt eandem cædem die quadrageſimo rex Totila juſſiſſet, ut cives urbis illius, qui diſperſi erant, ad eam ſine aliqua trepidatione remearent, hi qui priùs famem fugerant, vivendi licentia accepta reverſi ſunt. Sed qui vitæ Epiſcopi fuerant memores, ubi ſepultum eſſet corpus illius, quæſierunt, ut juxta honorem debitum in eccleſia beati Petri Apoſtoli humarent. Cumque itum eſſet ad ſepulchrum, effoſsâ terrâ invenerunt D. corpus pueri pariter humati, utpote jam die quadrageſimo corruptum, & vermibus plenum, corpus verò Epiſcopi ac ſi eodem die ſepultum. Et quod eſt magna admiratione venerandum, ita caput ejus unitum fuerat corpori, ac ſi nequaquam fuiſſet abſciſſum. Sed nec ulla veſtigia ſecti hominis apparebant. Cumque eum in terra verterent exquirentes, ſi quod ſignum vel de alio monſtrari inciſio potuiſſet miniſtri, ita ſanum atque intemeratum omne corpus inventum eſt, ac ſi nulla ferri inciſio tetigiſſet. Die verò altera parentes cum matre pueri, ut lugerent, ſicut mos eſt, ad ſepulchrum venientes, invenerunt corpus prædicti pueri extra ſepulchrum divina providentia factum, ne tam ſanctiſſimum corpus alio corpore coinquinaretur. Diſpoſitione autem Dei translatum eſt ſancti Herculiani corpus in montem Calvarium, & in Eccleſia beati Petri Apoſtoli, ùt decebat, eſt reconditum, ibique ſupradictum puerum jam vermibus ſcaturientem à mortuis reſuſcitavit, & alias virtutes per eum Dominus operatus eſt. Vixit autem reſuſcitatus puer poſtea ſeptem annis. Et poſtquam migravit de ſæculo, in eadem Eccleſia ſepultus eſt.

Quamvis autem & de ſancto Herculiano pauca ſunt perſcripta, per ea tamen quæ ſcripta ſunt, qualis quantique fuerit meriti poteſt intelligi. Cùm enim inter tot ſanctos viros qui converſabantur cum ſancto Britio, quorum alii fuère martyres, alii verò Confeſſores ſummi, beatus Herculianus electus ac conſtitutus Epiſcopus Peruſinus, quantæ ſanctitatis & virtutis creditur fuiſſe, quem inter tales atque cum talibus vitam ſcimus & converſationem duxiſſe? Cumque multi viri ſola confeſſione ſine effuſione ſanguinis miraculorum virtutibus fuère clariſſimi, multi etiam ſola effuſione ſanguinis cum fide ſine præcedenti religione vitæ fuère ſanctiſſimi, non eſt dubium ſanctum Herculianum virtutum ſanctimonia fuiſſe excellentiſſimum, cum ex monachica converſatione ad Epiſcopale deductus eſt officium. Multas quoque paſſus cum beato Britio cæterum macerationes, & iniquorum perſecutiones, atque pro Deo fideique confeſſione multa pericula ac labores, tandem finivit vitam martyrio. Miracula etiam, quæ per eum Dominus eſt operatus, inter cæteros eum eſſe digniſſimum præbent indicium. Licèt autem legamus Dominum noſtrum per ſanctos viros & ante adventum & poſt adventum ſuum multa feciſſe miracula, quæ maximè in naſcentis Eccleſiæ initio & converſatione fidei erant neceſſaria, per nullum tamen Sanctorum tot legimus eſſe facta mirabilia, quot humana corpora in diverſis mundi partibus ſenſerunt per ſancti Herculiani merita. Nullus etenim ſcit, vel valet per ſingula narrare, quan-

quanta Deus omnipotens beneficia con- A. tulerit omnibus beatissimi Herculiani virtutem implorantibus, ejusque auxilium deposcentibus, Siquidem in mari, & in diversis, ac longinquis partibus terrarum, quàm multi locum, in quo quiescat, ignorantes, sed solum nomen ejus invocantes, sanitatem receperunt, & à periculis evaserunt.

Sed quid de multitudine ac magnitudine miraculorum longe à sepulchro sancti Herculiani in Francia, Anglia, Alamania, Ungaria, atque in multis aliis locis factorum dicamus, cùm etiam ea, quæ ad sepulchrum ejus facta sunt, vel quæ ab illis, qui ad memoriam ejus venerunt, an- B. tequam venissent, aut postquam recessissent, exaudita sunt, innumerabilia existunt? Cuncti namque Clerici ac Perusinæ civitatis laici non valent recordari omnium eorum, quæ in ipso loco facta & visa sunt, miraculorum: his etiam prætermissis, qui clam exauditi inclinato capite de recuperata sanitate gaudentes, & referre Deo sanctoque Herculiano laudem coram populo nescientes, vel negligentes recesserunt, nec apud memoriam sancti Herculiani, sed postquam C. reversi sunt, domi virtutes sancti, quas gesserat, notificârunt. O beate Herculiane quàm es desiderator & adjutor salutis humanæ, cùm Deus tuis tot præstet beneficia, quòd etiam ipsi, quibus præstantur, non valent narrare; non enim possunt dinumerari. Et à multis quæsivi, non tamen audire de omnibus valui, quot claudis gressum, cæcis visum, singulisque membris Deus per invocationem sancti Herculiani sanitatem restituit. Multa quoque dæmonia antequam etiam D. dæmoniaci venirent ad sanctum corpus, expulit. Et qui priùs latrabant, & vi dæmoniaca ducti laborabant, liberati Deum & sanctum Herculianum laudabant.

Hoc etiam accedit ad virtutum magnitudinem vel multitudinem sancti Herculiani, quòd multos contractos multosque ægrotos, ab aliqua parte corporis læsos sanavit, de quibus nulla habebatur fides, ut possent sanari, & in tantum erat incredibile, ut multi non respicientes ad virtutem sancti & mirabilia Dei, dicerent, tunc eos fore sanos vel sanitati restitutos, cùm ignis fieret aqua, vel frigida naturaliter calida, vel nix petra nigra, sicque non credebant sanitati restituendos, quemadmodum agnum non posse esse lupo fortiorem, vel talpam tygride velociorem, vel passerem milvo majorem, atque adeo diffidebant posse fieri, ut sanarentur, quod etiam securè tanquam nunquam illud quod denegabant, accideret, nec illud, quod vovebant, cogerentur per votum efficere, promittebant se ea conditione relicturos mundum, cùm viderent eos sanitati restitutos. O Deus immense præ cunctis & metuende, ea sunt nobis incredibilia, quæ apud te sunt facilia; hæc nobis sunt miranda, quæ, quantum ad tuam virtutem in nulla admiratione sunt habenda. Quid enim mirum vel incredibile si sanes partem, cùm facias totum, vel si facta restituas, cùm de nihilo mirabiliùs multa perficias? Vel si cœlestia, quæ fecisti cogitemus, quid ea, quæ fiunt in nomine tuo miramur? Te igitur omnia posse credentes, & credendo in omnibus te laudantes dicamus: benedictus Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Et ideo Christe prædicaris in sanctis tuis mirabilis, qui das eis potestatem faciendi, quæ facis, quemadmodum tu pater corporali præsentia promisisti discipulis tuis dicens: hæc, & majora horum facietis. Majora namque fecit Petrus, quam fecisset in mundo conversando Deus. Siquidem sola umbra multos sanavit ægrotos. Majus etiam fuit, quod sanctus Herculianus resuscitavit puerum vermibus plenum post diem mortis suæ quadragesimum, quàm quòd Deus Lazarum quadriduanum. Quòd à nullo alio sancto legimus factum, videlicet per tam longum tempus mortuum resuscitatum, nisi à sancto Petro Apostolo, qui resuscitavit, quendam, quem miserat ultra montana prædicare, longo tempore jam defunctum, solo ejus baculo misso ad cadaver resuscitandum.

Quod autem tanta à Deo sanctis est tributa mira operandi potestas, & quod sancti per diversas partes mundi apud Christianos faciunt miracula, non est sine causa. Nam Deus, qui pro salute humani generis descendit ad terras, & factus homo de MARIA virgine mortem crucis pro nobis passus est, multis modis monet nos, & bonos esse hortatur, ne pereamus. Quia per prædicatores suos & divi-

divinam scripturam docet nos declinare A. à malo & facere bonum, non ad suam, sed ad nostram salutem. Spiritus etenim sanctus ut boni simus, corda nostra visitat, bonæque operationis cogitationem in nobis generat, quam sæpe perimit carnalis delectationis levitas: quin etiam aliquando adversis, quatenus à malis retrahamur, exasperat. Aliquando bonis blanditur, ut mala mens beneficii causa resipiscat. Aliquando etiam per merita Sanctorum operatur miracula, atque exaudit deprecantium vota, ut maximè qui exaudiuntur, recognoscant se B. culpabiles & fure ingratos, si non corrigantur à vitiis, saltem per impensa beneficia corporalia, & alii qui vident tantam virtutem à Sanctis fieri, studeant per pœnitentiam & bonam operationem ad eorum consortium ire. Et sicut facimus vota, & fundimus preces, atque offerimus oblationes, & cingimus altare, ut sanctus intercedat pro salute corporali, sic debemus implorare sanctos pro salute spirituali. Sed multi fratres si sint ægroti, conantur ad corpora Sanctorum ire pro recipienda sanitate corporis, qui, cùm C. sunt sani, nolunt movere pedem ad implorandam Sanctorum præsidio salutem animarum. Nos autem fratres memoriam sancti Herculiani semper sive sani sive ægroti veneremur, quatenus sua per merita, quæ scimus sanasse multa corpora, intercedat pro animabus nostris salvandis apud divinam clementiam. De cujus miraculis, quæ ego vidi vel referri ab his, qui viderunt, audivi, quorumque cereas figuras, aut alia signa in Ecclesia & super altare pendentia perspexi, D. pauca subscribam.

CAP. V.

Mulier implorata S. Herculiani ope in mamilla, fœdo tumore, ac fistulâ deformi sanata.

Sanctissimus igitur Herculianus virtutes suas quas multotiens & in multis clara fuerat operatus, volens aperire ad salutem animarum, ut sicut ipse Præsul sanctitatis vivens ore suo multos docuerat, & ad viam sanctitatis adduxerat, ita sua merita notificata quodammodo monerent homines relinquere peccata sua. Anno namque millesimo centesimo nono manifestissimum miraculum operatus est. Nam mulier quædam parturiens, nocte quadam vidit in se ruentes teterrimos Spiritus, manè verò in mamilla, sensit tumorem & dolorem maximum. Sed postquam medicamine vulneris sperans sanari, ferro fecit operiri tumorem, mamilla fistulata malum est auctum in tumorem & dolorem multò majorem. Et quantò plus aliquis ei medicabat, tantò plus malum pejorabat. Et in tantum succreverat quòd costam pectoris jam tacta tangebat, ab imo etiam pectoris usque ad collum totum corpus ante & retro tumuerat. Mulier quoque de vita sua jam desperaverat, jam per viginti & quinque dies continuos dormire & comedere ferè non poterat, omnemque medicinam propter tastam, quam plus uno semisse longam habebat in mamilla, postposuerat. Tandem verò mortem expectans, in Spiritu admonita cœpit implorare non in ore, quia non poterat loqui, sancti Herculiani merita. Jam sola cordis imploratione lingua ad suum officium rediit, jam sibi melius sentire cœpit, & statim procuratorem altaris sancti Herculiani ad se venire fecit, per quem pannum pro corporali, & ceream mamillam cum votis ad memoriam Sanctissimi Herculiani mandavit. Sequenti verò nocte, quæ jam viginti duobus diebus non dormierat, salubriter cœpit dormire, atque eâ dormiente, quod est mirabile dictu. & mamilla soluta est, & tasta per se exiit: manè verò mamilla ita sana facta est, ut vix signum cicatricis in ea appareret. Quod miraculum auditum non credidi, donec ab ipsa muliere multis aliis astantibus sic esse factum audivi, & esse mamillam sanatam meis oculis vidi, quam mulier cum viro suo gaudens atque laudans Deum ac beatum Herculianum coram multis ostendit. O beate Herculiane, quàm benè fecisti, quòd tua miracula primò sanando mamillam, mamillam manifestare fecisti. Quia in scriptura divina mamillæ significantur ubertate doctrinæ: & tu miracula tua volebas aperire ad exhortationem sanctæ vitæ. Et sicut homo cum lacte nutritur, indeque sumit alimentum, sic inde per mi-

miraculum tuum homo inſpiratus benè A. operandi ſumat documentum.

CAP. VI.

Puella, & vetulus contracti, ad ſepulchrum S. Herculiani membrorum vigorem recipiunt.

PRædictis miraculis alia ſuccedunt ſancti ejuſdem virtute. Erat enim quædam puellula ſeptem annorum, quæ crura & gambas ad ventrem compreſſas habebat, & plicatas ſine mobilitate nervorum. Nec gradiebatur, ſed quocun- B. que debebat ire, ulnis alicujus portabatur tanquam faſciculus lignorum. De qua ſic contracta per unum ferè annum, placuit Deo per ſanctum Herculianum facere ſuum miraculum, in ſancti Benedicti memoria, quæ tunc fuit in Sabbatho Olivarum, Nam dum quædam ejus amica deportavit ad corpus ſancti Herculiani puellulam, atque ei poſitâ genua flexit in terra ad orationem faciendam, volvens caput reſpexit ad ſe neptem ereptam, quæ gaudens ſurrexit atque C. laudans Deum præ gaudio flere cœpit. Quod ipſa mihi ſic eſſe factum retulit, dum me vidente cum puellula, quam tenebat manu, gradiente de Eccleſia exiit. Quo viſo miraculo, ipſe cœpi ferre laudes, & benedicere Sanctum Herculianum. Sed ego, dum diſcedentem puellulam ſuis pedibus, quæ non per ſe venerat, mirando aſpiciebam, ecce vetulus quidam non multùm curvus, nec benè rectus fuſtibus ſe ſuſtentans adveniebat, quem illi, qui mecum tunc temporis aſtabant, de miraculis ſancti Herculiani comemorantes D. ajebant, non multò ante in baratrali lectulo, cùm à ſuis adductus fuiſſet, & à porta eccleſiæ uſque ad corpus ſancti Herculiani poplitibus ac manibus quaſi quadrupes, quia non poterat incedere pedibus vel ſuſtinere cruribus, iviſſe, ibique tunc ita ſanitatem recepiſſe, quòd, ſicut videbam, quò volebat, iret. Unde apparet, quòd beatus Herculianus in cujuscunque ætatis hominibus æque miranda operari valet.

CAP. VII.

Uſus pedum debilibus, & colliſis reſtitutus. Alia plura miracula, quorum ſigna ſint anathemata ad S. Herculiani memoriam conſpicienda.

ALio autem tempore quædam ſpoletana ad ſancti Herculiani pro recuperanda ſanitate venit menta, quæ membra extenſa atque integra habebat omnia, non tamen poterat ſurgere vel pedibus ſtare, neque ad ſedendum per ſe ſe erigere. Quam ejus filius, qui erat presbyter equo ad implorandam ſancti Herculiani virtutem adduxit. Et oratione atque oblatione facta ante ſanctiſſimum corpus adduxit Herculiani, ad hoſpitium propè eccleſiam. Manè verò ſurrexerunt, ut recederent diluculo: mulierque ſana facta per ſe ſurgens, & exiens de lectulo ad equum vadens equitare cœpit per ſe, & exivit de hoſpitio, & gaudentes receſſerunt ignorante & dormiente hoſpite, nec ſunt reverſi ad eccleſiam, ut laudes promererent, ſed ingrati ùt leproſi, quos ſanavit Dominus, abjerunt non inclinato capite. Sanctus autem Herculianus non ſolùm membra ſupradictis aliisque multis modis debilitata reſtauravit, ſed etiam fracta ſanavit, quæ etſi non ſcribamus, de uno ſaltem dicere non negligamus.

Dum ſuper altum murum volvens petram erat quidam non benè ſe regens in altitudine, fortè ruit ad ima. Tantæ verò altitudinis erat caſus, quòd ſatis fuit mirum, dum ad terram pervenit, quòd erat vivus. Qui tamen Deo ita regente caſum non eſt quidem mortuus, ſed in membris eliſus, atque gamba ex toto fractâ ita, quòd caro pelliſque crepuit, & exierunt ſanguis & oſſa. Quæ licèt à medico procurata videretur quolibet modo & ſanata, os tamen diviſum & fractum cicatrice facta ita pendebat & erat transverſatum, quod ſi gamba moveretur, videbatur ipſe homo perdere flatum. Jam deſperabat inde fieri ſanum, & gambam incidere medicus hortabatur: ſed poſtquam ſanctum Herculianum eſt deprecatus, ut ſibi mederetur, atque vovit ſe nunquam de ſervitio ſancti Herculiani exitu-

exiturum ſi gamba ſanaretur, tunc beatus A. Herculianus medicus ſine ferro & unguento eſt medicatus. Dum enim prædictus homo precibus & votis ante corpus poſtulabat ſanitatem, eadem horâ cicatrix eſt aperta, & fragmen oſſis transverſatum cum multo ſanguine proſilivit, ſieque homo factus ſanus propè modum cæpit ire, quo voluit. O ſancte Herculiane, quis valeat tuas virtutes dinumerare, quas tu feciſti dando in ſingulis membris ſanitatem? Quas ex parte oſtendunt cereæ figuræ, quæ pendent in eccleſia & ſuper altare. Sed multò plures diceris feciſſe, per diverſa mundi climata quàm B. nos audiverimus, vel oſtendant cerea ſimulachra. Multæ tamen ad tuorum miraculorum memoriam & laudem videntur in eccleſia ſancti Laurentii pendere imagines, capita, naſos, maxillas, gulas, brachia, digitos, ungulas, pedes, crura, alteraque membra, ex quibus conſtant humana corpora, per te diverſis modis ſanitatem recepiſſe ſignificantes. Illi ſunt quoque innumerabiles, quorum nullæ ſunt factæ imagines, qui poſtquam venerunt, vel ſunt adducti ad Sancti Herculiani ſanctitatem, receſſerunt læti receptâ ſanitate, qui ſi non per ſe value C. runt venire gaviſi ſunt redire: ſi in capite patiebantur, aut in aliquo membro, ſtatim non multo poſt ſanitatem in eo conſequebantur. Nec non alii multi qui fuêre ſurdi vel muti, officiis propriis ſunt reſtituti. Sed & quàm plurimos audivimus eſſe exauditos, antequam ad corpus venirent facta oratione & devotione in locis, ubi erant. Et quia cunctos, quibus reddidit viſum, vel liberavit beatus Herculianus à Dæmonio, nequivimus percurrere, de paucis dicamus, quæ audiendo didicimus. D.

CAP. VIII.

Bonicio cuidam patrocinio S. Herculiani lumen oculorum bis impetratum.

Quidam juvenem ſanenſem rubei coloris pulchræque ſtaturæ Bonicium nomine, cæcum per ſeptem annos fuiſſe retulerunt, cui reſtitutum lumen per virtutem ſancti Herculiani multi noverunt. Qui cùm eſſet incolumis & ſpes miles, magnam habens audaciam non timebat vel laudabat Deum, qui talem eum fecerat, ſed tanquam poſſet contra ſtimulum calcitrare, & impunè longo tempore pravè agere, cæpit deprædari & quoseunque poterat, lædere; nec pro Deo deſiſtebat mala facere quæ poterat. Sed dum in malitia ſua perdurans non cogitabat puniri, divina virtute lux de cœlo veniens percuſſit eum in nocte Nativitatis Domini deprædari euntem, & abſtulit ei lumen. Poſtquam verò jam ſeptem annos in ſua cæcitate demens & miſer factus de virtutibus ſancti Herculiani audivit, ductorem, qui eum traheret invenit, & oraturus pro lumine ad corpus ſancti Herculiani pervenit. Sed poſtquam ante altare proſtratus flendo, ſeque peccaſſe multa propter quæ cæcitatem meruerat, confitendo oravit atque miſericordiam Dei & virtutem Sancti imploravit, de intro eccleſiæ exivit foras, ubi ſtans ſub claritate aëris videre cæpit. Qui alacer factus ſubito luminis gaudio eſt reverſus in eccleſiam, ut Deo ſanctoque Herculiano gratias referret. Deinde jejuniis & orationibus invigilans, malos quidem mores damnando pænitens per tres annos, & religioſam ducens vitam, cum luctu pœnitentiæ de mundo exivit. Quem Deus propter mala, quæ operabatur, lumine privavit, & ut emendaretur, poſtea illuminavit. Unde cæteri debent terreri, & à malis omnibus moribus coërceri.

CAP. IX.

Cæco viſus invocato Sancti Herculiani nomine reſtitutus, &c.

Quodam tempore quidam de ultimo regno Jeroſolymam revertens, perdidit lumen, antequam exiret de mari. Qui cæcus factus attigit terram, per duos annos eundo per curias & civitates vivendo eſt moratus in Calabria & in Apulia. Deinde loca illa relinquens lumine privatus venit Romam, Sed dum in domo Petri Leonis pro Deo utpote peregrinus cæcus retineretur, quidam alius peregrinus de ſuis eum locis fore videns,

& compatriotam miſerans eum alloquitur A. dicens: O frater de tuo malo nimium doleo, cùm te juvenem ſine lumine video. Cur non deprecaris ſanctum Herculianum, qui multas virtutes in multis partibus operatur? Et fac ei votum, credo quod recuperabis illius virtute luminis donum, ſiquidem audivi multos jam recepiſſe lumen aliorumque miraculorum virtutem ſenſiſſe. Qui cùm diceret locum, quo corpus ſancti Herculiani veneraretur, ſe neſcire, nec tantam gratiam ſperaret per ullum ſanctum ſentire, rurſus ait conſiliator peregrinus: Ne frater B. deſperes de ineffabili Dei ejusque ſanctorum virtute, neque omittas ſanctum Herculianum rogitare, ut Deus dignetur tibi tuorum luminum oculorum reſtaurare, quia potens eſt ſanctus Herculianus, ſicut multi jam experimento didicerunt, à Deo pro peccatoribus talia impetrare, locumque ubi jaceat, audire, ſi quæſieris, vales atque inveſtigare. His itaque conſiliis cæcus ac ſuaſionibus admonitus & hortatus, fecit quadam nocte orationem Deo votumque ſancto Hercu- C. liano, ut ipſius meritis Deus redderet ſibi lumen, & ubicunque eſſet, pro poſſe merita ſancti Herculiani veneraretur ac coleret. Manè verò facto ſequentis diei Veneris, homo ſurgens cæpit videre ea, quæ erant per domum, apertis oculis, foraſque exiens nec ſe in veritate videre credens, volvit caput, & indubitanter vidit claritatem aëris, & ſingula objecta oculis diſcernens dicebat, quæ eſſent. Qui tanto beneficio ſtupens & lætus non, ùt multi alii, extitit ingratus, ſed multis Romæ, quod ſanctus Herculianus ſibi fe- D. cerat, priùs narravit, & illicò ad referendas grates ſancto Herculiano Peruſium venit, ita quid ſibi contigiſſet, multis aſtantibus ad horam nonam nobis audientibus Miſſam ipſe retulit. Quod miraculum quidem audientes non pia mente ac ſtupore, ùt debebant, acceperunt, ſed tanquam, quæ eſſent miracula, ignorantes, talia ſanctum Herculianum ſæpè feciſſe ſcientes dixerunt: Non ſunt hæc talia apud ſanctum Herculianum inuſitata vel apud nos nova, quia multociens in anno videmus fieri ſimilia. Quidam verò alii meliorem intellectum habentes, piaque hæc, & alia ſancti Herculiani miracula accipientes ac ſtupentes, Deo ſanctoque Herculiano laudes tulerunt, & campanas propter virtutem ſancti Herculiani ſonare fecerunt. Non tamen magis eſt mirum, ſi ſanctus Herculianus reddat alicui viſum, cùm multis reddidit, loquelam & auditum, multisque manuum & pedum aliorumque membrorum ſanitatem & officium, fiſtulas ſiccando, dolores auferendo, & ſecundum ſingula mala medendo, à Dæmonibus quoque multos liberavit eos expellendo, de quibus pauca ſubdantur.

CAP. X.

Dæmon bis ex obſeſſæ corpore ejectus.

Quædam fæmina de monte Tinioſo, quæ videbatur ætatis XV. annorum, dum degebat cum ſua matre & nutritio, quadam die ivit ad fontem ut aquam adduceret, quæ ſitiens, non aquam conſignans, nec in nomine Domini dicens bibit, ſtatimque capta eſt à dæmonio, & cæpit vexari. Sed cum audiebat tintinabula, & Deum nominari, aut crucis ſignum fieri, tunc maxime latrabat atque furebat, multorumque animalium voces faciens lapides projiciebat, quandoque tamen tanquam ſana fœmineum opus agebat. Sed poſtquam mater & nutritius viderunt eam à dæmonio non relinqui, ſed ſæpè vexari, venerunt cum ea ad corpus ſancti Herculiani. Cùm verò civitatem intrâſſet, & per forum iret, videns eccleſiam noluit ulteriùs ire, ſed fremens & frendens ac ululans retro conabatur convertere iter: multitudo tamen ſequens perduxerunt eam usque ad Eccleſiam. Quæ poſtquam intravit Eccleſiam, continuò à dæmonio eſt dimiſſa, & ſana in Eccleſia orationem fecit, ſanaque domum rediit. Poſt tres verò menſes eadem diei hora qua priùs bibebat ad fontem ſitiens, atque oblita ſignare vel benedicere in nomine Domini, bibens vinum dæmon eam iterum invaſit, & frequentius atque ſolito duriùs vexavit. Tunc poſt tres dies quidam homo in ſomno matri apparuit ſpecioſa forma ſenili ætate ùt Epiſcopus paratus, atque ut reverteretur ad merita ſancti Herculiani, eſt adhortatus: quam licèt negotiorum cura atque pau-

paupertas reverti impediebat, vexatio tamen filiæ ad sanctum Herculianum cum ea sicut senex suadebat, redire cogebat. Cùm autem mater cum filia ad ostium Ecclesiæ pervenit, antequam ipsa intraret in Ecclesiam, sanctus Herculianus dæmonem exire coëgit, qui exiens fœminam quasi mortuam in terram projecit, atque recedendo cum sanguine superiùs & inferiùs exeunte viam sibi fecit: fœmina verò per tres horas quasi defuncta jacens suo sensui reddita, surgens se signo crucis signavit, atque intrans Ecclesiam cum matre Deum ac sanctum Herculianum laudando oravit, factaque oratione & laude domum sunt profectæ. Sed sanguis, qui in lapide juxta Ecclesiam remansit, dæmonque exeundo extraxit, per duos menses apparuit.

CAP. XI.

Aliud petulantius, & loquacius dæmonium ex energumena expulsum.

Alio quoque tempore venit à sancto Eyticio ad sanctum Herculianum alia mulier cum dæmonio, qui quandoque corpus invasum terribiliter vexabat, quandoque mira & miraculosa interrogantibus respondebat. Cùm etenim, ubi starent, & quid agerent, atque cur homines invaderent, quidam quæsivit, dæmon in fœmina per os ejus hæc dixit: in cœlum: unde cecidimus, redire nequimus, sed sub cœlo per totum aërem & in aqua & in vallibus & in montibus & in silvis ac ubicunque & infra terram & subtus, aut licentiam eundi super terram, malumque opus secundùm nostram voluntatem suadendi habemus; sed nequicquam nisi quod permissum nobis est, agere valemus, & in quantum rationalis creatura Dei vult nobis credere vel consentire, in tantum gaudemus eam suo creatori nostra suasione subripere. Et angelica quidem natura, quæ non fuit in nostræ superbiæ consilio, remansit stabilita in cœlo, ubi fuit nostra congregatio, & sicut sunt nobis superiores, ita illi angeli, qui remanserunt, existunt super nos dominatores. Primus verò homo, id est, secunda rationalis creatura, quia credidit nostris consiliis dejectus à paradisi gaudiis, subjectus fuit nobis cum omni prole sua, & licèt de nostra manu estis erepti nobis, tamen multos laqueos paramus vobis: & quotiens sentimus aliquomodo cogitare vos, quod placeat nobis, magis ac magis instigamus ad id, quod noceat vobis. Et quemadmodum sumus malorum inceptores, ita sumus damnandarum operationum cooperatores, siquidem juvenimus nostris consiliis assensores. Non enim quimus alicui invito facere voluntatem malam, sed illis qui nobis consentiunt, adulterari, fornicari, homicidium, perjurium, furtum, cæteraque scelera & flagitia faciendi consilium & auxilium ministramus. Sed postquam amici nostri sunt facti, nostrisque muscipulis illaqueati, ne nostros frangant laqueos, elaboramus, & ne per confessionem & pœnitentiam de nostris evadant laqueis, curamus. Quoniam sicut superbiæ laqueo capiuntur, ita humilitate confessionis & pœnitentiæ eripiuntur, & post veram confessionem nescimus, quam faciamus de nostris fugitivis accusationem, ideoque blandimur & facimus consentire in his, quæ caro desiderat desiderabilem delectationem, cùm potiùs sint spinæ, & amaritudo, quantum ad animæ rationem. Nam resipiscentes revertentur ad Creatorem, atque possidebunt eum locum gloriæ, quem recolimus nos irrecuperabiliter perdidisse actu superbiæ, nec non & nos diversis intenti officiis studemus, ut in his, quæ animæ sunt dulcia atque salutifera, ipsa anima à carne superetur, veluti cùm anima & caro in conjugio possint esse sine crimine vel ullo peccato, nos gaudemus, ut potiùs adhæreant fornicationi & adulterio. Cumque melius sit etiam quantum ad corpus, animæ cum aliis concordiam habere & pacem, sæpè tamen esse in discordia & odio homini placet. Itaque cùm nos, & illi simus conjuncti in una voluntate, & inter nos habeamus societatem, quid mirum, si habitemus in una civitate? quippe in quibuscunque sunt crimina, in eis dominamur nos dæmonia. Nec in singulis nostris hominibus singulos dæmones credatis habere dominium, sed unusquisque est servus & habitaculum tot dominorum, quot diversitatum est vas vitiorum: quos etiam corporeus sensus non valet sen-

ſentire, niſi cùm omnium Dominus in A. corpore alicujus cogat nos apertè inſanire, quod ipſe facit non pro nobis, ſed pro vobis, ut quos ſocios habeatis inviſibiliter in peccatis, viſibiliter quandoque ſic percipiatis. Quæ talia ô homo nequaquam tibi dicerem, ſi aliter ea non poſſes ſcire & intelligere, vel ſi per mea dicta homines auferent.* Sed cùm per ſcripturam & prædicatores atque naturalem rationem hæc vobis pateant, nos reticere neſcimus, quid nobis valeat. Licèt autem pater noſter diabolus cum omnibus nobis in quadam Scriptura mendax, nec B. in veritate ſtetiſſe aſſeratur, tamen de talibus nemo credat, ut nos mentiamur.

* ita Cod.

Rurſus verò dæmon interrogatus, quomodo poſſet eſſe infra corpulentam terram, aut usquequaque ſub cœlo manendi habere licentiam, interroganti ita reſpondit: & tu dic mihi cogitationes hominis, quæ in humano ſunt corpore, quomodo penetrant corpora alia, & in diverſis ac longinquis ſunt locis eodem tempore? Et ſi nos perdidimus ſpecioſum cœlum, ubi debuimus eſſe niſi in hoc loco reliquo? hoc tale dæmonium, quod diximus ſic fuiſſe locutum, non potuit manere in corpore prædictæ fœminæ ultra octo dies, poſtquam ad ſanctum Herculianum venit, ſed à ſancto Herculiano expulſum ulteriùs eam non vexavit, quæ ſoſpes domum eſt reverſa, laudes Deo ſanctoque Herculiano conferens.

CAP. XII.

Aliud dæmonium de obſeſſa fæmina corpore depulſum.

Tunc alia fæmina, quæ juxta montem Acutum dicebatur habitare, cum dæmonio venit ante ſancti Herculiani altare, de qua ab illis, à quibus quæſivi, non audivi niſi de partibus monaſterii ſancti Salvatoris, quia cum nimia delatratione atque terribili furore ad ſanctum Herculianum eam, ùt dictum eſt, veniſſe, & eo die, quo venit, liberatam receſſiſſe. Dixerunt etiam quidam de ſancti Laurentii clericis, qui tunc ibi ante altare cùm ipſa venit, aderant, quòd ante altare aliquantulum vexavit eam dæmonium, ſed poſtea compreſſus cum ſanguinis arcu eſt dejectus.

SAN-

SANCTÆ LIUTBIRGIS,
VIRGINIS RECLUSÆ
IN DIOECESI HALBERSTADENSI SÆCULO NONO

VITA

AUCTORE

ANONYMO, MONACHO BENEDICTINO INCERTI LOCI.

Eruta ex Cod. MS. Ochſenhuſano à R. D. Patre Ferdinando Mildenberger, Benedictino Mellicenſi.

VITA

SANCTÆ LIUTBIRGIS RECLUSÆ AUCTORE ANONYMO, MONACHO BENEDICTINO INCERTI LOCI, QUI CIRCA SÆCULUM DECIMUM SCRIPSISSE VIDETUR.

CAP. I.

Hessi Comitis, deinde Monachi Fuldensis, de Carolo M. merita; Filia Gisla, ejusque nepos Bernhardus, & neptes Bilihild & Rhuothild, &c.

TEmporibus Imperatoris Magni Caroli, qui primus in Germaniæ partibus Augusti Cæsaris nomen adeptus est, qui multas gentes Francorum regno subjugavit, & inter quàm plurimas eo tempore nobilissimam, ac præpotentem viribus gentem Saxonum partim bellis, partim ingeniô suô, ac magnæ sagacitatis industriâ; insuper etiam magnis muneribus acquisivit, ex paganico ritu Christianæ religioni subjugavit, quendam inter Primores, & nobilissimos gentis illius nomine Hessi cum aliis quàm plurimis, quibus comitatum dederat, magnis etiam sustentavit honoribus, quia fidelem sibi in cunctis repererat. Is ergò prædictus Hessi masculæ prolis carens unico, quem habuerat filium, in adolescentiæ flore defuncto, filiabus locupletem dimisit substantiam, & tandem grandævus, ac bona ætate profectus, hæreditate filiabus distributa, Fuldense Cœnobium Domino militaturus perrexit, ibique sub monachico habitu A. diem ulimum feliciter obiit. Unam verò de filiabus ejus Gislam, quæ inter alias major natu fuerat, comes quidam in matrimonium acceperat nomine Unvvian, ex quo unum filium habuit nomine Bernhard, & duas filias, unam, quæ vocabatur Bilihild, alteram verò Rhruothilds quibus utrisque in habitu sanctimoniali post obitum viri sui duo condidit monasteriola, unum in loco, qui dicitur Winitbohus in provincia Saxoniæ, in pago, qui dicitur Harthageuvi in saltu, qui vo- B. catur Harzs, qui dividit Saxoniam, & Thuringiam. Alterum in Francia in pago Salogevve in vicinia saltûs Bochoniæ in loco nuncupato Charolterbach, quibus utrisque congregationibus virginum adhibitis prædictas præfecit filias, Bilihildam scilicet in juvando Gusum, Rhruotildam in villa Charolterbach. Ipsa verò in viduitate sua religiosam ducens vitam, post obitum viri sui multa operando, & Ecclesias construendo, eleemosynarum C. largitione sedula, ac susceptione peregrinorum largiflua, ita ut in sexu fœmineo virilem cerneres animum & exercitati diversis in rebus acumen ingenii, pervigilem, nescio, potiùs pietatis mirareris effectum.

CAP. II.

Liutbirgis à Gisla educata. Illius solum natale, ætate studia pietatis, illustris fama &c.

A Liquando igitur hæc eadem prædicta matrona pro causis necessariis, quia plurimis in locis possessiones habebat procurandas, iter agens, in quendam locum devenerat, ubi hospitandi tempus eam urgebat. Ibi etiam & monasterium erat Virginum, congruumque sibi receptaculum, & satis apta suis commodis ædificia ab illis parabantur. Contigit autem, ut inter ministeria puellarum obsequium sibi exhibentium, virgunculam quandam formâ, vel ingeniò cæteris coætaneis suis præstantiorem cerneret, suique in cunctis famulatûs affectibus morigeram, quæ veluti ad nutum illius omnia sagaci mente dirigeret. Tacita consideratione actus, habitusque ejus perlustrans, percunctari cæperat, quænam esset, aut unde originem duceret, quæ natalium suorum, atque conditionis professio? Hæc ergò illi prudenti responsione per ordinem differenti, seque de loco, qui dicitur Solazburg, parentes habere dicenti, indeque progenitam, ac qualitatem conditionis exprimenti, omnesque vitæ suæ conversationes exponenti, & illa libenter talis ætatulæ facundæ rationis sermonem excepisset, conglutinata est subitò mens illius in tantum cum ea, ut summo cæpisset conamine exhortari eam secum ire, & fidei suæ semetipsam committere, sub divina testificatione confirmans in pari dilectione filiarum suarum omni tempore secum eam fore permansuram. His ergo promissionibus illa credula iter cum ea arripuerat, &, ùt credo, divinæ providentiæ nutu, pari consensu voluntas utriusque completur. Nam ùt illa postmodum asserebat, se votum peregrinandi habere, cui Deus, quod in mente habuerat, opportunitate temporis adimplevit. Perrexit itaque præfata puella Liutbirg cum prædicta matrona Gisla usque ad loca possessionis suæ, & ampliùs puella cum ea in summo charitatis persistens officio, de die verò proficiens in diem, & in brevi chara cunctis non solùm his, cum quibus conversabatur, sed & omnibus, qui noverant eam. Permansit ergo in domo dominæ suæ magnæ indolis puella, & variis virtutum floribus singulos crescens in annos. Erat autem in consiliis provida, verax in verbis, in commisso fidelis, in eleemosynis larga, constans in opere, pietate præcellens, erga cunctos benignitate præcipua, curam infirmantium gerens, discordantium sequestra. Cunctis ergò indigentibus miserationis gremium pandens omnes diligebat, & diligebatur ab omnibus. His verò & aliis quàm pluribus muneribus felix pollens virago quotidie gradatim suæ perfectionis cumulum augens magis ac magis placuit tam Deo, quàm hominibus. Erat enim præfata virago Liutbirg aptis, ùt prædiximus, moribus pollens, & præcipuè in divinis laudibus indeficienter, perseverans in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus secundùm Apostolum, in corde suo Domino devotè sacrificium mentis offerens, & ut breviter studium conversationis explicem, quæcunque bona, Deoque placita censuerat, toto cordis ambiebat affectu: mala verò atque mundi illecebras quasi præcipitia voraginum declinabat. In sacris ergo scripturis incessanter exercebatur, & quotidie meditando quantulumcunque proficiens, quousque ad profunditatem intellectûs perveniens, & si imbecillitas sexûs non impediret, docilis existere potuisset. In tantum igitur capax ingenii fuerat, ut diversarum artium, quæ muliebribus conveniunt operibus, illis, in quibus conversabatur locis, præ cæteris circumquaque habitantibus veluti Dædala diffamabatur. Fidelis ergo dominæ suæ permanebat, & ad omnium necessitudinum progventus pia miseratione flexibilis, in tantum, ut mater indigentium dicebatur. Inde factum est, ut vulgò felix fama ejus percrebuit, & ut multi de nobilibus gentis illius proceres, ac Matronæ ad notitiam illius, & ad amicitiam gregatim ac summo conamine affectabant venire, & mirum in modum eis priùs chara esset, quàm nota, & suæ peregrinationis loco plures, quàm in patria possideret amitas.

CAP. III.

Liutbirgis à Gisla moritura Bernhardo filio commendata. Illius apud Reginhildam, & Bernhardum gratia &c.

ADventante jam tempore maturæ, profectæque ætatis, venerabilis matrona Gisla cæperat infirmari, & cùm obitûs sui diem appropinquare cerneret, vocavit ad se Bernhardum filium suum, dixitque ei: fili mi noli negligere sermones matris tuæ, sed ultima præcepta mea libenter intende. Substantiam tibi locupletem derelinquo, diversisque possessionibus, & ædificiis ac cæteris ornamentis, quæ ad hujus præsentis vitæ sustentacula tibi Deo propitiante sufficiunt, ut præ omnibus semper sis memor, ut pro Ecclesiarum restauratione, & recuperatione rerum tuæ procurationi derelictarum, deinde sororum tuarum causas solicitè procurare studeas, & eas justâ, atque benignâ circumspicias diligentiâ, & germana tuearis dilectione; quia muliebris in parvo defectu facilè patitur custodia, si pervigil omnimodo virilis ad tem- C. pus abest tuitio. Unum ergo tibi iterum iterumque commendo, quod fidei tuæ mater tua committit, & speciali summopere petitione, ac materno affectu deposcit, est, filiam ut meam dilectam Liutbirgam, quam promissione fidei adoptavi mihi in filiam, dignis eam honoribus procures, & ut in numero sororum tuarum, ac dilectione conjunctam habeas, & in consiliis præ illis eâ utaris, & quidquid pretiosi suppellectilis possideas, ejus procurationi committas; quia mihi sem- D. per in cunctis fidelis exstiterat. Et manum ejus apprehendens in fidem filii commendabat, & osculans filium, ac salutatis omnibus in pace finivit vitam, & honorificè sepulta est temporibus videlicet Ludovici Imperatoris Patris scilicet Lotharii, Pipini, ac Ludovvici, atque Caroli, filiumque suum Bernhardum reliquit hæredem. Permansit autem venerabilis Liutbirg in domo domini sui, & secundùm matris suæ dispositionem, rerumque suarum gubernacula in tantum possidebat, ut domûs penes eam regimen consisterit penitùs, & maternus circa eam A. Domini sui cum sinceritatis honore permanserit amor, & à cunctis utriusque sexûs domesticis amotis gratiâ pro matre colebatur familias. Accepit itaque Bernhardus conjugem cujusdam filiam Lotharii comitis præclari viri nomine Reginhildam, quæ peperit ei duos filios, unum Patris æquivocum, alterum Ottvvin vocatum, quæ etiam circa venerandam Liutbirgam tanto servebat amore, ut non facilè ad tempus ejus fraudaretur aspectibus, & veluti maternis ab ejus colloquio documentis, venustatis habitum, & honestatis gravitatem moribus gene- B. rositatis suæ prosapiam magnis quotidie profectibus exornabat. Post multùm verò temporis infirmitate detenta immaturæ hactenùs ætatis vitam suis omnibus chara finivit, & summum viro, filiisque mærorem intempestivo discessu reliquit.

CAP. IV.

Bernhardi Comitis tertia nuptia, & inde proles. Liutbirgis vigilia, constans oratio, maceratio corporis.

IDemque igitur Bernhardus juventutis suæ vitam sine consolatione conjugis non sustinens, alteram ejusdem gentis præclaris natalibus editam, pulchramque valde, ac specie decoram conjugem, & ob locupletum matrimonium prioris declinavit vulnus doloris. Quæ namque Helinburg vocabatur, ex qua quatuor filios, ac duas procreavit filias, quorum qui erat natu major Unvvan, secundus Adalvvert, tertius Asic, quartus Ediram, parentum suorum sortiti vocabula, & duarum filiarum nomina Gisla, & Bilihild appellata sunt. Matri ergo nec non & filiis venerabilis Liutbirg solitæ fidelitatis vigorem, & summæ devotionis intimum demonstravit amorem, in tantum, ut illis genitrix potiùs, quàm nutrix diceretur. Memoratus itaque Bernhardus multas habens ex utrisque parentibus possessiones, & ad quæcunque suæ proprietatis loca perrexerat, ejus ad tempus absentiam venerabilis fæminæ non facilè sustinens, quia ut rerum suarum fuerat custos, atque fidelis dispensatrix. Ubi ergo aliquod temporis spatium mansitabat, Ecle-

clesias Dei visitando diebus, ac noctibus A. frequentare non omisit, & assiduè in divino perdurans servitio, ita, ut usque ad lucem diei pervigil in Ecclesia pernoctabat, & nec minus operis divini detrimenta pertulit, ita, ut in cæptis quibusque suis efficax habebatur: ut pertinacia tantæ strenuitatis pro magno tenebatur miraculo, ita cunctis eam scientibus clarè patebat: non imbecillis coporis ejus viribus tam hujuscemodi continuatus labor exactus, sed divinitatis ejus auxilio ejus animi constautiam sine dubio roboratam B. ac superno cœlitus afflatam numine, quæ per tantæ gravedinis onus in tam prolixi temporis spatio nullatenus lassa, vel flexo collo succubuit, sed semper infractis quotidie viribus palæstri certamine contra mundi illecebras, & carnis spurcitias, incentivam quoque corporis lasciviam, ac mentis petulantiam, blandam suadentem mollitiem infesto castimoniæ pede proculcans, & sobrietatis sacculo aculeatos spinarum frutices cum delectamentorum radicibus exstirpare satagebat. Enim verò jejuniis, atque vigiliis confecta, insuper manuum quoque labore maceratum, C. ut protulimus, corpus veluti inedia consumptum mutare colorem, & adhærens ossibus cutis macilentum attenuavit aspectum, quod maxima provenit ex parte ex nocturnis, quibus summopere periclitabatur, excubiis. Mos etenim consuetudinis ejus fuerat, ut si in loco, in quo aliquid temporis manserat, Ecclesia dedicata non erat, in quanta autem vicinitate cognoverat, ad nocturnas illic vigilias singulis semper noctibus cum solo parvo puerulo, vel qualicunque muliercula pertendit incessu; & eò usque in D. oratione ibi perdurans, donec missarum celebratione peracta, sacroque sumpto viatico devota Deo mulier viam gaudens, qua venerat, ad opus pristinum repeditabat, & domum domini sui non solùm verbis, sed & eximiis virtutum gubernabat exemplis. Videns itaque præfatus comes faciem aspectus ejus tenuem, & macie valdè peresam, intendit in eam, dicens eis, qui astabant ei: quali infirmitate detenta est dilecta mater nostra Liutbirg? Responsum est illi, quod nec causa valetudinis hoc esset, sed plus inediæ, ac vigiliarum jugis, & immoderata corporis afflictio; insuper ergò nocturnis jugiter ad Ecclesias periculosis accessus, & hoc solummodo unius parvi puerili, vel puellulæ comitatu, singulis noctibus nudis etiam pedibus ab ea pervagatum.

CAP. V.

Liutbirgis nullis pravorum hominum insidiis, maledictis, periculis &c. à studio pietatis absterrita.

OBstupefactus autem comes vocavit eam ad se, & consueto more honorificis eam blandisque sermonibus aggressus est dicens: cur charissima mater, quæ semper aliis ad morum gravitatem, & honestatis vitæ præcedendo, non solùm verbis, sed etiam factis in te speculum præbuisti, nunc verò quasi præcipitationis via temetipsam immaturo ante prædestinatum tibi tempus à Deo morbi destinare contendis: hoc etiam, quod armatis pertimescendum est viris, cùm diebus, ac noctibus paganis, & falso nomine Christianis latrocinantibus robustorum corda perturbat. Quod si periculum tanti furoris abesset, quid aliud, nisi te dentibus sævientium bestiarum, ac luporum morsibus prædam spontaneam præbuisses, nihil aliud ex non dolentibus, & ab inimicis nostris diceretur, nisi vanarum ac superstitiosarum penitùs rerum deliratio, & fama venustatis vitæ prioris veluti deputetur ad nihilum? Cui submissa voce venerabilis Liutbirg respondit protinus,

Noli, quæso, Domine mi nequissimorum hominum garrulitatem attendere, qui temerario contumelias ore sobriè, pieque viventibus semper exaggerant, & rabidis quoque benefacta faucibus desæviunt, & venenata pro viribus lingua dilacerant. Quod malignitatis exordium primi parentis primogenitus protulit Cham, hoc postea sæva pullulans propagine, & hactenus uti seminarium in pravorum cordibus longè lateque per totum disseminatum est mundum. Nos igitur pro nihilo illorum, habentes malitiam, sed jactemus in Deum curam nostram secundùm Prophetam, & ipse nos enutriet: nec dabit in æternum fluctua-

tionem justo, sed operarios iniquitatis deducet in interitum. Et alibi scriptum est: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Et Psalmista velut de eis exprobrando loquitur dicens: Dominus mihi adjutor est, non timebo, quid faciat mihi homo. Et iterum: Dominus mihi adjutor est, & ego despiciam inimicos meos. Et: bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine quia vana salus hominis. Sed & alia nostræ salutis causa divinarum documenta scripturarum innumera, quæ recto itinere ad cœlestem patriam nos inoffenso pede perducunt, ut longè inimici terrore repulso quisque fidelis cum Psalmista fiducialiter dicere præsumat: In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer. Et alibi idem Propheta in Domino gloriando victor exultat dicens: Inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti. Ut quid etiam ad brevis hujus vitæ metam, & ad tam incerta nos hujus momentanei temporis transitoria, atque caduca mentis oculos non elevamus? Ubi magnorum quondam potestas? Ubi divitiæ divitum? Ubi fortium enumeratæ vires? Ubi regifico luxu diffluentes, & insatiabilis gulæ, vel fœdæ servitores libidinis? Ubi etiam illi, qui sitibundo jugiter ore, quoscunque poterant, propter aurum, & argentum, atque pecunias obsorbuerant? Tales enim quantò plus bibunt, eò amplius sitiunt. Hi sunt, qui thesaurizant, & ignorant, quibus congregant ea; quorum rapinis, & latrociniis adepta pecunia suos amatores sequitur in perditionem. Nos verò illos non pertimescimus Domino dicente: Noli timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs eum timete, qui potest & corpus, & animam perdere in gehennam. Et idem Salvator in loco alio: qui amat, inquit, animam suam propter me, in vitam æternam custodit eam. Cur occidi timeam propter Deum meum? Quis vigilare, nisi idem Redemptor noster præcepit dicens: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Ipse, qui vigilare præcepit, etiam orare subjunxit dicens: Orate: ne fiat fuga vestra hyemè, vel Sabbatho. De jejunio autem scriptum est: in die jejunii vestri invenietur voluntas vestra. Quæ magis nostra voluntas præ cæteris fieri potest, quàm ut gratiam suam Deus nos faciat promereri, & ut mortale nostrum suæ immortalitatis in regno suo particeps fieri mereatur? His igitur, atque aliis hujuscemodi dictis commotum comitis animum ad tranquillitatis pietatem perduxerat, & tumidi furoris, quæ crescere cœperat, struma medicinali ferro sedata delituit. Et conversus ad eam dixit: sententiis tuis, & plus, ut ita dicam, divinis, quàm tuis animum scilicet meum in tantum obligâsti, justis desideriis tuis, ut nil penitùs contrasisto; tua ipse vota perficiet, exoro, pro cujus hæc nomine tantæ gravedinis difficultates arripere non formidâsti. Et quæcunque â me tuæ voluntatis implementa poposceris, impetrabis.

CAP. VI.

Liutbirgis preces, & reclusionis desiderium Bernardo Comiti exposita

Illa namque prælatæ sententiæ dictis animô penitùs exhilerata pedibus ejus se provolvere volens, sed non est ab eo permissa. Hoc ergò inquit: Domine in corde gratulabundo pro summo tuæ pietatis beneficio libenter suscipio, & veluti divinitus munere concesso pro viribus gratias agere non cesso, si subsequens petitioni famulæ tuæ conceditur effectus. At ille inquit: quæso, dic, quæ sint in animo tuo, abscondere noli. Fateor, me, quod paulò antè professus sum, rationabilibus tuis petitionibus vitam, viresque, Deo concedente, præbere consensum. Tum illa intimô protractô suspiciô, lachrymisque mox erumpentibus ajebat: Peccatrix nimiùm Domine, in multisque vinculis detenta sum ego, quæ usque ad hujus ætatis metam in omnibus desideriis delicatam, & in hujus mundi voluptatibus erroneam vitam peregi: huc, atque illuc cursu vaganti funditùs detenta, & promissionis meæ, quam Domino promiseram, oblita penitùs, & ignara, tandem locum alicubi manendi pietatem tuam deposco, ut residuum tempus vitæ meæ in pænitentia deli-

delictorum meorum perseverare valeam, A. ac pro beneficiis eorum, quæ in me misera propter Deum opera misericordiæ frequentare rogitare.* Quòd, ùt credo, tibi Domine mi, & venerandæ memoriæ matri tuæ perpetuitatis munere felicius redonetur Domino dicente: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Et secundùm Jacobi Apostoli sententiam dicentis: qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operit multitudinem peccatorum. Tunc ille placido B. vultu respondens incipit: & ubi tantæ quietudinis reperire poterimus locum, ut sine hujus mundi turbulenti strepitu, & tempestatis fluctibus secura delitescas? Tum illa, prævidi, inquit, locum mihi ad dies parvitatis congruum; ibi si pietas vestra cellulam quam parvam fieri præcipit, satis mihi habitaculum sufficiet, ac longè præ divitiis sæculi delectatum, atque jocundum in dies meos abundaverit. Admirans ille tantillæ mulieris constantiam, & virilis supergredientis animi C. fiduciam longo interposito silentiô dixit: ut ergo de tuis verbis sentio huc usque prolatis, solitariam, atque seclusam, & à cæteris in commune viventibus sequestratam tentas suscipere vitam, & hactenùs his locis insolitam? Ad hoc utique sacerdotum, nec non & Pontificis nostri, plus quàm laicorum, adhibenda sunt consilia. Et cominùs illa prosecuta: nequaquam, Domine mi, tale aliquid inchoandum putavi, nisi ut sacro nostrorum Rectorum, ac provido cerneretur consilio, atque examine, ut non mea, D. sed Domini perficeretur voluntas, & ut suasu eorum quid de talibus ostenderetur inceptis. Ultimam ergo ratiocinationis eorum causam Pontificis, ac Sacerdotum congruè ventilandam, ac sagaciter deliberandam prolixioris temporis spatio decreverunt. Et finitô colloquio fidens illa promissionibus læto revertebatur animo, rerum omnino suarum divinæ pietati spem derelinquens.

CAP. VII.

Consilia Liutbirgis cum Theotgrimo Episcopo communicata. Hujus de diversis dæmonum artibus oratio.

Contigit autem post aliquod spatium temporis ejusdem provinciæ Pontificem beatæ memoriæ Theotgrimum ad domum præmemorati comitis venire, quia firmam inter se amicitiam habebant. Et eo ibi pernoctante, sequenti quoque die temporis opportunitatem veneranda Liutbirg sibi vidit adesse, & desideratæ mentis tanto consultori secreta detegere tempus, ac locum, Deo disponente, congruum repererat, se quoque pedibus Antistitis humiliter prosternens, ejusque indigere clementiâ, subjecta voce pronuncians. Ille igitur obstupefactus animo, quia priùs benè sibi fuerat nota, & honestis eam moribus penitùs deditam, quin etiam apud dominum suum veluti genitricis locum tenere noverat, ùt multùm erat misericors, mitibus eam allocutus est sermonibus: Eja dilecta soror, quæcunque sint animæ tuæ denunciandæ sententiæ, licenter expone; me verò tuæ consolatorem solicitudinis spontaneum, annuente Deo, nactum habebis. Illa namque secundùm quòd scriptum est: justus in primordio sermonis accusator est sui, peccatricem se commemorans, & innumerabilium delictorum ream protestebatur esse, ejusque commissis peccatis implorans suppliciter auxilium, & quæ mente tegebat, incunctanter exposuit. Ipse verò sermonum suorum sententiam vigilanter intendens, sciens se justorum semper desideriorum, affectuumque potius debere pro viribus fautorem fieri, quàm repulsorem, completô paululùm silentiô alacri quoque vultu eam intendens inquit: propositum animi tui, dilecta filia, considerans à pietatis fonte manantem, sed quomodo cursum tuæ salutis arripias, prudenti consilio deliberandum priùs esse censemus. Imprimis verò divinum exorandum est auxilium, ut eo operatore, atque auctore omnium bonorum Deo, nostra in hoc prosperentur consilia, ut talis navigationis inchoatio,

Ipse

Ipso gubernante, portum salutis possit attingere.

Et hæc dicens, ad se rogavit vocari Bernhardum, & eum secum sedere fecit. Quibus consedentibus Episcopus ait ad eum: omnis rationalis creatura, quæ in sanctis spiritibus, & hominibus consistit, bona est, & ad bonum intendit, sed diverso tramite incedens ad illud, quod attentat venire, disjunctione semitarum ab omnibus minimè pervenitur. In eo ergo, quo se divortia viarum diversa per loca disjungunt, multò minùs ad desiderata perveniunt. Fur igitur, vel latro per violentiam, & latrociniorum rapinam ad sufficientiam, quam summum autumat bonum, se posse pervenire delectat, sed eo tramite non ad bonum ullo modo pervenitur. Avari quoque, ac luxuriosi cæterorum vitiorum illecebris dediti, & illa pro summo bono deputantes, quæ se ad ima demergunt. Inde quoque fit, ut omnes in appetitu boni secundùm naturam, quæ bona est, consentiant; in qualitate morum, ac desideriorum calles per diversos, quos errando dissentiunt, longè separabuntur à bono: ita duntaxat, ut nulli alii, nisi qui viam mandatorum Domini dilatato gradiuntur corde, & qui per adversa ac prospera hujus transeuntis vitæ medium ad angustum iter arripiunt, licèt soli perfecto ad summum, quod desiderant bonum, Christo perducente, & adjuvante, pervenient. Hæc itaque est via quam soror nostra festinat incedere, sed adversariorum quàm multis, & penè innumeris cuneis, qui catervatim insidunt, providendum est exercitus. Hinc superbia militum suorum multitudinem ducens, quæ non solùm in malefactis, sed etiam in benefactis victricia signa sustollit. Illinc namque avaritiæ phalanx vexillis, ducibusque quàm plurimis fraterno madentia sanguine hactenus arma præponit. Ex una denique parte luxuriæ castra diversis delicata delitiis numerositatem populorum retentat. Ex illa gula, gastrimargiaque cupiditatis ac libidinis collegæ valletæ confidunt. Hic ira facibus armata: illic invidiæ, odiique venenata densantur jacula. Hic arrogantiæ turmæ; illic simulatio variis fucata coloribus, ac socio falsitatis protecta velamine.

A. Hic fraudis fovea lato patens voragine: illic doli decipulæ millenis circumquaque defossis occultantur laqueis, inter quos nullus, nisi prævia virtute divina, Paulique munitus armis securus incedit. Has undique terrorum obsidiones cauta mens contemplatione prospiciens priùs in semetipsa perpendat quibus onusta virtutum cominus armis tantæ, vel tam immensæ multitudinis horribili bello resistat. Confidat firmiter in Domino, & in potentia virtutis ejus, ac dicat: exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, &

B. fugiant à facie ejus, qui oderunt eum. Et iterum: dum appropiant super me nocentes, & reliqua ejusdem versiculi. Et iterum: si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: & si consurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo Et ita demùm roborata in Christo fide pro nihilo deputet tantæ Multitudinis invalidos tumultus, quia fallaces semper esse dæmones cognitum est, licèt aliquando fraudulenta versutia pronuntiant vera, ut simpliciores quorum-

C. que animos prætenta veritatis ostensione decipere valeant, ac veluti arte piscatoria hamum cibo, quo delectatur piscis inclusum insidiando delectantis faucibus prætendit; ut his, quibus gaudere fuerat solitus, decipiatur dapibus. Ita adversarius noster in omnes partes calliditatis suæ perversa simulatione protenta ut diversis aranearum casibus pios, ùt prædiximus, simplicium animos capere suescat, & imprimis veritatis ostentu latentis ferri securis admotum mentibus feriendo vibrat acumen. Aliquos verò formidulosorum

D. animos diversis terroribus fatigat, ut veluti arundinem quassatam timore confringat; alios desideriis quàm plurimis incendit, ut aliquis jam terrenis facultatibus abrenuntiatis iterum negotiis sæcularibus se implicet: quosdam precum suarum remunerationis emolumentum sequentes paupertatis suæ inopiam sibi servientium enumerans habendi pruriginem non amittit.* His ergò atque aliis innumerabilibus periculis fidelis animus expergefactus, & talibus illusionibus expeditus, divino munitus suffragio horrificos adversariorum cuneorum tumultus mens provida longè prænoscens, quæ priùs criminum suorum ponderibus vel

secura

A secura fuerat, vel per pœnitentiam, vel eleemosynarum donis, aut orationum instantia purgata, laqueis inimici liberata recesserat, fidei quoque ac spei, & charitatis tutamine roborata, aliarumque virtutum comitatu suffulta, divino se per omnia commendans præsidio, tantæ molis impetum facilè superabit, contrariorum legionem cum suis nequitiæ machinamentis veluti nubes, vento superveniente, vel sole clarescente dissipabitur nebula, quia virtus Christi, quæ eorum destruxit imperium, eorumque B principem æternis vinculis mancipavit. Ideoque virtus eorum elanguens deficiet, & ut stipulæ nihil aliud, quàm strepitum suæ phantasiæ reddunt, cùm supervenerit ignis. Quapropter charissima filia cautâ, necesse est, ut quisque circumspectione partes in omnes consideret, ut si ad versutias ad callidas fraudes, & spirituales nequitias inimici invicta mente consistat, nec non & malignorum detractiones hominum, & irrisiones, & aliquorum adulantium inanes, ac seducentium laudes æqua ferre lance sufficiat. Quia, C qui aliquid insuetum inter eos, inter quos conversatus est, inchoare maluerit, omnium se oculis, veluti cujuscunque prodigii miraculum ostendere nititur, & ora multorum aperire. Tunc necesse est iter medium carpere, neque ad dextram per vanam gloriam, & neque per sinistram in desperationis foveam incidere, summa procuratione prævidere, divinum summopere supplicandum est indeficienter auxilium, ut ad bonum finem benè penitùs inchoata suffragante Christo Salvatore nostro perveniant.

CAP. VIII.

Liutbirgis à Theotgrimo in cellulam includitur.

Talibus namque dictis, cum eam Præsul admonuit, iterum illa pedibus ejus provoluta summas ei gratias referens: gratia Dei ait, sum id, quod sum. In eum, qui me creavit, & usque ad hos dies vitam meam disposuerat, spem meam committo, & in quem firmiter credo, cujus ope, licèt indigna, non confundar ab exspectatione mea: sed memor esto sancte sacerdos verbi tui, in quo mihi spem dedisti; & sequentem versum usque in finem perorans, tempus, inquit, ac diem misericordiam pietatis vestræ deposco mihi disponere; ut erga me misera Dei mei voluntas impleatur. Igitur Antistes unà cum comite tantam mirantes in ea animi constantiam judicio communi decreverunt fieri, quod poposcerat, & diem conveniendi ad locum ab ea desideratum statuerunt. Condicto quoque tempore præfatus venit Episcopus non cum parvo numero Presbyterorum, ac secundi ordinis, & posteriorum graduum numerosa collectione cellulam mansiunculæ jam ad opus paratam sua benedictione benedixit, & aspersionis aqua salubriter sparserat, atque in tam parvo domicilio veluti tugurio immissa, & si non aliqua ingrueret rerum maximarum necessitas, interdixit egressum, suisque benedictionibus, ac doctrina, paterno scilicet more constructam objectu parietis clausam lachrymando discessit, orans ut ad bonum finem propitiante Domino agonem suum perducere mereretur.

CAP. IX.

Ejus in reclusione continua oratio, labor, charitas, &c.

Jam verò venerabilis ancilla Dei Liutbirg desiderii sui, ac voti compos effecta diebus, ac noctibus in oratione perdurans, abstinentiam ciborum, ac potûs in tam imbecilli, & extenuato corpore continuis jejuniorum, ac vigiliarum pressuris assumpserat, ut tantummodò pane cum sale, & herbis vescebatur. Dominicis quoque festisque diebus legumi- D na, pisces que paucissimos comedens, sed & hoc rarò, parvoque sumptu: epularum ejus deliciæ in fragis, ac pomis agrestibus maximè fuere, cùm eorum tempus advenerat. Igniculum verò in eadem cella carbonum ardentium propter diversorum tincturam colorum habebat. Sicut enim prædiximus, multorum muliebrium operum artifex erat. Nusquam ab alicujus utilitatis opere cessabat, nisi aut operando manibus, aut orando, vel etiam meditando diem continuaret nocti. Et si aliquod spatium temporis tantæ strenuitati superfuit, eas, quæ sibi aderant, instruendo, nisi ut minimum tempus, cibo, som-

noque dedisset, quod humanæ fragilitas naturæ deposcerat. Enimverò tempus omne vitæ suæ talibus in rebus expenderat, uti illa nunquam corporis superata molestia tardior in effectu, quàm in inceptu subsisteret. Cunctis enim ad se venientibus, ut etiam præstrinximus, affabilis erat, ut à se quoque redeuntium lætificabat abscessum, ut tempus, quod in eo expenderant, magnæ utilitatis pretio deputabant. Quid ampliùs de tanta morum profectione dicendum? Si occultorum omnium cognitori vita ejus complacuit, mortalium aspectibus nulli nisi malevolentium, ùt æstimo, in aliquo veritatis jure displicuit, & nisi livore stimulatus invidiæ, malitiæ solummodò dente florentem virtutibus vitem decerpere, & qui semetipsum alieno vulnere necare contenderet.

CAP. X.

Ludibria dæmonum, Liutbirgem à sacro proposito avertere molientium.

JAm verò quantas inimicorum pertulerit insidias, ac varias ludificationes perpessa sit Zabuli semper diversorum machinationes terrorum sive per astutæ calliditatis suæ phantasias, sive per ostensiones, & assumptas in se supernorum civium imagines, & suæ semper seductionis more, vera quandoque falsis permiscens, ut cognitione veritatis faciliùs animum incautum valeat ad falsa protrahere, nulli possibile est enarrare. Sed aliqua ex innumeris carptim disserere putavi, quæ forsassis, ùt reor, benevolentium animos contra versutias inimici reddent fortiores, & venenatis ejus argumentis resistendi facient audaciores, & tam infesti certaminis promptiores. Sed quod sæpè prolixitas legentibus tædium gignit, brevitati studui, & ut utrique commodum, ne ignoranti cognitio per omnia penitùs deesset, neque scienti fastidium facerem curavi. Erat enim venerabilis ancilla Christi perseverans in orationibus diebus, ac noctibus, & nihil secum præter vile corporis indumentum retinens, & vascula, quibus cibum capere solebat, & parvam lecticam cum matta, in qua dormire consueverat, audivit vocem, nescio, cujus spiritûs dicentem sibi: tamen volens vitam ducere, tali non debet in lecto pausare. Illa hoc audiens, suspenso statim animo volvere cæperat, qualiter illam per parvam fenestellam, quæ sola erat in pariete, exponere posset; suis enim parvis diffidebat confringere viribus, quod trabiculis opere tornatorio compactum fuerat. Et aliquantum à terra suspensa angusta mente cogitare cæperat, & quò se verteret, ignorabat. Elevata subitò à spiritu, & in pavimentum collisa, & per minutas partes dirupta est ita, ut eam particulatim per fenestram ejeceret. Sed & hoc qualicunque virtute peractum est, divinitus procul dubio permissum esse, confidimus: quia nihil fieri credimus sine jussione, vel permissione divina. Alio quoque tempore veniens ille malignus spiritus in similitudine cujusdam tornatoris: nam & ille homo, in cujus speciem se diabolus simulabat, cujusdam Pepponis comitis servus erat, & notus olim prædictæ famulæ Dei fuerat, suoque de opere munuscula de vasculis, quibus illa indigebat, frequentabat offerre. Tunc callidus insidiator tria, ùt sibi videbatur, vascula ferens, salutavit eam dicens: en quoque munus, quod tibi non parvo labore gravis viæ, & prolixitate tanti itineris attuli! antiquam amicitiam amittere non potui, ut te invisitatam relinquerem. Sed proh dolor! valde dolendo admiror prudentiam animi tui in tantum desipientem, ut per tanta bona, in quibus à juventute nutrita fuisti, ad tantam paupertatem devenisti. Insuper etiam in similitudine damnatorum ergastulo posita, ut nec saltem communi luce fruaris viventium, & carcereis inclusa custodiis nec tibi, nec aliis in rebus ullius utilitatis prodesse dignosceris. Eja quàm magna, & execranda dementia! bona atque jocunda præsentis vitæ relinquere, & per quæque difficillima, atque asperrima spem suam ad incerta committere! Hæc & alia quàm plurima suæ vanitatis proferens, stultitiam ejus exprobrans, se quasi valde indignatus avertens vasa, quæ sibi videbantur pulchra esse, super fenestram imposuit. Illa autem dixit ad eum: quò ire paras modo? At ille, iter, quò veneram, reverti paro, tempusque vitæ

vitæ meæ cum magistro meo Poppone ducere, secumque usque ad finem vitæ manere disposui: & quasi fumus evanuit. Illa autem ad vascula respiciens, quæ sibi priùs valdè delectabilia videbantur, vestutos, ac putridos cortices arboris maxima deformitate, carieque confectos conspexit, auxilium divinum implorans, ut sibi contra sævientis astutiam inimici præsidium impenderet, exoravit.

CAP. XI.

Alia ludibria, & terriculamenta à dæmonibus immissa.

ALiam quoque corporeis oculis machinationem ostendens, cùm nunquam cessat interiùs laqueos suæ nequitiæ, seu per cogitationes pravas, sive per desideria maligna prætendere, terroribus eam aggreditur. In puerili quondam effigie veniens, & in gremio liminaris fenestræ sedens clamavit ad eam. Ipsa verò in oratione prostrata responsum non dedit ei. Ipse autem vociferando clamitans ajebat: timesne me Liutbirg? Illa peracta oratione sursum erigens se, dixit ei: ùt quid timeo te, qui nullam habes potestatem, nisi tibi permissam à Deo, in cujus omnes consistunt potestate? Ipsum timeo, qui potestatem habet corpus, & animam perdere in gehennam. At ille respondens, si me non times, inquit, aquisiero tibi, quem times. Subitò recessit, & iterum veniens alium secum in forma caniculæ conferens, & in fenestra iterum sedentes, si eos duos timeret? interrogans. Respondens dixit: tali modo vos ambos, quali te solum priùs timui. Recedentes illi duo iterum venerunt, & tertium secum attulerunt, qui habens imaginem hirci, hirsuta fronte & barba prolixa, ac cornibus oppansis, vultu terribiliter minitans, seque veluti cornipetam ostendens. Canicula verò sæva fronte rictus trahebat. Ipse quoque homullulus, si illos adhuc tres timeret? interrogabat. Cui respondebat, quamdiu in domo dominorum suorum esset, plus se canes timere, quàm illos. Et ille inquit, tales tibi hospites afferam, quos pavesces. Et recedentibus illis ipsa prostrata in oratione intimo corde clamans ad Dominum, ut eam de potestate liberaret inimici. Et dum in oratione fuerat intenta, mures in cellam ejus irruperant, & tanta multitudo ex illis intraverat, ut neque pavimentum, neque parietes domunculi, nec etiam laquearia videbantur. Obducta ergò tota superficies cellulæ fuerat â multitudine murium, ita ut super illam in oratione prostratam, huc, illucque discurrentes, jam quoque præ multitudine hujuscemodi vermium perstrepentium nihil aliud, quàm tam deformis in eadem penitùs cellula discurrebat illuvies. Sinita tandem oratione surrexit, & aqua benedicta, quam semper præ manibus habebat, accepta cum letaniis, precibusque respersam circuiens ædiculam, in tantum eos effugaverat, ut nullus solummodo ibi permanebat. Expulsis autem muribus eorum tandem immissor superveniens homuncio, qui inprimis venerat, calumniosis eam aggrediens verbis dicebat. O nimiùm sanctam, & summæ castitatis fœminam, quæ nil sibi tantarum putredinum appropinquare permittit! dicm quoque recordor, quando tales tibi vermiculi in tali despectione non erant. Meministine, te cum consodali tua quondam excubias agere, cùm cænulam vestram vobis apposuistis, de vase potum vestrum effudistis, suffocatus mus illicò, mortuusque profluxerat, cujus subitò caudam apprehendisti, projiciendo cachinnans, nullius inquinamenti causam esse dixisti, ac veluti licenter accepto potu sanctimoniam religionis, quam modò prætendis, eo videlicet tempore ad nihilum deputâsti? Hoc ergò penitùs oblita, neque aliquando recordans in confessione delictorum suorum, quod plus credo divinæ pietatis indicium fore, quàm suæ malignitatis prolatio; ut ostensio vulneris potiùs medelam, quàm occultatio medicantis acciperet, & pænitenti remedium procuraret.

CAP. XII.

Liutbirgis aliis diversi generis ludificationibus à dæmonibus vexata.

ALio namque tempore pari modò eam convitiis aggrediens, ac solito sanctitatem ejus exbrobrando vitupe-

rans, illam puellari quondam ætate alte- A
ram coætaneam suam ludificâsse, acum suam in communi eorum opere fractam, egressa nempe compare sua, ejus integram acum clanculùm surripere, suamque confractam in locum ejus connectere, & sic eam de ejus deceptione gratulari, quasi aliquid benè gestum haberet. Eja ubi sanctitas tua, precesque tuæ fuere quando furtim quid diripere non formidasti? Hæc illa ita gesta esse in infantiæ suæ commemorat annis, quibus primùm artem texturæ didicerat, & hactenus per B
oblivionem inconfessa suis peccatis peccatis deputat. Sed hanc, ùt prætulimus, admonitionem divinæ potiùs clementiæ, quàm Zabuli declarationem credimus, qui plus ad reatum gaudet occultare delicta, quàm ad veniam pænitendo pervenire confessa. His igitur atque aliis innumeris suæ machinationis nequitiæ præstigiis versutus eam accesserat hostis, nunc terrendo, nunc exprobrando, nunc conviciis dilacerando, nunc delectationi- C
bus insistendo, quietis ei tempus diebus, ac noctibus non relinquens, nunc per diversas figuras fallaciæ suæ ludificatas imagines ostendens, aliquoties sese angelum, aut aliquem Sanctorum vel Apostolum referens: sed & aliquando suâ incitatus vesaniâ, & inflatus superbia, ut se Christum dicere non metuerit, ac se ut ei propitiaretur, orare præceperit. His atque hujuscemodi nugis prolatis illa Davidicum illud exiterans: ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discedas â me, sed intende in adjutorium meum Domine Deus salutis meæ. In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me: D
quia factus sum sicut passer solitarius in tecto: quia sola spes mea es in die tribulationis meæ.

CAP. XIII.

Discretio spirituum in Liutirge,

INterrogata est aliquando â quodam fratre de notitia, vel discretione spirituum, quomodo dignoscere posset, cùm ipse Sathanas transfiguret se in angelum lucis, aut aliquam venerabilem personam, Illa ingemiscens, & intimo ex corde longè trahens suspiria paulisper conticuit; formidula voce subsecuta est: æstuantis formidinem, & maximam mœroris mei angustiam, venerande frater, inquiris: quia jam multo tempore cum in his, de quibus interrogas, dubia certitudine penè desperationis lacum inciderim, jugis precibus divinum implorans auxilium, hujus mihi præsidium insuperabilis fieri laboris. Tandem omnipotentis suffragante clementia dictum est mihi de quibus rogas: certa fueris, si diligenter attendis. Nam qualiscunque persona tibi appareat, redeuntem ad te diligenter aspicere procures, & si phantastica tibi fuerit ostensa figura qualicunque vestita colore, nigerrimam maculam in posterioribus ejus videbis. Hoc mihi venerande Frater! signum largiente divina clementia concessum esse, quasi de intima profunditate barathri liberata, ineffabili repleta tam piæ consolationis lætitia, quàm confidentiori mente callidi hostis resistebam versutiis. Quod ille cernens paulò remissiùs angelicas in se figuras assumens, propriæ deformitatis terribilem sæpiùs speciem ostentans, frequentiùs fulminis, in moram totam cellulam complens, & exprobrationibus solitis, quicquid ubique terrarum mali gestum inter Christianos acciderat, conviciando cum improperio, ac subsannabili cachinnatione perstrepens, nunc pugnas domesticas, nunc bella civilia referens, nunc parricidia perpetrata, nunc adulteria, & incesta prodens conjugia, omnigenûmque malorum genera, quorum se cunctorum esse jactabat auctorem. Eja dixit, te si flere delectat, flendi tibi cumulos augebo, talisque doloris materiam tibi satis exhibebo. Illa è contrario: vires tuas, inquit, cassatas video, frustraque nisi grassantem saltem improperii tui perditionis augmentum exhibere conaris. Nihil enim posse per temetipsum probaberis, nisi quod exigentibus nostris delictis à Deo tibi fuerit permissum, in quibus tuæ pravitatis voluntatem pro viribus exerces. Et licèt innumera sint ludificationum ejus phantasiæ prosequenda, ne lectori fastidium generent, utilitatis causâ quædam tamen memoranda putavi.

CAP.

CAP. XIV.

Puella ab impuris amoribus servata. Impudici mors infelicissima à Liutbirge conspecta.

Erat quidam vir ex liberis parentibus nomine Hrvodrat vasallus prædictæ Bilihildis, qui unam ex cubicularibus ejus pro carnali copula sequebatur. Contigit una dierum jam advesperascente die propè cellulam clausæ illam mulierem casu properantem ad eum. Ut vidit, Liutbirg, vocavit eam dicens: dilecta filia! en opus ante, quod vides inceptum mecum peragere modò non omittas: quia tibi proficuus labor fuerit, quicquid in divino servitio tui operis expendere habueris, quanquam omne sit bonum, quod aliqua utilitate laboratur: funalia, sive lychnos eâ scilicet horâ ad cereos, & ad luminaria perpetraverat. Illa cupiens egredi ad eum, qui eam foris operiebatur, sed præ verecundia mentis, ne causâ petenti resisteret, fecit ùt jussérat. Intellexit ergò venerabilis ancilla Christi motum impatientis animi fluctuantem & vix eam ad perfectionem operis incepti retinuit. Quod ille hostis antiquus ferre non pertulit, & tanti fragoris sonitum desuper effecerat, ut totius cellulæ funditus putabatur esse ruina. At verò prædicta fœmina ad ictum sonitûs collapsa corruerat, & amens præ timore vix loqui sufficerat. Quam secum signans veneranda Liutbirg interrogat, si aliqua ex parte membrorum læsa fuisset? Sed hactenùs stupore mentis exacta pavitantia proferens verba, tuis inquit, orationibus digna mater vitam retinui, sed altero pede magnum sustineo dolorem. Quam materno monens animô, ut à carnalibus quandoque resipisceret operibus, confortata ab ea, & oratione pro ea facta sana regressa est ad eum. Itaque cùm venerat ad eum, qui eam foris præstolabatur, & ab eo cum interrogata fuerat, cur tantam moram ibi gereret, hactenùs eodem timore perculsa, se prius â Liutbirga non esse dimissam respondit. Ille verò interrogans, quis esset tantæ ruinæ sonitus, utrùm tota porticus Ecclesiæ, an illa pars, quæ cellulæ Liutbirgæ conjuncta fuerat, cecidisset? Illa respondens neque porticum, neque cellulam ruentem, sed terrorem inimici pronuntiavit. Ille verò, sub eadem hora, dixit cum timore, dolor nimius me invasit. Sed rogo, ut lectulum meum sterni facias, quia gravissima detentus sum infirmitate, ex quo illius sonitûs ruinam persenseram: & cadens in lectum diem ultimum usque perducitur. Tempore verò egressionis animæ de corpore, signum horribile in prædicta cellula Liutbirgæ visum est oranti. In septendrionali pariete infirmantis cernebat similitudinem, ejusque prædicti viri formam habentis, & hinc, illucque ex utraque parte duos monachos stantes tristi quidem vultu, sed facie retrò intuentes in eum, qui jacebat moriens. Cùm subitò superveniens malignus spiritus in tam terribili forma, ignem ex ore, & naribus sulphureum efflans, oculis micantibus igne, corpore nigerrimo, unguibus ultra mensuram prævalidis, & super eum incumbens, genibusque suis pectora opprimens, sicque hiatu oris totam faciem jacentis exsorbens, unguibusque magnis, veluti aquila volucrem eviscerans, in præcordia terribiliter immittens diu difficillimum, ac miserabilem exeuntis animæ graviter extorsit egressum. Et audivit ad se vocem dicentem: Nam quos hic ad funus stare vidisti, animam istam excundem de corpore veluti liberare volentes: Sed inimicus prænimiam super eam potestatem habens pœnalibus eam cruciatibus exponendam perceperat. Tu ergo in opere, quòd cæpisti, persiste. His illa contemplatis aspectibus, simulque audita voce perterrita cum lachrymis se in oratione prosternens, quousque venerunt, qui eam pro anima defuncti supplicabant fundere preces, ipsum præfatum cominùs virum nunciantes eodem visionis tempore fuisse defunctum. Tum illa interrogans, qualem egressum anima ejus de corpore habuisset? Responderunt difficillimum, gravibusque suspiriis singultientem, ac circumstantes horrore perculsos, talique modo corporis habitum referentes, ut ipsa eâdem horâ per visionem aspexerat. Sunt & alia quàm plurima digna memoriæ, ex quibus aliqua enodare pro utilitate legentium causâ commodi curabo.

CAP. XV.

Cur proles quorundam parentum ad gratiam Baptismi non fuerint admissa.

VEnit quædam mulier ad præfatam Liutbirgam ejulantibus vocibus causam querimoniæ suæ pronuncians, qualiter suis exigentibus peccatis partum, quem genuerat, infeliciter exposuerit, prolem, quam peperit, sine regenerationis gratia de hac vita migrasse. Quod beata Liurbirg lachrymabili tristitia referenti condolens. At illa prosecuta sup- B. plicatione humiliter implorans ajebat: meis ergò miseriis veneranda mater succurrere non dedigneris per omnipotentem Deum rogabo, quia modò prægnans sum, & jam in partûs vicinitate consisto, ut si vita comite natus fuerit infans, eum de baptismatis fonte tuis manibus levare non dedigneris; quin magis certam tuæ promissionis spem, tuæque consolationis adhibeas, ut sicuti mærens præsentiam tuam adieram, ita gratulabunda mente redire miseram me matrem concedas. Tantis ergo muliebribus quæstibus non C. mediocriter famula Dei permota diu hæsitavit, animo, penitus ignorans, quid ad hæc æstuantibus mulieris doloribus responderet. Attende, inquit, filia, qualiter modo possit hoc fieri: nam neque fores huic cellulæ sunt, ut vel ingrediendi, vel egrediendi præbeant facultatem, & nihil quod apertum sit, nisi parva solummodò fenestra, cætera objectu parietum circumsepta. Insuper ego absque licentia Pontificis nostri, aut presbyterorum jussione nihil aliud, quàm quod mihi præ- D. ceptum est, agere præsumo, priùs ab eis consilium capere, necnon & eorum, ut liceat consilio necesse est procurare, præsertim cum præcepto coacta sum, me nihil ex meo facere arbitrio; sed aliis concedentibus non resisto. Vocatis autem sacerdotibus, qui ibi fuerant, mulieris desiderium referebat, qui propositum mulieris laudantes, si loci fineret facultas, fieri decreverunt. Illa læta regrediens virum suum de promisso secum ovantem effecerat. Venitque dies partûs illius, & infantem, quem peperit, post dies purgationis ad baptizandum gaudebat offerre. Itaque condicto die, quo infantem adhibere disposuisset, subita morte præventus, defunctus est infans. Jam tunc miseranda mater quasi prioris orbitatem doloris oblita, novo supervenientе perculsa, quò se verteret ignorabat: tamen condicto die talem se vultu, qualis erat in animo, demonstrabat. Quam ùt vidit famula Dei Liutbirg lugubri confecta facie, dixit ad eam Eja mihi filia, quæ causa tantæ tristitiæ tibi contigit? mortuamne sobolem refers, quam enixa fuisti? Illa vocis defectu vix præ magnitudine doloris proferens verba: quæ me infelicissimam matrem fata impia tangunt? quibus non solùm me queam orbatam flere, sed potiùs ingratam, atque Deo perosam aspicio, eo quod miserrima prole fœcunda magis tenebrarum, quàm lucis visa sum loca propagare. Nam me felicem nimiùm fateter, si priùs miserabilem ante partum mors mihi vitam absumeret. Hoc illa eùm audisset, prolapsis statim manibus, vultuque demisso lachrymis rigans faciem plorando dicebat. Heu tibi miserrima Liurbirg! nam te nunc tangunt peccata tua, & inimicus generis humani minas suas, quas mihi sæpè promiserat, mordicùs adimplevit. Quis alius hujus homicidii reus, quàm ego, quæ usque in hunc diem baptismi tempus distuleram, & meis exigentibus peccatis, quod alibi parentibus commodiùs fieri potuit, pro miseriis utique meis ad istum proferre locum disposui? Discedente matre, ipsa pro ea magis ac magis lamentationi succubuit, & non diebus, neque noctibus consolationem recipiens penè usque ad internecionem fuerat consumpta, nec ab ullo potuit consolari. Tandem pietate divina miserante, vox ad eam facta est increpantis eam, dicens: Quousque lugere infantulum non omittis? non tuo reatu, sed justo Dei judicio præreptum scias, ac priusquam baptismi gratiam perciperet, ablatum. Desine jam flere: ac lamentationibus tuis justissimum divinitatis te posse reflectere, atque retorquere judicium arbitraris? Jam anima ejus apud inferos detinebitur; sed fac, quod cæpisti, tuisque orationibus pro te, cunctisque fidelibus solitas orationes effunde: ne diutiùs in his, in quibus fructum precum tuarum nullo exequaris effectu,

fectu, moreris; quia tales partus, & quos A ante pepererat, omoes temporibus importunis, & prohibitis, festisque diebus concepti sunt. Iste verò infans, pro quo tam nimium doles, die dominico conceptus est, & per hoc non meruit ad regenerationis gratiam pervenire, sed pœnis deputandus est inferorum. His illa auditis sermonibus divinæ consolationis, in his deinceps, quæ sibi fuerant imperata, persistens, & cum quascunque personas pro se rogaverat exorare, cum bonum præsentis vitæ finem se percepturam rogitatura poposcerat. Multis igitur, ac penè innumerabilibus quotidie versaba- B tur in miraculorum ostentationibus, atque portentis, quarum quædam cœlitùs admissa, quædam fraudulentiâ dæmonum patrata, quæ aliqua sibi ad cautelam, aliqua verò ad correptionem delictorum etiam pro negligentia juventutis suæ oblivioni traditorum, quæ omnia divinæ dispositionis gratia fieri suis non dubitamus electis, quæ quos vulnerari ad hoc permittit utiliter, ut salubrius præstet cautelam, & foveam seductionis post casum devitent.

C

CAP. XVI.

Occultorum, & futurorum cognitio in Liutbirge.

JAm de miris, & innumeris, portentuosisque illusionibus inimici pauca retulimus, pauca verò mystica revelatione sibi concessa prælibavimus. Nunc ad secretiora quidem ejus intellectus, quæ ad nos, aut ipsa referente, venerunt, aut fidelium assertione virorum, aut mulierum veridica attestatione, ac probabili ra- D tione veraciter firmata sunt. Prophetiæ quidem spiritu à Deo remuneratam eam esse, multum in futurum eventibus claruit, ex quibus pauca, nomen sanctitatis devitans, fideliter percunctantibus præsagabat. Quidam ergo comes nomine Friderich in eadem villa domum simul cum fratre suo similiter comite nomine Adalger habens, cujus prænominati uxor nomine Pia cum solito more quotidie ad missas, vel ad vespertinales preces ad illam Ecclesiam perrexerat, beata Liutbirg eam affatur, dicens: Domina, filiaque dulcissima pro matre tua, ac genitrice debitas orationes fundere non omittas, & alios obsecres orare pro ea, quod dignum est, ut quæ pro te magnum sustinuit laborem, æqua repensatione retribuere non supersedeas. Ad hæc illa respondens: dignam rem mater efflagitas, sed miror, cur in hoc præcipuè tempore ejus mihi facere memoriam impendas. Vitne, rogo, an aliquis retulit eam de hoc sæculo migratam? Cui illa: nec ullus mihi hominum aliquid de ejus obitu referebat, sed quod te recordationis ejus debitam fieri sciebam, ideò te memorem esse ejus præmonui. Postea verò tertia die nuncii venerunt, qui eam (cujus illa celaverat obitum) fuisse defunctam ferebant non solùm eadem die, sed eadem horâ, qua ipsa memoriam ejus filiæ commendabat. Hæc utique præfata Pia postmodum ancillam Dei Liutbirgam interrogans, cur ei causam celare vellet? Nolui, inquit, filia, tuam mentem prægravare, ut securiùs orares, nec non & alios animo lætiori supplicare non retardares. Mens etenim tristis minùs ad utilia quælibet peragenda persistit idonea, sed torpendo potiùs tepescit: sicut & corpus qualicunque vulneris gravatur dolore, ad opus aliquod minùs perficiendum sufficerit. Sicut utique mens tristitiis enervata à necessitudinum suarum præpeditur effectibus, quarum non ingruentis tempore mæstitiæ, sed postmodum detrimenta cognoscit. In his ergo, quibus quandoque prædixerat, sub jure jurandi testificatione illis commendans, ut ante diem obitûs sui nulli patefacerent, sed aliis occultata celarent usque post tempus discessionis suæ, nec sua voluntate postmodum cuiquam indicarent, divinæ denique potestatis esse, quæ vel qualia quandoque judicii sui secreta pandere decrevisset, referens, non tamen vilis arrogantiæ deputandum esse personæ propalari.

CAP. XVII.

Veritas prædictionum Liutbirgis, maximè de tempore mortis suæ.

INterrogata ergo quodam tempore à prædicto fratre, qui eam de notitia discretionis spirituum inquirens, si de fine præsentis vitæ suæ, vel de obitûs sui die

tem-

tempus præsciret; Præscientiæ divinitatis hoc, inquit, est, Frater dilecte, quem cujuscunque rei eventum, fortunam, fatumvè homines appellare censuerint, prævidendo dignoscere, quibus temporibus aditum, vel reditum, seu manendi moram peragat, nec priùs, nec posteriùs alicubi certum est posse deflecti, nisi quò summi potestas Arbitri omnia disponens secundùm suæ voluntatis nutum, finem cunctis imponit: nec aliquid fieri credo, nisi quæ suæ prædestinationis jussum in bonis, vel nostris exigentibus peccatis, justæ punitionis in malis permissum sectantur. Natalem scilicet, vel obitûs mei diem me nescire fateor, cum sim pulvis & cinis, quod in solius supernæ Majestatis prænotione consistit. Sed quia fraternitati tuæ parvitatem meam interroganti libenter in omnibus obedierim, si scire nos licuisset incognita, quæ præscire me divina pietas concesserat, triginta videlicet annorum curricula in hac degere cellula me, prædictum est, quod jam maxima ex parte peractum est, cui jam numero anni pauci supersunt. Sed cum ad hujus numeri perventum fuerit summam, in ejus, ùt prædiximus, scientia consistit, qui cuncta suâ potestate gubernat, & inevitabili fine disponit. Hoc ergò, ùt prædixerat, triginta spatium annorum in eadem cellula permansuram, ita contigerat, & quæcunque prænunciaverat, indubitata evenerant. Nam & in hoc luculenter claruit, quòd in his, quæ prædixerat, certus semper subsequebatur eventus.

CAP. XVIII.

S. Martini apparitio, & summorum, ac sanctissimorum virorum cum Liutbirge amicitia.

SAnctum quoque sibi Martinum in visione vera venisse, ac de qualitate victûs, & vestitûs præcepisse, nec non de orationis instantia, & de totius vitæ conversatione paternis veluti verbis prædicere narrans, cujus consolatoriis sermocinationibus ceu mellificatis epulis depasta leviora sibi, quæ priùs gravia videbantur, posteà deputabantur. Habens ergo cum

A. præcipuæ sanctitatis viris colloquium etiam cum eis, quos disciplinatos, & eruditos divinæ legis esse cognoverat, familiarissimam disputatinnem, aliquos ab eis flosculos suæ perfectionis decerpens, ac lætos semper utrosque diggressos fecerat. Abbates enim, atque Episcopi, qui ejus notitiam habentes aut per semetipsos, aut per nuncios suos, suis orationibus se commendantes, eamque in suis orationibus recipientes alterna prece se sufflatos in Domino gaudebant: cùm & Pontifex

B. ejus dignæ memoriæ Hemmo summæ sanctitatis, atque eruditionis vir, ad cujus procurationem, ac cautelam causa conversationis ejus pertinebat, in cujus Diœcesi morabatur, cum ea sermocinando multis eam sermonibus instructam, ædificatamque relinquens, & quibusque eam corporalibus necessariis adjutam elementer paterno sæpissimè visitabat affectu. Super hæc omnia sanctæ recordationis vir, & omnium profectionibus virtutum athleta Christi præcipuus Ansgerus Bremensis Archiepiscopus eam

C. sanctæ filiationis amore in tantum colebat, ut pro ejus visitationis gratia tam magnæ prolixitatis viam devotus pater summâ benevolentiâ arripiens, & eam non solùm suæ præsentiæ colloquiis, sed & corporalibus subsidiis venerabilis præsul, & cunctarum necessitudinum voluntarius suffragator suâ munificentiâ maximè consolabatur. Cui ad divini operis implementum, quibus illa summo jugiter inhærebat studio, puellas eleganti forma transmiserat, quas illa & in psalmodiis, & in artificiosis operibus educaverat, &

D. edoctas libertate concessâ seu ad propinquos, sive quò vellent, ire permisit. Quoscunque ergo viros, sive mulieres in habitu religionis, vel morum gravitate conspexerat, se supplex eorum precibus commendabat, & hoc inter cætera præcipuè flagitans, ut bonum præsentis vitæ sibi finem provenire deposcerent. Si quis pro ea supplicare, vel sacrificium dignaretur offerre: si quis verò pro ea jejunare benivolentium decrevisset, diem Sabbathi jejunandum elegerat, quia Romani Præsulis decreto Sabbathi diem, qua Dominus in sepulchro positus fuerat, jejunandum audierat. Et discipulis eadem die cum sanctis mulieribus præ tristitia jejunan-

nantibus & Sabbatho quoque die servi, A nec non & ancillæ liberiores à dominorum suorum servitio, proprii quoque propositi securiùs accommodantur affectu. Pauperes verò quotidie recreando, viduas, & pupillos, & orphanos consolando, & infirmantium curam impendendo non solùm his, qui sibi in proximo, sed ubicunque positos audierat, vel qui pro eorum delictis in custodiis fuerant mancipati, proutcunque potuerat, solatia ministrabat. Quotidie missas audiens, oblationes Deo referens exceptis peculiaribus, quibus quotidie magis ad finem suum propiùs, orationibus ardentius anhelabat. Horis ergo competentibus nihilominùs B cum sororibus canendo in commune psallentium preces augebat. Quid plura de his referam, quæ numerum narrantis excedunt? Sed lassanti viatori hujus legendæ limitem requietionis imponere delectat, ut per fructicum spineta nimiùm labore gravi vexatus, tandem aliquando lassata membra quiescant.

CAP. XIX.

Sanctus Liutbirgis obitus.

De obitu namque ejus, ùt audivimus, enarramus. Cùm priùs aliquantulum infirmari cæperat, accersitis presbyteris quotidie confessionem singulis faciens, simulque cum oratione benedictiones accipiens usque præscitum tempus ab ea hora, qua spiritum Domino reddere debuit, & convenientibus presbyteris cum sororibus, multisque aliis accurrentibus, omnes pro se concorditer orare supplicabat, & omnes postulans peccata sibi remittere; & accepto viatico prosternens se ante crucem, quam fixam super fenestram habebat, & expansis in modum crucis brachiis capite in terram demisso, vox, quæ tandem in fine precis audita fuerat, talis erat: Qui crucis patibulum pro nobis peccatoribus ascendere dignatus es, & latroni pendenti misertus fuisti, mihi misereri digneris, quia in manus tuas commendo spiritum meum. Et sic inter psallentium, & lugentium voces, felicem, ùt credo, spiritum reddidit Domino, cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Obiit autem temporibus Ludovici junioris gloriosissimi regis Francorum, & in eadem Ecclesia honorificè sepulta ad laudem nominis ejus, qui omnes sperantes in se custodire dignatus est, Jesus Christus, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus in sæcula sæculorum.

Amen. 2. Kal. Januarii.

VITA
S. ALBARTI,
SEU
ALBERTI,
ARCHIEPISCOPI
CASELLENSIS IN
HYBERNIA,

AUCTORE
ANONYMO INCERTÆ ÆTATIS.

Ex Cod. MS. Monasterii S. Emmerammi Ratisbon.
eruta à P. Bernardo Pez, Bibliothecario Mellicensi.

VITA
SANCTI ALBARTI ARCHIEPISCOPI.

CAP. I.
Albarti patria, sancti mores, amicitia cum S. Erhardo.

SAnctus Albartus, natione Anglicus, conversatione Angelus, civis Lundoniensis, vitam Angelicam inter homines duxit, & in medio nationis pravæ, & perversæ, quasi stella matutina clarior syderibus aliis oculos intuentium delectabiliter iu se convertit: & quasi odor balsami Christi bonus odor fuit, adeò, ut non solùm suæ gentis homines, sed & vicinarum regionum nationes odore notitiæ suæ, & luce fidei suæ delectarentur. Inter quos beatus Erhardus in Hibernia natus, & conversatus, sanctitate magnificus, dignitate Episcopus, in civitate, quæ dicitur Attinacha, audiens de sanctissimi viri cœlesti conversatione, & desiderio ipsum desiderans visitare, & alloqui, exemplisque ejus, & doctrinis informari, Dei virum adiit. Quem ipse tanquam Angelum Dei suscipiens, de adventu tanti viri gaudio magno repletus est, pariterque commanentes, & in lege Domini die, ac nocte meditantes, alter alterius mutua consolatione relevatus est.

CAP. II.
Albartus Archiepiscopus Casellensis creatus.

COmmunicato autem consilio per Spiritum consilii, sanctus Albartus beatum Erhardum de Anglia in Hiberniam secutus, venit in celebrem locum, qui dicitur *Caselle*, quæ civitas Metropolis

A. urbs Hiberniæ Regalis, quæ post biennium proprio fuit orbata pastore. Incolæ autem civitatis sanctum Albartum priùs quidem per famam cognoscentes, tunc autem facie ad faciem videntes, unanimi voto sibi Metropolitanum expetierunt, & totius cleri electione ipsum cum laudibus inthronizaverunt. Ipse verò Albartus factus Archiepiscopus, desiderabat Archiepiscopale opus quasi fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram. Factum est autem ingruente quadam præcipua festivitate: ut Episcopi, & Principes, & tribus illius terræ con-
B. ventum facerent in civitate, cui nomen *Lesinor:* ubi inter cætera solemnitatis officia ejusdem civitatis Episcopus verbum exhortationis habens, exordium sermonis sumpsit de verbo Evangelicæ perfectionis: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, & da pauperibus, & veni, sequere me, & habebis thesaurum in cœlo.* Et iterum: *Qui non reliquerit omnia, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Post hæc, & alia his similia fiduciam Apostolicæ quæstionis adjecit, quam Princeps Apostolorum fecit dicens ad Dominum
C. tanquam discipulus ad magistrum universaliter omnium nostrum? *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis.* Et Dominus ad eum: *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, &c.* Hac ergo audita Evangelicæ perfectionis quæstione Apostolica, similiterque intellecta Dominicæ responsionis promissione beatus Albartus tanquam homo, qui per spiritum timoris, & amoris Domini aures

audiendi habuit, verbum Apostolicum & Dominicum altius, quàm quisquam tatus erat, in corde suo reposuit.

CAP. III.

Ejus relicto Archiepiscopatu peregrinatio.

Deinde tempore opportuno cœpit efficaciter conferre de eodem perfectionis consilio cum beato Erhardo collega, & coëpiscopo suo. Nec mora: utrique inflammati calore sancti Spiritus relictis omnibus, quæ possidebant, Deum sequi cupiebant. Statimque opportunè, importunè postulata, & accepta à subditis dimissione, reliquerunt terram, patrias, & sedes proprias adscitis sibi decem B & novem aliis fratribus, perfectionis amatoribus. Scientes autem, & invicem suggerentes, quia *quamdiu in corpore sumus, peregrinamur à Domino*, & quia *hic non habemus manentem civitatem, sed futuram inquirimus*, cæperunt peregrinari corporaliter, & conversari spiritualiter, non tam de regione in regionem pedum passibus progredientes, quàm de regione in regionem gradibus virtutum proficientes, jejunia continuando, vigilias custodiendo, orationi insistendo, in fide unanimes, in spe longanimes, in charitate fortes, & magnanimes, in verbo affabiles, immutabiles, in utroque spectabiles.

CAP. IV.

Adventus Romam, Jerosolymam, & Salzburgum.

Denique memorias, & sepulchrum Sanctorum peragrantes, & sacrificium laudis Deo immolantes, venerunt etiam visitare limina Apostolorum. Et accedentes ad primæ sedis antistitem *Formosum nomine, & fidei pulcherrimæ, contulerunt cum illo de verbo peregrinationis suæ, ne fortè in vanum currerent, aut cucurrissent. Quos idem Romanus Pontifex secundùm nomen suum pulchrè informavit, & in labore peregrinationis suæ, similiterque in verbo prædica-

**notat hic manus recens sequentia: Formosus Papa esse non potuit, cùm ille*

A tionis confirmavit. Deinde divisi sunt ab invicem non corde, sed corpore. Sanctus Albartus Archiepiscopus cum septem sociis mare transiens, Domini sepulchrum visitavit, ubi & unus de sociis Gillipatrich dictus, vinculis carnis absolutus, in Christo requievit. Beatus verò Albartus de ultra mare regrediens, & in Ecclesiam Salzburgensem veniens, unum de fratribus suis, Johannem nomine, humanis rebus excedentem sepelivit in pace.

floruerit sub Arnolpho Imp. isti verò dixerint temporibus Pipini, Caroli Magni patris. Denique putat hic Anonymus, pro Formoso reponendum Adrianum, vel Leonem III.

CAP. V.

Albarti sanctus obitus Ratisbonæ ad tumulum S. Erhardi.

Deinde fratrem charissimum, & Episcopum Erhardum consequi cupiens, Ratisponam venit, ipsumque defunctum, & sepultum invenit. Ibi denique flens, & ejulans cum lacrimis ante altare sanctæ Dei Genitricis Mariæ prostratus sic orasse dicitur: O plena gratia Dei genitrix, materque salutis, Virgo Maria: incola peregrinus factus sum in nomine Filii tui, sicut omnes patres mei, patres fidei Catholicæ: & ecce nunc non amisi, sed præmisi ad te, & ad Filium tuum charissimum commilitonem meum, qui erat mihi unicum peregrinationis remedium. Obsecro te per Filium tuum, non me permittas separari diutiùs à fratre meo, & à filio tuo, & à te. Cupio dissolvi, & esse cum socio meo tecum in Christo. Hæc, & his C similia perorans, & ante sepulchrum sancti Erhardi in terram toto corpore prostratus, continuatis vigiliis, & orationibus integro diei, & noctis tempore, VIII. Kal. Junii defunctus inventus est, & voti compos effectus, ibidem in Ecclesia Sanctæ Mariæ charissimo suo Erhardo, consepultus est, ita videlicet, ut de ipsis quoque canendum videatur, quod de præcipuis Apostolis per orbem terræ canitur: *Gloriosi Principes terræ quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati.*

LUDUS

LUDUS PASCHALIS, DE ADVENTU ET INTERITU ANTICHRISTI

In ſcena Sæculo Duodecimo exhibitus,

Erutus ex Cod. MS. Tegernſeenſi à P. Bernardo Pez.

LUDUS PASCHALIS DE ADVENTU ET INTERITU ANTICHRISTI.

Templum Domini, & septem A. sedes regales primùm collocentur in hunc modum. Ad Orientem templum Domini. Huic collocantur sedes regis Hierosolymorum, & sedes Synagogæ. Ad Occidentem sedes Imperatoris Romanorum. Huic collocantur sedes regis Theotonicorum, & sedes regis Francorum. Ad Austrum sedes regis Græcorum. Ad Meridiem sedes regis Babyloniæ & Gentilitatis. His ita ordinatis primò procedat Gentilitas cum rege Babyloniæ cantans:

Deorum immortalitas est omnibus colenda,
Eorum & pluralitas ubiq; metuenda.
Stulti sunt, & verè fatui, qui Deum unum dicunt,
Quia antiquitatis ritui perpetua contradicunt.
Si enim unum credimus, qui præsit universis,
Subjectum hunc concedimus contrariè diversis.
Cùm hinc bonum pacis foveat clementi pietate,
Hinc belli tumultus moveat sæva crudelitate.
Sic multa sunt officia, diversaq; Deorum,
Quæ nobis sunt indicia discriminis eorũ.
Qui igitur tam multifariis unum dicunt præesse,
Illorum contrariis est affici necesse.
Ne ergo unum subjici contrariis dicam',
Et his Divinam affici naturam concedamus,
Ratione hac decernimus Deos discriminare,
Officia quorum cernimus ab invicem distare.

Quod etiam debet cantari per totum Ludum in temporibus. Et sic Ipsa, & rex Babyloniæ ascendunt in sedem suam. Tunc sequitur Synagoga cum Judæis cantans:

Nostra salus in te Domine:
Nulla vitæ spes in homine:
Error est in Christi nomine spem salutis æstimari.
Mirum, si morti succubuit,
Qui vitam aliis tribuit.
Qui se salvare non potuit, ab hoc quis potest salvari?
Non homines: qui est Emanuel,
Deum adorabis Israël.
Jesum sicut Deos Ismaël te jubeo detestari.

Quod & Ipsa cantabit singulis in temporibus, & sic ascendat thronum suum. Tunc Ecclesia in muliebri habitu procedit induta thoracem, & coronata, assistente B. sibi Misericordia cum oleo ad dexteram, & Justitia cum libra & gladio ad sinistram utrisque muliebriter indutis. Sequentur etiam eam Apostolicus à dextris cum Clero, & Imperator Romanorum à sinistris cum militia. Cantabit autem Ecclesia *Alto consilio*, his, qui eam sequuntur, ad singulos versus respondentibus:

Hæc est fides, ex qua vita,
In qua mortis lex sopita.
Quisquis est, qui credit aliter,
Hunc damnamus æternaliter.

Ascendit autem Ipsa cum Apostolico & Clero, Imperatore, & militia sua eun- C. dem Thronum. Postea procedunt & alii reges cum militia sua cantantes singuli, quod conveniens visum fuerit. Et sic unusquisque cum militia sua ascendet thronum suum, templo adhuc & uno throno vacuis remanentibus. Tunc Imperator dirigit nuntios suos ad singulos reges, & primò ad regem Francorum dicens:

Sicut scripta tradunt historiographorum
Totus mundus fuerat fiscus Romanorum.
Hoc primorum strenuitas elaboravit,
Sed posterorum desidia dissipavit.
Sub his Imperii dilapsa est potestas,
Quam nostræ repetit potentiæ majestas.
Reges ergo singuli priùs instituta
Nunc Romano solvant Imperio tributa.
Sed quod in militia valet gens Francorũ,
Armis Imperio rex serviat eorum.

Huic

Huic ut hominum cum fidelitate
Nobis in proximo faciat, imperate.

Tunc legati venientes ad regem Francorum coram eo cantent:

Salutem mandat Imperator Romanorum
Dilecto suo Inclyto regi Francorum.
Tuæ discretioni notum scimus esse,
Quod Romano juri tu debeas subesse.
Unde te repetit sententia tenenda
Summi Imperii & semper metuenda:
Cujus ad servitium nos te invitamus,
Et citò venire sub præcepto mandamus.

Quibus Ille:

Historiographis si qua fides habetur,
Non nos Imperio, sed nobis hoc debetur.
Illud enim seniores Galli possederunt,
Atque suis posteris nobis reliquerunt. B.
Sed hoc invasoria vi nunc spoliamur.
Absit invasoribus ut nos obsequamur.

Tunc Legati redeuntes ad Imperatorem cantent coram eo:

Ecce Franci super te nimiùm elati
Protervè se opponunt tuæ majestati:
Imò & Imperii tui jus infirmatur,
Illud invasorium dum affirmatur.
Digna ergo pœna correpti resipiscant,
Ut per eos alii obedire discant.

Tunc Imperator cantat:

Corda solent ante ruinam exaltari.
Superba stultos loqui nolite mirari.
Quorum nos superbiam certè reprimemus, C.
Ac eos sub pedibus nostris conteremus.
Et qui nunc ut milites nolunt obedire,
Tanquam servi postmodum cogentur servire.

Et statim [cum] aciebus vadit ad expugnandum regem Francorum. Qui sibi occurrens congreditur cum eo, & superatus captivus reducitur ad sedem Imperatoris, & sedente Imperatore stat coram eo cantans:

Triumphi gloria est parcere devictis.
Victus ego tuis nunc obsequor edictis. D.
Vitam meam simul cum regni dignitate
Positam fateor in tua potestate.
Sed si me pristino restitues honori,
Erit honor victi laus maxima victori.

Tunc Imperator eum suscipiens in hominem & concedens sibi regnum cantat:

Vive per gratiam, & suscipe honorem,
Dum me recognoscis solum Imperatorem.

Et ille cum honore dimissus revertitur in regnum suum cantans:

A. *Romani nominis honorem veneramur,*
Augusto Cæsari servire gloriamur,
Cujus imperii virtus est formidanda,
Honor & gloria maneant veneranda.
Omnium rectorem te solum profitemur,
Tibi tota mente semper obsequemur.

Tunc Imperator dirigens nuntios suos ad regem Græcorum cantat:

Sicut scripta tradunt historiographorũ,
Quicquid habet Mundus, fiscus est Romanorum.
Hoc primorum strenuitas elaboravit,
Sed posterorum desidia dissipavit.
Sub his imperii dilapsa est potestas,
Quam nostræ repetit potentiæ majestas.
Reges ergo singuli priùs instituta
Nunc Romano solvant imperio tributa.
Hoc igitur edictum Græcis indicate,
Et ab ipsis debitum censum reportate.

Qui venientes ad Regem cantant coram eo: *salutem mandat*, ibi mutantes:

Cujus ad servitutem te invitamus,
Et tributum dare sub præcepto mandamus.

Quos ille honestè suscipiens cantat:

Romani nominis honorem veneramur,
Tributum Cæsari reddere gloriamur &c.

Ésque cum honore dimittens ipsemet ascendet * ad imperium cantans: *Romani nominis* &c. Qui eum in hominem suscipiens, & regnum sibi concedens cantat: *vive per gratiam.* Tunc ille suscepto regno revertitur cantans: *Romani nominis* &c.

* Cod. ascendens.

Tunc iterum dirigit nuntios suos Imperator ad Regem Jerosolymorum dicens: *Sicut scripta tradunt* &c. Qui venientes ad regem coram eo cantant:

Salutem mandat Imperator Romanorũ
Dilecto suo regi Jerosolymorum &c.

Quibus ille honestè susceptis cantat: *Romani nominis &c.* Et ascendens ad imperium cantat hoc ipsum iterans: *Romani nominis &c.* Quo ille suscepto concedit sibi regnum. Ipso itaque reverso in sedem suam, cùm jam tota Ecclesia subdita sit imperio Romano, consurgit rex Babylonis in medio suorum cantans:

Ecce superstitio novitatis vana,
Quam error adinvenit secta Christiana!
Ferè destruxit ritum antiquitatis,
Et Diis subtraxit honorem Deitatis,
Quorum cultum deleri prorsus ne sinamus,
Nomen Christianum de terra deleamus:

Quod

Quod ab eo loco debemus inchoare,
Unde primò cœpit hæc secta pullulare.

Et ordinans acies suas vadit ad obsidendam Jerosolymam. Tunc rex Jerosolymæ dirigit nuntios suos ad imperium cantans:

Ite hæc Ecclesiæ mala nuntiantes,
Nobis auxilium ab ipsa postulantes.
Hæc dum cognoverit Romanus Imperator,
Ipse noster erit ab hoste liberator.

Qui venientes ad Imperium cantant coram eo:

Defensor Ecclesiæ nostri miserere,
Quos volunt inimici Domini delere.
Venerunt gentes in Dei hæreditatem,
Obsidione tenent sanctam civitatem,
Locum, in quo sancti ejus pedes steterũt,
Ritu spurcissimo contaminare quærunt. B.

Quibus Ille:

Ite vestros properè fratres consolantes,
Ut nostrum auxilium læti postulantes,
Nos pro certo sciant in proximo venire,
Ne de ipsis valeant hostes superbire.

Qui reversi stant coram rege cantantes:

Viriliter agens ab hoste sis securus:
Adpropinquat enim ab hoc te redempturus.
Quem debes in prælio constãs præstolari.
Per hunc te gaudebis in brevi liberari.

Interim dum Imperator colligit exercitum, Angelus Domini subitó apparens C.
cantat:

Judæa & Jerusalem nolite timere,
Sciens te auxilium Dei cras videre,
Nam tui fratres adsunt, qui te liberâbũt,
Atq; tuos hostes potenter superabunt.

Tunc Chorus: *Judæa & Jerusalem.* Interim Imperator cum suis procedat ad prælium, & finito prælio responsorio congrediatur cum rege Babylonis. Quo superato, & fugam ineunte Imperator cum suis intret templum, & postquam ibi adoraverit, tollens coronam de capite, & tenens eam cum sceptro, & imperio ante altare D.
cantet:

Suscipe, quod offero nam corde benigno,
Tibi regi regum imperium resigno,
Per quem reges regnant, qui solus Imperator
Dici potes, & es cunctorum gubernator.

Et eis depositis super altare ipse revertitur in sedem antiqui regni sui, Ecclesiâ, quæ secum descenderat Jerosolymam, in templo remanente. Tunc cum Ecclesia & Gentilitas & Synagoga vicissim cantant,

A. ùt supra. Procedant hypocritæ sub silentio & specie humilitatis, inclinantes circumquaque & captantes favorem laicorum. Ad ultimum omnes conveniant ante Ecclesiam, & sedem regis Jerosolymæ. Qui eos honesté suscipiens ex toto se subdet eorum consilio. Statim ingreditur Antichristus sub alis indutus loricam, comitantibus eum Hypocrisi à dextris, & Hæresi á sinistris, ad quas ipse cantat:

Mei regni venit hora.
Per vos ergo sine mora
Fiat, ut conscendam regni solium:
Me Mundus adoret, & non alium.
Vos adaptas cognovi,
Vos ad hoc hucusque fovi.
Ecce labor vester, & industria
Ad hoc mihi sunt necessaria.
En Christum gentes honorant,
Venerantur & adorant.
Ejus ergo delete memoriam,
In me suam transferentes gloriam.

Ad Hypocrisim:

In te pono fundamentum.

Ad Hæresim:

Per te fiet incrementum.

Ad Hypocrisim:

Tu favorem laicorum exstrue.

Ad Hæresim:

Tu doctrinam Clericorum destrue.

Tunc ille:

Per nos mundus tibi credet:
Nomen Christi tibi cedet.

Hypocrisis:

Nam per me favorem dabunt Laici.

Hæresis:

Et per me Christum negabunt Clerici.

Tunc præcedent eum ipso paulatim sequente. Et postquam venerint ante sedem regis Jerosolymæ, Hypocrisis insusurret hypocritis annuntians eis adventum Antichristi. Qui statim occurrent sibi cantantes:

Sacra Religio jam diu titubavit.
Matrem Ecclesiam vanitas occupavit.
Ut quid perditio per viros phaleratos?
Deus non diligit sæculares prælatos.
Ascende culmina regiæ potestatis,
Per te reliquiæ mutentur vetustatis.

Tunc Antichristus:

Quomodo fiet hoc? Ego sum vir ignotus.

Tunc ipsi:

Nostro consilio Mundus favebit totus.
Nos occupavimus favorem laicorum.
Nunc per te corruat doctrina Clericorũ.

Nostris

Nostris auxiliis hunc thronũ occupabis. A.
Tu tuis meritis cætera consummabis.

Tunc Antichristus veniens ante sedem regis Jerosolymæ cantat ad hypocritas:

Quem sub Ecclesiæ gremio concepistis
Longis conatibus, me tandem genuistis.
Ascendam igitur, regna subjugabo.
Deponam vetera, nova jura dictabo.

Tunc exeuntes ei superiora indumenta ascendunt expositis gladiis, & deponentes regem Jerosolymorum coronant Antichristum cantantes:

Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua.

Tunc rex Jerosolymis ascendat ad regem Tevtonicorum solus cantans:

Deceptus fueram per spem bonorum. B.
Ecce destituor fraude simulatorum.
Regni fastigia putabam beata.
Si essent talium edictis ordinata.
Romani culminis dum esses advocatus,
Sub honore viguit Ecclesiæ status.
Nunc tuæ patens est malum discessionis;
Viget pestifera lex superstitionis.

Interim hypocritæ conducunt Antichristum in templum Domini, ponentes ibi thronum suum. Ecclesia verò, quæ ibi remanserat, multis contumeliis & verberibus affecta redibit ad sedem Apostolici. Tunc Antichristus diriget nuntios suos ad singulos reges Græcorum dicens: C.

Scitis divinitus ab hoc me vobis datum,
Ut per omnes habeam terras principatum.
Ad hoc idoneos ministros vos elegi,
Per quos totus mundus subdatur nostræ legi.
Hinc primò terminos Græcorũ occupate.
Græcos terroribus, aut bello subjugate.

Qui venientes ad regem Græcorum cantant coram eo:

Rex tibi salus sit à salvatore
Nostro, regum & totius Orbis rectore,
Qui, sicut ex Scripturis mundo fuit promissus, D.
Descendit de cœlis ab arce Patris missus.
Ille semper idem manens in Deitate,
Ad vitam sua nos invitat pietate.
Hic se vult à cunctis ut Deum venerari,
Et à toto Mundo se jubet adorari.
Hujus edicti formam si tu preteribis,
In ore gladii cum tuis interibis.

Quibus ille:

Libenter exhibeo regi famulatum,
Quem tanto dicitis honore sublimatum.
Honor est & gloria tali obedire,
Huic tota mente desidero servire.

Et hoc iterans venit ad præsentiam Antichristi, & stans coram eo cantat:

Tibi profiteor decus Imperiale,
Quo tibi serviam, jus postulo regale.

Et flexo genu offert ei coronam. Tunc Antichristus depingens primam litteram nominis sui regi, & omnibus suis in fronte, & coronam ei in capite reponens cantat:

Vive per gratiam, & suscipe honorem,
Dum me recognoscis cunctorum creatorem.

Tunc ille revertitur ad sedem suam. Iterum Antichristus dirigit hypocritas ad regem Francorum cum muneribus dicens:

Hæc munera regi Francorum offeretis,
Quem cum suis ad nos per illa convertetis.
Hi nostro ritui formam adinvenêre,
Nostro adventui viam preparavêre.
Horum subtilitas nobis elaboravit
Thronum conscendere, quem virtus occupavit.

Tunc hypocritæ acceptis muneribus vadunt ad regem Francorum, & stantes coram eo cantant.

Rex tibi salus sit &c. Ultimam clausulam istâ commutantes:

Sed de tui regni certus devotione
Rependit tibi vicem voluntatis bonæ.

Tunc rex acceptis muneribus cantat: *Libenter exhibeo* &c. Et hoc iterans venit ad præsentiam Antichristi, & flexo genu offert ei coronam cantans: *tibi profiteor* &c. Antichristus eo suscepto in osculo signat eum & suos in frontibus, & imponens ei coronam cantat: *vive per gratiam* &c. Tunc iterum dirigit hypocritas ad regem Teotonicorum cantans:

Excellens est in armis jus Teotonicorum,
Sicut testantur experti robur eorum.
Regem muneribus est opus mitigari:
Est cum Teotonicis incautum præliari.
Hi secum pugnantibus pessima pestis.
Hos nobis subjicite donis si potestis.

Tunc hypocritæ acceptis muneribus transeunt ad regem cantantes coram eo: *Rex tibi salus sit* &c. ultimum versum iterum istô commutantes:

Et his te honorans muneribus absentem
Amicum cernere desiderat præsentem.

Tunc Rex Teotonicorum cantat:

Fraudibus versutias compellor experiri,
Per quas nequitia vestra solet mentiri.

Sub forma veritas virtutis putatur:
Ostendet falsitas, quòd forma mentiatur.
Per vos corrupta est fides Christianorum,
Per me conteretur regnū simulatorum.
Plena sunt fraudibus munera deceptoris,
In quos corruet per gladium ultoris,
Secum pecunia sit in perditionem,
Gravem injuria exspectat ultionem.

Tunc hypocritæ confusi redeunt, & stantes coram Antichristo cantant:

O regni gloria, caput totius mundi
Offensa aspice populi furibundi.
Certè prædictum est per fidem antiquorum:
Quòd tu subjicies cervices superborum.
Si virtute tua totus Orbis subsistit,
Qua vi Teotonicorum furor tibi resistit?
Igitur tuam Germania blasphemat ditionem
Extollit cornua contra religionem.
Respice nostram confusionem
In ea judica tuam offensionem.
Tuam potentiam injuria testatur,
Cujus imperium ruinam minatur.

Tunc Antichristus:

Consummabo verè gentem perditionis
Pro tanto scandalo religionis
Ecce superbiam humanæ potestatis
Terret potentia Divinæ majestatis!

Tunc dirigit singulos nuntios ad reges dicens eis:

Ite congregantes facultates regnorum
Conculcent impetu furorem superborū.

Nuntii verò venientes coram regibus cantant:

Ecce noster Dominus & Deus Deorum
Per nos exercitum convocat suorum,
Ut per eos Teotonicum condemnet furorem,
In bello Martyrum consignabit cruorē.

Tunc reges conveniunt ante thronum Antichristi. Quibus ille:

Consummabo verè &c.
Ite Germaniæ terminos invadetis,
Superbum populum cum rege conteretis.

Tunc omnes cantant:

Deus nobiscum est, quos tuetur potenter,
Pro fide igitur pugnemus confidenter.

Et disponentes acies suas in occursum Teotonicorum congrediuntur cum eis, & superatur exercitus Antichristi. Tunc rex Teotonicorum rediens, & sedens in throno suo cantat:

Sanguine patriæ honor est retinendus:
Virtute patriæ est hostis expellendus.

A. *Jus dolo perditum est sanguine venale*
Sic retinebimus decus Imperiale.

Tunc hypocritæ adducunt claudum coram Antichristo. Quo sanato rex Teotonicorum hæsitabit in fide. Tunc iterum adducunt leprosum, & illo sanato rex plus dubitabit. Ad ultimum important feretrum, in quo jacebat quidam simulans se in prælio occisum. Jubet itaque Antichristus, ut surgat dicens:

Signa semper quærunt rudes & infideles.
Surge, surge velociter, quis sim ego, reveles.

Tunc ille de feretro cantat:

Tu sapientia superna veritatis,
Virtus invicta es Divina Majestatis.

Et hypocritæ secum cantant: *tu sa-*
B. *pientia* &c. Tunc rex Teotonicorum videns signa seducitur dicens:

Nostro nos impetu semper periclitamur:
Adversus Dominum incauti præliamur.
In hujus nomine mortui suscitantur,
Et claudi ambulant, leprosi mundantur,
Illius igitur gloriam veneremur.

Tunc rex ascendit ad Antichristum, & hoc idem cantat. Cùm autem venerit coram eo, flexo genu offert ei coronam cantans: *tibi profiteor* &c. Tunc Antichristus signans eum, & suos in frontibus, & imponens ei coronam cantat: *vive per gratiam* &c. Tunc committit sibi expeditionem ad
C. gentes dicens:

Vobis credentib⁹ convertimur ad gentes.

Et dato sibi gladio cantat:

Per te disponimus has fieri credentes,

Tunc rex veniens ad thronum Gentilitatis, & mittens legatum ad regem Babylonis, cantat coram eo:

Potestas Domini maneat in æternum,
Quæ adoranda est quasi Numen sempiternum.
Condemnat penitus culturam idolorum,
Præcipit abjici ritus simulachrorum.

D. Tunc Gentilitas ad legatum:

Finxit invidia hanc singularitatem,
Ut unam coleret homo Divinitatem.
Ille jure Deus cupidus æstimatur,
Qui specialiùs cæteris vult ut solus colatur,
Nos igitur sequimur ritum antiquitatis:
Diis discrimina reddimus Deitatis.

Tunc nuntius:

Unus est Domin⁹, quem jure veneramur.

Et dejiciens simulachrum cantat:

Idolum detestamur.

Statim

Statim gentiles concurrunt, & præli-A. antur cum exercitu Antichristi. Et superatus rex Babylonis ducitur captivus ad Antichristum. Tunc rex genu flexo offert coronam Antichristo dicens: *tibi profiteor* &c. Tunc Antichristus signans eum, & suos in frontibus, & imponens coronam ei cantat: *vive per gratiam* &c. Statim redeunt ad sedes suas omnes cantantes:

Omnium rectorem te solum profitemur,
Tibi tota mente semper obsequemur.

Tunc Antichristus dirigens hypocritas ad Synagogam cantat:

Judæis dicite Messiam advenisse,
Et me in gentibus tributum accepisse.
Judæis dicite: en ego sum Messias, B.
Ego sum promissus eis per prophetias.

Tunc hypocritæ ad Synagogam:

Regalis generis gens est peculiaris,
Fidelis populus ubique prædicaris.
Pro tuenda lege jam dudum exulasti,
Procul à patria Messiam exspectasti.
Hæc exspectatio reddet hæreditatem:
Jocunda novitas mutabit vetustatem.
Ecce mysterium tuæ redemptionis:
Rex enim natus est auctor religionis.
Hic est Emanuel, quem testantur Scripturæ,
Per cujus gratiam tu regnabis securè,
Erexit humiles, & superbos dejecit,
Potenter omnia sub pedibus subjecit.
Surge Jerusalem, surge, illuminare,
Captiva diu Synagoga lætare.

Tunc Synagoga:

Hæc consolatio Divinæ bonitatis
Laborem respicit nostræ captivitatis.
Eamus igitur obviam Salvatori.
Dignum est reddere gloriam redemptori.

Tunc Synagoga surgens vadit ad Antichristum, &c.

Ades Emanuel, quem semper veneramur,
In cujus gloria nos quoq; gloriamur.

Tunc venientem suscipit Synagogam signans eam, & dicens:

Per me egredere vectem confusionis:
Tibi restituo terram promissionis.
In tuo lumine en gentes ambulant,
Et sub pacis tuæ lege reges regnant.

Tunc Synagoga redeunte intrant Prophetæ dicentes:

Verbum Patris habens divinitatem
In Virgine sumpsit humanitatem,
Manens Deus effectus est mortalis,
Semper Deus factus est temporalis.
Non Natura usu sic testante
Hoc factum est, sed Deo operante.
Nostram sumpsit infirmitatem,
Ut infirmis conferret firmitatem.
Hunc Judæi mortalem cognoverunt,
Immortalem quem esse nescierunt.
Nec sermoni, nec signis credidère:
Sub Pilato Christum crucifixère.
Moriendo mortem mortificavit,
A Gehenna credentes liberavit.
Hic surrexit verè non moriturus,
Regnat semper in proximo venturus.
Hic sæculum per ignem judicabit,
Universos in carne suscitabit,
A reprobis salvandos separabit,
Malos damnans, bonos glorificabit.
Veræ scitis, quid Scripturæ loquantur,
Enoch vivum, & Heliam testantur.

Tunc Synagoga:

Ubinam sunt?

Illi:

Nos sumus verè,
In quos fines sæculorum devenère.
Iste Enoch, & ego sum Helias,
Quos huc usque servaverat Messias,
Qui jam venit, & adhuc est venturus,
Per nos primùm Israël redempturus.
Ecce venit homo perditionis,
Magnæ consummans muros Babylonis:
Non est Christus.

C. Tunc tollunt ei velum. Statim Synagoga convertitur ad verba Prophetarum dicens:

Seducti sumus verè per Antichristum,
Qui mentitur se Judæorum Christum.
Certa indicia est nostræ libertatis
Elias & Enoch Prophetæ veritatis.
Tibi gratias damus Adonai Rex Gloriæ,
Personarū Trinitas ejusdem substantiæ.
Verè Pater Deus est, cujus Ungenitus
Deus est, idem Deus est amborum Spiritus.

D. Interim hypocritæ venientes ad Antichristum cantant:

O culmen regium Divinæ Majestatis!
Tibi subtrahitur honor Divinitatis.
Intravère senes Doctores vanitatis,
Qui blasphemāt tuæ honorem potestatis.
Judæis prædicant tenore Scripturarum,
Te rex omnipotens caput hypocritarum.

Tunc Antichristus ad hypocritas:

Cum me totus Orbis studeat adorare,
Jus mei nominis quis audeat negare?
Synagogam, & Senes mihi repræsentate,
Reos conveniam super hac levitate.

Tunc ministri venientes ad Prophetas, & Synagogam cantant:

Testes mendacii, pracones falsitatis,
Vos tribunal vocat Divinæ majestatis.

Tunc Prophetæ:

Non seducet homo iniquitatis
Servos Christi ministris falsitatis.

Tunc nuntii adducunt Prophetas, & Synagogam ad Antichristum, quibus ille:

Fert in insaniam proprietatis
Vos, quos decipiunt vultus auctoritatis.
Sanctis promissus sum redemptio futura.
Verè Messia, ut testatur Scriptura.
De me suscipite formam Religionis.
Sum infidelibus lapis offensionis.

Tunc Prophetæ:

Tu blasphemus auctor iniquitatis,
Radix mali, turbator veritatis,
Antichristus, seductor pietatis.

Tunc Antichristus commotus dicit Ministris:

Ecce blasphemias meæ Divinitatis
Ulciscatur manus Divinæ majestatis.
Qui blasphemant in me Divinam pietatem,
Divini Numinis gustent severitatem.
Pereant penitus oves occisionis
Pro tanto scandalo sanctæ religionis.

Tandem Synagoga cantat confessionem istam:

Nos erroris panitet, ad fidem convertimur,
Quicquid nobis inferet persecutor, patimur.

A. Tunc ministri educunt eos, & occidunt. Interim veró, dum occiduntur, Ecclesia cantat: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Tunc ministris reversis Antichristus dirigit nuntios suos ad singulos reges cantans:

Reges conveniant, & agmina Sanctorum,
Adorari volo à gloria regnorum.
Cuncta divinitus manus una firmavit.
Suos Divinitas hostes exterminavit.
Pace conclusa sunt cuncta jura regnorum,
Ad coronam vocat suos Deus Deorum.

Tunc omnes reges conveniunt undi-
B. que cum suis usque ad præsentiam Antichristi cantantes: *cuncta divinitus* &c. Quibus Antichristus:

Ista prædixerunt mei prædicatores,
Viri mei nominis, & juris cultores.
Hæc mea gloria, quam diu prædixêre,
Qua fruentur mecum, quicunq; meruêre.
Post eorum casum, quos vanitas illusit,
Pax, & securitas universa conclusit.

Statim fit sonitus super caput Antichristi, & eo corruente, & omnibus suis fugientibus Ecclesia cantat: *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum! Ego autem sicut oliva fructifera in Domo Dei.* Tunc omnibus redeuntibus ad fidem, Ecclesia ipsos suscipiens incipit: *laudem dicite DEO nostro.*

Explicit.

HENRICI

ARCHIDIACONI SALZBURGENSIS, ET PRÆPOSITI BERCHTOLSGADENSIS ORD. CAN. REG. S. AUG.

HISTORIA CALAMITATUM ECCLESIÆ SALZBURGENSIS

ADELBERTO ARCHIEPISCOPO.

Eruta nunc primùm ex Cod. MS. Inclyti Monasterii Lambacensis in Austria Superiore Ord. S. Bened. ab Adm. Rev. & Cl. D. Patre Ildephonso Prandtnero, ejusdem loci Bibliothecario.

INCIPIT

PRÆFATIO IN HISTORIAM CALAMITATUM ECCLESIÆ SALZBURGENSIS ADELBERTO ARCHIEPISCOPO.

Domino suo A, Salzburgensi Archiepiscopo H. devotus, & fidelis Clericus ejus, in omnibus adversitatibus suis spiritum consolationis, & salutis.

Missis per Dominum Decanum A. Salzburgensem excusationum meartum litteris spero Deo auxiliante, sufficienter me apud clementiam vestram contra delatorum meorum vanas susurrationes, & insidias purgatum, ita ut in numero eorum, qui contra honorem vestrum insidiati, vel machinati dicuntur, prorsus ego teneri non debeam: à quorum consilio ita alienus sum, ut teste Domino omnipotente scrutatore renum & cordis, personas, nomina, & conspirationes nec unquam cognoverim, nec fraudis conscius fuerim. Idcirco nunc ad alia vobis scribenda animum intendi, stilumque converti, quæ tantò vobis gratiora esse confido, quò ea de corde nihil adversum vos duplicitatis habente, quæ scipta sunt, manasse, scire, & veraciter credere debet prudentia vestra: quibus legendis, ut parvulam horam impendatis, exotatum vos esse volo.

CAP. I.

Occulto Dei consilio cuncta mala temperantur. Occasio malorum in Ecclesia Salzb. emergentium dirum schisma fuit ab Imperatoribus excitatum, & à quo sola Ecclesia Salzburg. se immunem & puram præstitit.

A. In omnibus tribulationibus, & pressuris; quas pati cæpistis, mox ut in Salzburgensis Episcopatus cathedram sublimatus estis, sollicitè, & sapienter cogitare debet animus vester, non ab homine, sed à Deo causam ejusdem tribulationis surrexisse, ut meritò dicatis gratias agens Deo: *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum, ut mitiges ei à diebus malis.* Divina siquidem providentia circa electorum suorum salutem piè sollicita, malitiam hominum iniquè sævientium, & persequentium convertere ad utilitatem eòrum, qui tribulantur, novit: sicut etiam novit percussiones

B. mallei universæ terræ, id est, diaboli virtute sua ita modorari, ut fideles ipsius sub eo non conterantur, sed erudiantur.

Recognoscat itaque prudentia vestra, aliam fuisse intentionem in pressuris vestris Domini Impetatotis, atque aliam illius, in cujus manu est cor regis. Quòd procul dubio inde potest considerari, quia ad affectum voluntatis suæ multa faciendo in Episcopatu, vel circa Episcopatum, Præpositos, & universum cletum per ministros & cives tam in Bavaria, quàm in Karinthia, nullatenus pervenire potuit potestate vel astutia, quamvis eum potentia, & calliditate omnes ferme, qui ante eum extiterunt, Reges, & Imperatores superare nulli dubium sit. Unde verum esse quis dubitet illud Salomonis: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium*

filium contra Dominum. ' Occasione schismatis, cui validissimè contradixit Ecclesia Salzburgensis, gravis contra eandem Ecclesiam surrexit indignationis, & furoris illius tempestas in tantum, ut totus Episcopatus periclitaretur, & tam incendio, quàm rapinis, & cædibus res Episcopales in solitudinem deducerentur: Canonicorum quoque, & Monachorum, nec non & Monialium bona vastarentur, sicut apparet hodieque in Ecclesia beati scilicet Principis Apostolorum, quæ etiam Ecclesia beati Rudberti appellatur. Hæc enim cum tota civitate consumpta usque hodie miserabilem & lamentabilem præbet omnibus aspicientibus faciem, eò quòd vix in ea lapis super lapidem remanserit. O res misera, & miseranda!

Totum occidentem error schismatis occupavit: sola Ecclesia Salzburgensis immunis ab hac pestilentia, permansit, sola obedientiam Alexandro Papæ intrepidè servavit, sola matrem suam Romanam recognovit. Omnibus enim Archiepiscopis, & Episcopis regni Theutonici Abbatibus, & Præpositis cum universo grege Clericorum, & Monachorum viam Balaam ingredientibus, & nomen Domini, nec non & Papam Alexandrum abjurantibus tanta utique pertinacia, ut Principes omnes jurejurando firmarent, se, si moreretur Imperator, alium nunquam electurum, vel suscepturum, nisi qui juraret, nunquam communicare Papæ Alexandro, vel cuiquam successori illius, solus Eberhardus, prædictæ Ecclesiæ Archiepiscopus quasi columna immobilis cum collega, & suffraganeo illius Hartmanno Brixinensi, viro Catholico & sanctissimo, navim Petri, de qua docuit Christus, recognoverunt. Soli hi Samariam, & vitulos Jeroboam respuerunt, & locum, quem elegit Dominus, venerantes universali, & Catholico Papæ communicare non dubitaverunt.

(o)

CAP. II.

Morte Eberhardi Archiepiscopi, & Chonradi electione nulla Ecclesia Salzburgensis malis medela allata; imò Imperatoris in eandem ira magis accensa, & Adelberti subrogatione plurimum aucta.

SEd quamvis temporibus eorum supradicta juramenta facta sint, quibus Episcopi terribiliter astricti sunt, non solùm in propria persona non communicare Romano Pontifici, verùm etiam clerum omnem in idipsum compellere, & per plebanos populum: toto tamen tempore vitæ illorum mitiùs contra Ecclesiam Salzburgensem agebat Imperator. At postquam vivendi finem fecit Archiepiscopus Eberhardus, timentes hi, qui majores videbantur in eadem Ecclesia, ne cognita morte ejus Imperator pro beneplacito voluntatis suæ schismaticum eis daret, cui contradicere non possent, & communicare periculosum esset, sub magna festinatione elegerunt Chunradum tunc Pataviensem Episcopum magna tamen anxietate, eò quòd patruus esset Imperatoris, & amore carnis & sanguinis facilè præcipitari timeretur.

Ab hac tamen anxietate misericorditer Ecclesiam suam Deus liberavit. Quia mox ut electus est, & Salzburgensem Ecclesiam intravit, qui priùs occultus erat propter metum Judæorum, nudè communioni consensit Alexandri Papæ, & sub eo Canonicorum, cunctorumque Prælatorum obedientiam suscepit. Quod utique factum mox ut in auribus Principis sonuit, quasi Leo infremuit, dansque rugitum, unde totum regnum contremuit, Salzburgenses omnes proscripsit quasi publicos hostes totius Imperii, eò quòd patruum ipsius à visceribus suis avulsum contra ipsum arma corripere fecissent, videns eum castra munire, & custodes, atque propugnatores ordinare, stipendiaque, & quæcunque necessaria videbantur ad repellendas adversitates, munitionibus providere. Hoc autem faciens intentissimè, summo tamen studio apud Dominum Imperatorem pro gratia ipsius &

& pro pace Episcopatus pecuniam, & beneficia, & quæcunque competere videbantur tanto negotio, tam ipsi, quàm Imperatrici, & curiæ promittere non cessabat, mox ad manum, & per singulos annos, quantacunque peterentur, hilariter daturus. A

Inter hæc mors interveniens virum strenuum, & constantissimum Mundo abstulit, & in periculis maximis Ecclesiam dereliquit. Quæ in tanta malorum confusione quid faceret, ignara, diligentissimo studio quærere cæpit virum, cujus auxilio, amicorumque suffragio furor, & B. indignatio Imperatoris vel conquiesceret, vel mitigaretur. Inventa est persona vestra, quæ idcirco idonea, & opportuna in tanta tempestate credebatur, quòd per vos posset sedatis omnibus adversitatibus pacatissima rerum tranquillitas, Divina opitulante misericordia, Ecclesiæ diu perturbatæ provenire. Spes enim maxima erat omnibus, quòd electionem vestram ad favorem suum factam sine dubio intelligeret Imperator, & quòd filium amitæ suæ nunquam fineret cadere in errorem schismatis, honori ejus clementer prospiciens in futurum, ne quandoque pre- C. cibus fidelium suorum Christus, qui nunc in navi sua dormire videretur, excitatus imperaret ventis, & mari, & fieret tranquillitas magna, ac tunc nutatis, quæ error schismatis fecerat, schismaticorum lucerna extinqueretur.

Æstimabatur nihilominus, Imperatorem ad memoriam revocare, quantum eum in bellicis rebus antè adjuverit Pater vester, vel quantum de cætero benignè promovens honorem vestrum circa se excitaret intentionem, & affectum illius. D. Credebatur, quòd omnis amicorum vestrorum nobilissima turba propensiori studio semper Ecclesiam, cui præeſſetis, affectu coleret, benignitate diligeret, pietate veneraretur, & in ejus opportunitatibus semper ei adesset. Sed quæcunque profutura putabantur, in contrarium conversa esse, in propatulo est. Siquidem electionem vestram non ad favorem suum reputat factam ille, qui quod vult, facit, & nemo est, qui audeat ei dicere: cur hoc facis? Sed ad ignominiam & opprobrium Imperii privatim, & publicè in curiis, & Placitis contra Salzburgenses ingenti indignatione conquerendo, quòd in exercitus multitudine, & armorum potentia confidentes regis Bohemorum filium illis elegissent, arbitrantes, se bello, & tyrannide habituros Episcopum. Sicque & vos, & Patrem vestrum quasi hostes, & inimicos reputare cæpit eum electoribus vestris.

CAP. III.

Obsidio urbis Salzburgensis à Friderico Imper. decreta, & totius Episcopatus subversio. Incredibilis inde timor, & anxietas Salzburgensium, &c.

QUamobrem ira fervens, fremensque ut Leo castra movit contra civitatem, non solùm ipsam in solitudinem æternam redigere, sed & totum Episcopatum militibus dividere, claustra destruere, ac funditus devastare, & Clerum universum vel dispergere, vel omnino perdere, sicut dicebatur, intendens. Quid tunc facerent miseri Salzburgenses, quibus nullus poterat dicere: consolamini, consolamini nolite timere: quibus vastitas, & contritio, atque æterna solitudo, & ipsa mors erat in januis? Vicit tunc magnitudo formidinis formidinem periculorum imminentium, sicut nonnunquam violentia passionis vincit vim doloris. Qui enim priùs fama venturi exercitus subsistere nullatenus in civitate audebant, ipsi nunc præsentiam exspectabant Imperatoris, nimirum parati sive ad mortem, sive ad tolerantiam malorum omnium, quæcunque ille non timeret inferre.

Quid pro his omnibus, quæ dicta sunt, dicimus, Domine mi? In tam ingenti procella fluctuum, quibus tundebatur navis, id est, Ecclesia Salzburgensis, in tantum, ut contra eam fremeret totus mundus, eique exprobraret nomen Domini, & nomen Alexandri Papæ, ore uno eodemque dicentibus bonis & malis, atquè universis gentibus, & populis: hæccine Ecclesia, quæ sola credebat se posse resistere Imperatori, contra eum alium Papam tenere præsumebat? In tanta, inquam, malorum confusione

dot-

dormiebat Christus, an vigilabat? Dormivisse eum contendat, qui velit; vigilâsse eum resapprobat, qui quasi dormiens mala, quæ fiebant, foris non videbat, & internè, ne nocerent, disponebat. Adversitatibus Confessores suos quassari apertè sinebat: & in occulto, ne mergerentur, sustentabat, qui mari terminum posuit arenam dicens: *Hucusque venies, & non transibis, & hic confringentur fluctus tui.* Unde quasi dormiens venire permittit tribulationem usque ad mortis pavorem: sed quasi vigilans moderatur eandem tribulationem usque ad potentiæ suæ ostensionem, & admirationem, quatenus deficiente prorsus consilio, & solatio humano ille solus glorificetur, qui in omnibus operibus suis solus est admirabilis.

Verùm enim quis non videat diligenter considerans Salzburgensium facta, & examinans erga nos talem extitisse Deum, qualem eum circa Machabæos fuisse lectio ejusdem libri indicat? Machabæi etenim pro lege Dei sui viriliter certantes, quamdiu auxilium à solo Deo quærebant, hostes numero, armis, & fortitudine longè præstantiores alacriter dimicando prosternebant. Atubi spem transferentes à Deo auxilium à Romanis postulandum putabant, derelicti à Deo ab hostibus premebantur, tanquam eis à Propheta diceretur: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Deo recedit cor ejus.* Postquam enim eis sufficere non videbatur virtus Divina, quæ eos crebris victoriis gloriosos fecerat, sed ad humanum auxilium confugere experunt, gloriam, quam Deo pro eis & eum eis pugnante acquisierant, in humano confidentes præsidio perdiderunt. Eodem modo quamdiu Salzburgenses duobus Archiepiscopis, Eberhardo, & Chunrado tanquam duobus luminaribus cœli ducatum præbentibus Catholicam veritatem, atque unitatem servabant, gloriosi erant per universum regnum Thevtonicum, & fama laudis eorum usque ad Hierosolymitanas partes, ab Occidente videlicet usque ad Orientem transvolaverat. Atque utinam in eadem virtute, & constantia perseverantes stetissent fine concordante principio!

CAP. IV.

Salzburgum quorundam proditione, ac perfidia in Friderici potestatem traditum. Adelbertus Episcopatum deserere compulsus. Temporariorum bonorum amissio fortiter ferenda, dum spiritualia integra maneant.

Sed eheu! qui aliquanto tempore sub prædictis viris, Spiritu Dei plenis, contra errorem Schismatis fortiter pugnantes, nec adtendentes eos, qui dicebant: *Ecce hic Christus, & ecce illic!* nec declinantes ad dexteram, vel ad sinistram, sed regiam tantùm viam ingredientes habitabant in adjutorio altissimi, & in protectione Dei Cœli commorabantur, profectò diuturnitate Schismatis tædio affecti, tonitruis etiam, & fragoribus regiæ communicationis, & indignationis exterriti, Divinum adjutorium ex parte perdiderunt, & gloria eorum in ignominiam commutata est. Siquidem murmurantes contra Dominum, non quidem omnes (Abbates siquidem, & Præpositi, totusque Clerus fortiter adhuc Catholicam tenent unitatem) sed hi tantùm, qui retia Petri rumpere solent, sua videlicet, non quæ Jesu Christi sunt, sectantes dicebant, se quotidie proscriptos, se ab omni sæculo divisos, se ab omni Imperio alienos effectos indignationem Imperatoris ultra ferre non posse.

Quapropter crebris, & occultis legationibus illum vocaverunt, eique & se, & castra omnia tradere promiserunt, juramenta, quæ ante fecerant Domino suo Archiepiscopo, pro nihilo ducentes. Qui etiam, cùm ille venisset, & pollicitationem illorum adimpleri expectaret, mira calliditate eundem Dominum suum, quem de Carinthia vocaverant quasi ad defensionem castrorum repræsentare se Imperatori, suisque necessitatibus in extremo articulo opem ferre postulaverunt. Factum est tunc, unde totus Episcopatus, & tota terra, quocunque fama facti pervenit, ingemiscit, vobisque, Domine mi, scandalum, malumque irrecuperabile peperit. Sed quo consilio factum sit, omnibus se immunes jurejurando firman-

mantibus, adhuc ignoratur. Imperator A. etenim cuncta tum castrorum, redituum, nec non & totius Episcopatus potestatem quasi in deditionem accepit. Quod quia sine interposita conditione factum est, possessor, & Dominus rerum omnium, ad vos pertinentium, factus personam vestram expulit, & extorrem, atque exulem, alienumque ab omni honore, divinitus vobis collato, effecit.

Mirabantur ultra, quàm dici potest, traditionem, & perfidiam hi, qui circa Imperatorem erant, & manifestis insultationibus, atque opprobriis cum gravi B. execratione arguebant auctores tantæ proditionis, videntes utique castrorum fortitudinem, transitûs per montana angustiam, & difficultatem, clusarum firmitatem, quibus omnibus muniti cùm possent non solùm Imperatorem, sed & totum Mundum contra se venientem potenter repellere, nulla necessitate cogente defecerunt, nulla virtutis signa posteris relinquentes.

Inter hæc omnia, Domine mi, nolite animo deficere ad universas affli- C. ctiones respiciens, quibus vexatur adolescentia vestra. Quamvis enim potens videatur adversarius vester, potentior tamen est protector vester, qui armis cœlestibus vos defendit. Recolat prudentia vestra, quia longè præstantiora sunt, quæ adhuc tenetis, quàm quæ amisistis. Amisistis quippe, unde appellabamini Dominus: manent vobis, ex quibus Episcopus estis. Ablata sunt, quæ auferri tanquam extranea potuerunt: possidetis adhuc, quæ neque rex, neque Imperator, non tyrannus, non gladius nisi cum vita D. ipsa auferre ullatenus potest. Ablata vobis sunt, pro quibus homini mortali fidelitatem jurare ex consuetudine debebatis: possidetis adhuc, ex quibus cessante persecutione Deo immortali rationem reddere debetis, pro administratione totius Episcopatus Salzburgensis. Velint enim, nolint omnes reges universi Imperatores, cuncti potentes seculi, atque omnes accincti gladio, manebit vobis, nec perire potest, quod electio vestra Canonica contulit, quòd benedictio Episcopalis ad consecrandum corpus, & sanguinem Domini manus vestras unxit, quòd Chrismatis unctio Episcopum vos consecravit, postremò quòd dignitas Pallii Archiepiscopum constituit. Hæc sunt, quæ præter vos ipsum nemo vobis aliqua ratione detrahere valet: quorum etiam suffragio illa, quæ persecutio humana abstulit, in meliorem statum commutatis temporibus reconciliatio Divina vobis restituet.

CAP. V.

De malis, quæ Udalricus Patriarcha Aquilegiensis, & Alexander Papa in Schismate Fridericiano perpessi sunt, ad quæ exigua sint, quibus Adelbertus Archiep. Salzburg. vexatus.

Nec pudeat vos cum Ecclesia Catholica caminum tribulationis perpeti, quæ vobis sola illa contulit, quæ nulla persecutio unquam auferre prævalet. Ecclesia namque Catholica vos elegit. Patriarcha Catholicus, qui suam Ecclesiam ab omni fæce Schismatici erroris purgatam cum ingenti labore & vitæ periculo Catholicæ unitati restituit, in sacerdotem pariter & Episcopum vos consecravit. Alexander Papa Catholicus dignitate Pallii sublatum Archiepiscopi nomine & honore exaltavit, quatenus contra personam vestram Schismaticis nulla occasio insultandi, vel exprobrandi Ecclesiæ Salzburgensi relinqueretur. Gloriosum itaque sit vobis Domino propitio cum talibus Ordinatoribus vestris humanis tentationibus examinari, & cum eisdem, cùm imperaverit Dominus ventis & mari, & facta fuerit tranquillitas magna, exultare & lætari, quando hi, qui nunc lætantur, & exultant in pessimis, induentur sicut deploide confusione sua.

Quanquam enim magna sint, quæ passus estis, & patimini, in comparatione eorum, quæ illi perpessi sunt, parva videntur. Vos Ecclesiam Catholicam invenistis: Dominus Patriarcha Udalricus in toto Patriarchatu vix Catholicum, vel qui sciret discernere inter dextram, & sinistram suam, reperit in tantum, ut in Sabbato Sancto Paschæ in benedictione cerei non inveniretur, qui vellet vel auderet nomen Alexandri Papæ pronunciare. Nam illo solo pugnante strenua virtute contra universum Clerum & populum

lum, & Alexandrum nominandum ad- A
struente, illi decontra Biervensem hæreticum pronunciandum conclamarunt. Quid faceret athleta Dei? Nesciens sacrarium ingreditur, ibique amarissimas lacrymas fundens clamavit ad Dominum dicens cum Moyse: *Domine adhuc paululum, & lapidabit me populus.* Cúmque vir Dei in tanta esset positus afflictione, & exspectatione mortis, ille, qui cor contritum, & humilitatum non spernit, consolatus est eum. Cùm enim jam hora præteriisset, & populus recedere vellet unusquisque in domum suam, Diaconus B
quidam ex Canonicis ingressus ad eum obtulit seipsum ad benedictionem cerei, animam suam ponens in manibus suis. Tum primum ille consolationem recipiens vestibus sacris induitur, & cum Diacono suo solam mortem intuens ad populum egreditur. Audito itaque nomine Alexandri clamor & tumultus usque in cœlum tollitur, cunctisque egredientibus, & nomen Catholici Papæ quasi profanum fugientibus vix aliqui cum Patriarcha substiterunt.

De Domino Papa quid dicendum? Quid de ejus passionibus commemoran- C
dum? Hic cùm in urbe per Imperatorem seditione mota manere non auderet, in Galliam ad Francorum regis tutelam proficiscitur ubi semper Apostolicorum omnium præsidium esse solebat. Parante Imperatore malum regi Francorum, eò quod hostem Imperii suscepisset, & ad injuriam suam teneret, atque ideo super illum ducere exercitum cogitaret, Dominus Papa Galliam derelinquens Romam revertitur. Itaque Imperator persequendo eum Romam & ipse venit, ducens se- D
cum quasi medullam cedri, omne robur Imperii, & sedente in urbe Domino Papa Alexandro ante urbem castra Imperator posuit. Quæ tunc spes esse poterat vitæ, qui à Roma in Franciam, atque à Francia iterum Romam fugerat tam potente persecutore suo cum omnibus adversariis suis, id est, schismaticis, coram oculis suis residente? Quid expectaret, nisi qua hora caperetur, & in facie inimicorum suorum statueretur judicandus, & pro sede Petri invasa sicut Petrus crucifigendus? Quòd plane si factum fuisset, bono illius procul dubio factum fuisset: sed eum illo Ecclesia Catholica damnata & extincta fuisset, & schisma confirmatum. Sed absit, ut sic dimitteret Ecclesiam ille, qui eam sanguine suo redemit, qui supra Petram fundavit dicens: *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Gloria tibi Christe, qui ibi magnificatus es vehementer, ubi credebaris expugnari ab his, qui oderunt te potenter. Nam ubi gloriosiùs posses triumphare de hostibus tuis, quàm ubi de te triumphare vesano corde & impio ipsi putabant? Virum, quem elegisti secundùm cor tuum, & in sede Apostoli tui Petri constituisti, ut inde illuminaret, & regeret Ecclesiam, quam de manu inimici redemisti, qui in Cathedra pestilentiæ sedebant cauteriatam habentes conscientiam, vel morti dare, vel contumeliis afficere venerunt. Sed contriti sunt, sed repulsi sunt, sed cum gravi dedecore in terram suam redire compulsi sunt, quibus tamen miserante Deo vita donata est.

CAP. VI.

De pestilentia, qua invasus Friderici exercitus obsidionem Urbis Romæ deserere compulsus fuit.

FActum est tunc, quod factum à seculis nunquam lectum, nunquam auditum est, & usque in finem sæculi quicunque audierit, tinnient aures ejus. Scrutentur libri annales regum antiquorum, revolvantur historiæ gentium, ubi unquam factum ostendi poterit, quod ibi contigisse narratur ab his, qui viderunt, qui mortem evadere potuerunt, ut nobilitate, potentia, divitiis præstantissimi, quos terra Thevtonica genuit, non morerentur sicut homines, nec sicut unus de Principibus caderent, sed globatim in castris suffocati invenirentur sicut vermiculi pluviales, vel sicut locustæ alluvione aquarum suffocatæ. De qua re quamvis seriem eorum, quæ ibi contigerunt, plenariam ex ordine comemorare non præsumamus, ne vel plus vel minus dicendo arguamur ab his, qui pleniùs vel veriùs cognoverunt, aliqua tamen commemorare volumus, ne omnino reticendo opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus plus peccemus.

Munitionem beati Petri supra Eccle- A. siam exercitus cæpit, moxque impetum facientes ad ipsam Ecclesiam valvas ejus securibus, & gladiis succiderunt, & quidam quasi re memorabili, & gloriosa perpetrata assulas, quas gladiis eruerant, uxoribus suis in signum victoriæ, imò ignominiæ beati Petri domum referre petulanti jactantia pollicebantur. Capellam quoque beatæ Mariæ ante porticum igne concremaverunt, nihil prætermittentes, quæ insana mente excogitabant ad injuriam Dei & beati Petri Principis Apostolorum. Illico pestilentia subsecuta iram B. Domini ulta est. Nam de terra vapor, & nebula consurgens quasi contagione exercitum percussit, tantaque plaga in populo facta est, utantequam ad summitatem clivi, ubi lapidibus tota via constrata videtur, pervenirent, centum vel amplius milites subitò mortui jacerent: deinde clades universam multitudinem pervagata, ultra mille milites in brevi prostraverit, quanquam non tam multitudo morientium, quàm horror subitò corruentium stuporem fecerit.

Nam ubi castris compositis una societas C. centum ferme loricatorum militum simul discumbebant in tentoriis, & circa Imperatorem proximi, & in processione primi esse ante illum solebant, cùm omnia tentoria sublata essent, & rex in equo sedens miraretur tarditatem illorum, eò quod nullum videret se movere de tanta societate, misit ad requirendum, quidnam hoc esset. Venit nuncius, invenitque equos ad stipites ligatos, totamque supellectilem, sicut serò fuerat composita, jacentem, & tam milites, quàm servien- D. tes exanimes factos. Timore percussi omnes, & perterriti fugiebant mortem, nec evadere potuerunt. Euntes quippe cadebant repentè de equis: alii adhuc stantes in terra, cùm ascendere equos vellent sani subitò ruebant à tergo deorsum mortui.

CAP. VII.

Quantus eorum numerus, & dignitas fuerit, qui ante urbem peste occubuerunt. Misera mors Reinoldi Archiep. Coloniensis, ac aliorum Germaniæ Principum.

Contra hanc virtutem jactet, & extollat potentiam suam quilibet homo mortalis (quia & ipse Imperator homo utique mortalis) dicatque: *Persequar, & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea: evaginabo gladium meum, interficiat eos manus mea. Dextra tua Domine, tua,* inquam, *dextra magnificata est in fortitudine: dextra tua Domine percussit inimicum, & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos. Misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam. Quis similis tui in fortibus Domine, quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia?* Audite adhuc non quidem majora, sed crudeliora, atque terribiliora.

Cùm tanta esset strages in exercitu, multique amicos suos mortuos relinquere in terra hostili erubescerent, cadavera eorum coquere, & sale aspergere, ac sic secum ad terram patrum suorum reducere cogitabant. Cùmque frater quidam fratrem coqueret, alter pro caldario misit summopere rogando, ut sibi mitteretur ad opus simile necessarium. Respondit ille, fieri non posse, eò quod fratre suo cocto seipsum priùs coqui necesse esset: quod & factum est. Nec putet quisquam luem istam popularium hominum extitisse, & eorum tantùm, qui extremi in exercitu fuerunt, quorum quantacunque multitudo vel bello, vel quolibet casu occubuisset, memoria illorum facili oblivione deleretur. Strenui quippe bellatores, & robur exercitus ibi periit, & qui singuli decenter naturali morte sublati luctu & exequiis dignissimi essent. Denique Reinoldus Coloniensis Archiepiscopus, caput, & ductor schismatis cum fratre suo Liutholdo periit. Filius Chunradi regis Fridericus, qui ipsi Imperatori adhuc vivens potentia, & opibus formidini extitit, interiit unà cum Nepote suo Beringario filio Gebehardi de Sulzbach.

Sed

Sed quis per singulos omnes enumeret, qui ibi perierunt? Quorum tantus erat numerus, tanta sanguinis altitudo, tanta opum affluentia, tanta claritas, ut si contra Dominum cornua nequaquam erexissent, & in pace occubuissent, lamentatione digni essent totius Imperii. Sed quia astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus, idonei erant, ut morte sua prædicarent gloriam Dei, & morientes dicerent: vicisti Galilæe, vicisti! In quorum tamen morte illud est miserabilius, omnique seculo gemendum, quòd ad ignominiam illius, cui vice Petri, Principis Apostolorum, claves cœlorum tradidit Dominus noster Jesus Christus dicens: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, arma Romam ferentes ligati in peccatis suis, à quo solvantur, non est super terram.

Eant nunc, qui velint, & adversus regem regum, & Dominum dominantium cervicem erigant, qui vires hostium suorum tam facilè scit, & potest frangere, & potentiam conterere. Cujus virtutem considerans Propheta exclamat dicens: *Quis non timebit te rex seculorum?* Decuit plane sic Dominum nostrum JEsum Christum gloriam suam demonstrare, ut & inimici ejus in seculis supervenientibus terrerentur, & Ecclesia ejus de tam gloriosa liberatione sua usque in generationem, & generationum generationem glorificaretur, & triumphatori immensas gratias ageret, laudesque debitas cantaret.

CAP. VIII.

Friderici pertinacia in persequendo Adelberto, quem, ut in solo Dei auxilio confidat, auctor hortatur. Corruptio morum per schisma in clerum Salzburgensem invecta.

SEd super omnia, quæ dicta sunt, illud est terribilius, illud est miserabilius, quòd cor Pharaonis ita erat induratum, ut in tam gravi plaga, quam diximus, quamvis non totam dixerimus, sed

A. vix partem parvulam tetigerimus, nec mors miserabilis cognatorum seu affinium, Principum quoque & Magnatorum, & clades nobilissimi exercitus cor illius tetigerit, vel ad cognoscendam Dei virtutem concusserit, quatenus humiliatus contritionem suam recognosceret, & à schismate recederet, & Ecclesiam, sanctam Matrem utique suam veneraretur, & diligeret. Hoc enim si facere vellet, nequaquam Ecclesiam Salzburgensem tanto studio persequeretur, nequaquam personam vestram in Dominum, & Episcopum ab ea electam, sanguinem utique

B. suum, tanta impietate insequeretur. Cujus tamen persecutio vestra est procul dubio Divina opitulante providentia pia eruditio. Nam quid faceret filius amitæ Imperatoris? Filius regis Boëmorum? Filius sororis Ducis Austriæ, adhuc adolescentulus ad tam nobilem Ecclesiam Salzburgensem electus, imò super totam provinciam Bavaricam regendam sublimatus, si recturus tantas, tam innumeras gentes, tantosque Episcopos, prius ipse chamo, & fræno regeretur?

C. Portate itaque, Domine mi, portate chamum, & frænum cum humilitate, & patientia non à quolibet homine persequente, sed à patre corripiente, & erudiente maxillis vestris impositum, qui etiam novit, quando tempus sit, ut auferatur, paxque, & securitas, atque ab adversis omnibus requies vobis, & Ecclesiæ donetur, quæ vobiscum sicut parturiens quotidie clamat ad Dominum pro liberatione sua, & vestra. Hanc autem idcirco differt laborante pro vobis, quantum prævalet, Patre vestro, atque avunculo,

D. totaque amicorum frequentia, ne in baculo arundineo spem ponatis, & gratias Deo agendas hominibus, qui salvare non possunt, referendas existimetis. Et quid nocet differre illi, qui mox ut voluerit, præsto habet benefacere? Cui dicit Esther regina: *Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere voluntati.* Sicut enim inefficax est voluntas, & intentio humana Domino obsistente: sic illo adminiculante ad resistendum invalida est omnis potestas, & malignitas humana. Unde est illud in Job: *Sub quo curvantur, qui portant Orbem.*

Ad hunc itaque vestræ mentis fiducia diri-

dirigatur, omnis spes vestra in illo ponatur, qui & bonitate clementissimus, & majestate potentissimus. Sit cum illo perfectum cor vestrum firmiter disponendo apud vos ipsos, ut semper viam Patrum vestrorum ambuleris, sollicitè agendo, ut vestris temporibus in statu suo permaneat Ecclesia Dei, quam regendam suscepistis, quæ, sicut notum est per universum regnum, longè præibat alias Ecclesias religione, hospitalitate, castitate, & omni tam seculari, quàm spirituali honestate. His enim virtutibus Ecclesia Salzburgensis ornata quasi firmamentum stellis radiantibus fulgebat, ita ut in curiis regum præ aliis Principibus honor præcipuus Archiepiscopis Salzburgensibus deferretur, & venerationem maximam haberet clerus omnis tam in claustris sub Regula constitutus, quàm foris per Parochias ordinatus: qui revera ex quo surrexit error schismatis, & tam vestra, quàm avunculi vestri sollicitudo pressuris innumeris fatigata quievit, quia inter arma silent leges, ita immutatus est, ut nisi miserante Deo, vobisque pacem, & constantiam tribuente ad exstirpanda, & resecanda vitiorum germina, deletis, quæ superiùs commemoravimus, bonis clarissima Ecclesiæ lucerna extinquatur. Mementote verbi vestri, in quo nobis omnibus spem dedistis, qui decorem domus Dei, quam oculis ipsi vidimus, perire valde dolemus. Dixistis enim mox in introitu vestro, nunquam in Episcopatu vestro Missam cantaturum, qui cohabitare mulieribus sibi licitum putaret.

CAP. IX.

Ostenditur, quàm necessaria sit medela tot, absente Adelberto, irrumpentibus vitiis, & criminibus, quibus maximè Clerici concubinarii, ac impudentes obnoxii sint.

O Domine mi! Servate verbum: fixum sit in corde vestro: instate, cùm locus fuerit, ut etiam clarescat in opere. Alioquin nisi Jezabel illa maledicta, quæ tam petulanter, quàm licenter circuit nunc domos sacerdotum

A stibio depicta habens oculos, & caput ornatum, vestra industria zelum Dei habente præcipitetur deorsum, in brevi vires suas ita extendet, ut virgam, & baculum vestrum contemnat, gaudensque de impunitate sua eousque progrediatur, ut inter laicum, & sacerdotem præter Missam tantùm parva sit distantia, faciatque licenter Parochianus, quod ne præsumere vel attentare audeat laicus. Clericus etenim sive per occasionem, sive per veritatem Christum aññuntians, à fornicationibus & adulteriis laicum publica pœnitentia . . compescit: Clericus nullo timore

B frænatur. Quia etsi turpissimæ vitæ fuerit, argui à laico non vult, Decanum contemnit, & Archidiaconum, nisi accusatus fuerit, nullusque accusator sit omnibus idipsum facientibus, & crimina propria in aliis foventibus. Isti sunt certè squamæ Leviathan, quæ ita sibi cohærent, ut ad læsionem pestiferi corporis nullum telum pertranseat. Nimirum eousque ista causa perveniet, ut sacerdos unam tantùm habens uxorem, sicut laicus, religiosus, & sanctus prædicetur ab uxoribus aliorum se continens, fidemque alieni thori non violans. Nam quid aliud speratur, cùm apud nos tales esse

C noverimus, qui turpem vitam ducentes, profanam quoque Nicolaitarum doctrinam tenentes, quam se odisse in Apocalypsi Dominus perhibet, auditoribus suis sacros legunt Canones, & qualiter defendere debeant crimina fornicationum suarum ostendunt? Cujus auctoritate fretus sacerdos quidam neptes suas sacerdotibus conjugio copulavit, numerosam prolem ipse habens de muliere, quam sexies coram antecessore meo abjurasse perhibetur.

D Quid dicam, quòd me prohibente secundùm consuetudinem hujus Ecclesiæ filii Presbyterorum cum uxoribus, quas maritis viventibus abstulerant, manentes litteris Prælatorum quorundam muniti ad consecrationem veniunt, & consecrantur, meque contempto in Archidiaconatu meo Missam cantant, & ad Parochias aspirant? Et tales quamvis sacri canones ab Ordinibus sacris prorsus repellant, quos si cognovissetis, scio, quia nunquam eis manus imposuissetis, tamen si vobis placet, & præcipitis, ut cantent, quam-

quamquam invitus, tamen ego æquanimiter porto, quia *non est discipulus supra Magistrum.* Sin autem: placeat discretioni vestræ præcipere, ut à ministerio altaris cessent, donec causa eorum à vobis discutiatur, vel à quibus præsentati sint vobis, aut a quibus productoribus, cùm quæreretur à vobis: est dignus? est justus? responsum sit: dignus est: justus est. Hoc enim vos commendat, & canonum reverentiæ pariter, & disciplinæ Ecclesiasticæ expedit. Alioquin cùm oculus vester esse debeam, & libenter ea, quæ ad honorem Dei, & vestrum spectant secundùm obedientiam, & fidem vobis debitam videre velim, & officio mihi credito insistere, si tales atque his similes transgressiones videns tacere debeo, malo prorsus carere Archidiaconatu, peccatisque alienis non communicare nihil expectans nisi damnationem.

Multa sunt his similia, quæ ad correctionem vestram spectarent. Sed quia tempus arguendi, & judicandi non habetis, æstus cogitationum vestrarum, & anxietates augere nolo, quamvis ea, quæ per præsentiam personæ corrigere non potestis, per nos, qui, sicut diximus, oculi vestri sumus, emendare utile sit, & bonum, ne in immensum insolentia malorum crescat. Scire profectò, nec dubitare debet prudentia vestra, quia si in propria vestra vita aliquid minus, quàm expedit, viderit ille, cujus oculi imperfectum nostrum subtiliter vident, de venia tamen, & indulgentia diffidendum vobis non sit, dummodò secundùm dispensationem vobis creditam abominationes, & transgressiones, quales solent fieri à prævaricatoribus mandatorum Dei, juxtra Prophetam in scopa terens eliminaveritis, & foras projeceritis, ita ut possitis tam confidenter quàm veraciter dicere cum Psalmista: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.*

Deus omnipotens, qui Pater est Orphanorum, & judex viduarum, custodiat, protegat, defendat, & à malis omnibus liberet vos Domine,
Amen.

CHONRADI I. ARCHIEPI-SCOPI SALZBURGENSIS

VITA

AUCTORE

ANONYMO MONACHO VEL ABBATE MONASTERIJ RAITENHASLACENSIS ORD. CISTERC. SYNCHRONO.

Eruta, & ex MS. Cod. Inclyti Monaſterii S. Petri Salisburg. O. S. Ben. publici juris facta à Ven. D. P. Leopoldo Wydemanno, Carthuſiano & Bibliothecario Gemnicenſi.

INCI-

INCIPIT
VITA
CHONRADI PRIMI, ARCHIEPISCOPI SALZBURGENSIS, FUNDATORIS MONASTERIJ IN RAITENHASLACH ORD. CISTERC.

CAP. I.
Amplissimum genus Chonradi.

CHunradus itaque ex illustri Principum Bavariæ Provinciæ stemmate originem duxit, utpote frater virorum Clarissimorum, & Comitum, Ottonis, & Wolframi. Quorum alter sine liberis mortuus est; alter Comitem Rapatonem de Abinberch, Advocatum Babinbergensis Episcopatus, ex sorore Dietpoldi hæredem Heinricus quoque de Lechesgemunde, Pater illius Heinrici, qui adhuc superest ex matertera ejus Nepos extitit. Præfectus quoque Ratisponensis Otto Senior, Avunculi ejus filius fuit. Præter hanc nobilissimam genealogiam, aliam humiliorem quidem, verumtamen claram & splendidam cognationis seriem habuit, quæ numerositate sua, non solùm Bavariam, & Carinthiam, verùm etiam Orientalem & Rheni Franciam occupavit. Quæ unde surrexit, Lectoris curiositati satisfaciendo, non ab re videtur, sicut ab ipso audivi frequenter, exponere.

Avum habuit Babonem nomine, de cujus lumbis exierunt triginta filii & octo filiæ, omnes ex liberis matribus progeniti. Et non mirum, si de tam multiplici semine copiosa seges succrevit, per multas terras & provincias disseminata. His ergo filiis jam adultis, Imperator Heinricus misso nuntio Patrem eorum ad

A. se vocavit, quatenus cum paucis veniens, in exercitio ac ludo venandi secum jucundaretur. Hinc ille idoneam opportunitatem se invenisseratus, quatenus prædictos pueros, corporis elegantia satis aptos, Principis aspectui & gratiæ afferret, & munificentiæ commendaret, sibi ac unicuique puerorum, militem unum ac servientem distribuit, sicque ei obviam processit. Qui cùm vidisset tantam turbam, arguit Comitem, modestè tamen: Cur venire cum paucis jussus, tantam multitudinem aggregâsset? Respondit ille, unum tantùm militem se & servum habere. Cúmque ille requireret blanda facie & verbis placidis, quinam essent alli

B. servi? inquit, tui sunt Domine Imperator, filii mei, quos tuis aspectibus & gratiæ offero, quandoque idoneos, ut de Dei misericordia spero, & utiles tuis ac regni obsequiis futuros, si tamen te propitium, & in oculis tuis gratiam invenerint.

Gratanter itaque atque hilariter Imperator munus sibi oblatum tam fœcundæ prolis suscipiens, singulos adolescentûm benignè amplexatus & exosculans, secum habuit: quousque eos honestis sedibus & beneficiis exaltaret, secundùm quod se oportunitas obtulit liberalitati principis. Quis itaque dubitet, de tanto prolis seminè pullulâsse, ac generâsse infinitam cognationis messem unde, sicut supra diximus, tot replerentur provinciæ?

CAP.

CAP. II.

Mite ingenium Conradi. Ejus in aula Henrici Imp. detestatio scelerum, & in reprehendendo Imperatore libertas, ac inde hujus odium & in Conradum ira.

Cùm itaque prædictus Archiepiscopus, tanta progenie cognationis & affinitatis suffultus esset: ut, si in armis spem ponere voluisset, totum posset regnum turbare; in Episcopatu tamen multa mala atque adversa perpessus, nunquam bellum aggressus est; militaris virtutis præsidium nunquam quæsivit, gubernante cor ejus, qui in eo habitabat, Christo. Sciebat enim vir ille prudentissimus gravissimam esse belli necessitatem; quia in bello majora sunt amicorum, quàm hostium discrimina. Isti siquidem ad nocendum non semper præsto sunt: illi autem nulla re contenti, non pretio militiæ, non rapina; Quidquid obvenerit, diripiunt: intantum, ut magis onerosi sint, his, contra quos arma sumpserunt.

Idcirco imminente necessitatis articulo, quam contra eum suscitavit Imperator, Heinricus videlicet tam filius quàm pater, fugere potiùs (volens) quàm repugnandi præsidium quærens, ad mulierem tam potentia quàm pietate clarissimam in tusciam se contulit, quinque ferme annis apud eam commoratus, & in magna reverentia habitus. Rediens tandem, & in Episcopatu aliquando tempore vivens, eò quod nullam pacem & prosperitatem se invenisse cognosceret, Ministris & hominibus suis, Canonicis quoque & Prælatis Ecclesiæ, paucis exceptis vel manifestè contra se furentibus, vel occultè insidiantibus, cum magno periculo corporis Saxoniam . . Imperator quippe omnes vias, omnesque semitas custodiis dispositis obstruxerat, ut, nisi Deo protegente, nulla ei pateret securitas.

Occasio nunc congrua data videtur exponere, quare tanto odio eum persecuti sunt Imperatores, uterque Heinricus. Ut autem hæc causa meliùs elucescat, repetendum nobis videtur superius, & dicen-A dum, qualiter ad Episcopatum pervenerit; cùm episcopatus adipiscendi nulla adhuc ei voluntas extiterit, & nullum desiderium eum adhuc titillaverit, nulla ambitio sollicitaverit. Non; quia adolescens & juvenis sæcularem gloriam & jactantiam fugere adhuc didicerit: cujus vanitatem studio vestium in tantum secutus est, ut palliatus appellaretur Chunradus.

Fratres ejus, quos supra commemoravimus, eò quod Clericus esset, eumque in Ecclesia magno honore sublimandum B dubitarent, tam paterna quàm materna inter se bona dividentes, ab hæreditate eum excludere tentabant. Hac necessitate cogente in curiam Imperatoris se contulit, serviens ei jure & officio Capellani, quatenus ejus patrocinio partem hæreditatis, quæ ei competebat adipisceretur. Sed cùm eandem Curiam ab omni honestate, divina & humana, alienam inveniret, plenamque sordibus & turpitudinibus videret, in tantum, ut primum locum gratiæ apud Imperatorem haberent nobiles ac speciosæ Abbatissæ ac moniales, nec non & aliæ mulieres C forma & genere clarissimæ, quæ idcirco curiam sequebantur, eò quòd venalis eis esset pudicitia & decus formæ, & ad earum favorem & intercessionem darentur Episcopatus, Abbatiæ, Præposituræ & cæteri Ecclesiastici honores; cepit intentionis, pro qua venerat, oblitus detestari, quæ quotidie videbat, & arguere & impudentiam Imperatoris impudenter prædicare. Unde Imperator Zelo nimio contra eum inflammatus, indesinenter ei causas exitii moliebatur & clande-D stinas insidias, quia publicè non audebat, nec poterat, partim, quia Divina gratia famulum suum protegebat; partim quia viri illustres & Deum timentes gaudebant, argui ab illo turpitudines, quas videbant & detestabantur, sed ipsi arguere non præsumebant.

CAP. III.

Laudes Gebehardi, Thiemonis Archiepisc. Salzb. & Monasterii Admontensis.

Circa hæc tempora thiemo Salzburgensis Episcopus, vir utique sanctissimus, in

in terra paganorum, in civitate, quæ vocatur Corozaim, jussu Regis Babylonici glorioso martyrio feliciter consummatus migravit ad Dominum. Qui Venerabili Gebehardo æque sanctissimi successerat. Qui ambo, sicut & Chunradus, Imperatoris furore afflicti, pro eo, quòd communicare illi in schismate, quod suscitaverat contra Ecclesiam Dei, nolebant, & collocato quodam Burdino in sede beati Petri, exilii ærumnas patiebantur, foris habentes pugnas; intùs, hoc est, inter suos, juges timores. Sed Gebehardus post aliqua tempora ab hac luce transivit ad Dominum, virtutis & providentiæ suæ pulcherrimam memoriam posteris derelinquens. Siquidem in Carinthia in Ecclesia Gurcensi (ubi mulier nobilissima & ditissima, Hemma nomine, Abbatiam Monialium construxerat: quibus, ut dicitur, post aliqua tempora propter vitæ & ordinis Regularis sterilitatem, & ex ordinatione deletis Canonici successerunt) sedem Episcopalem constituit; videlicet, ut ipsu diversis negotiis occupato Gurcensis Episcopus vices suas impleret. Cui tamen episcopatui terminos dedit longè postea memoratus Archi-Episcopus Chunradus, implens videlicet, quod minus ille fecerat.

Constituit etiam in valle Admuntensi Abbatiam dispositis & ordinatis ibi Monachis Deo servientibus, dans eis possessiones necessarias partim de Episcopalibus redditibus, partim collectas, undecunque poterat, vel emptione, vel bonorum virorum largitate, secundùm quod placuit Deo bonum opus famuli sui promovere quotidie ad laudem & gloriam nominis sui. Cujus itaque dono idem Monasterium tam in religione, quàm in possessionibus, maximo merito Deo servientium virorum, & sanctarum mulierum, in tantum crevit, ut nomen ejus non solùm per tutum occidentem se dilataverit, verùm etiam usque in orientem fama cucurrerit. Vix enim creditur esse locus vel circa vel ultra mare, ubi Admuntensium nomen sit incognitum, faciente hoc, qui omnino mentiri nescit; & implente, quod fidelibus suis promisit, dicens: *Qui mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus, qui est in cælis.* Impletum indubitanter videtur, quod in Apocalypsi perhibuit Joannes se audisse vocem de throno dicentem: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus & habitabit cum eis: & ipsi populus ejus erunt; & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Unde quis dubitet? Quis neget veniens in locum, & videns religionem & charitatem universorum ac singulorum, curamque & sollicitudinem circa omnes advenientes, divites & pauperes, spirituales & seculares; in tantum, ut majorem diligentiam videantur habere omnes circa obsequium & necessitatem, nec non & refectionem undecunque venientium, quàm circa se ipsos, ac nisi copiosè fuerit ministratum, nihil factum arbitrentur? Quis, inquam, hæc omnia videns, & in corde suo considerans diligenter tantæ charitatis virtutem & gratiam, non dicat beatum veraciter populum Admuntensem, qui inhabitatorem in se habens Deum & plantatorem bonorum germinum, sicut palma floret, & sicut Cedrus Libani multiplicabitur? Ubi cùm infinita turba sit Monachorum & Monialium, ut in loco montibus undique clauso vix, unde pascantur cum innumera familia, adduci possit, quis non miretur: Quis non obstupescat? Quis non mirabilem Deum in Sanctis suis glorificet, videns nullum audiri murmur à quoquam pro confluentia diversorum hospitum, spiritualium & sæcularium, virorum, & mulierum, sive in circuitu commorantium, sive ex aliis terris, prope vel longe positis venientium?

Quapropter gaude beate vir Dei Gebeharde Salzburgensis Ecclesiæ præsul sanctissimè, cujus devotio circa Deum, cujus fœcundissima plantatio, adjuncta rigatione nobilium virorum; Thiemonis & Conradi, tuorum videlicet successorum felici fructificatione talem tantumque successum habuit, Deo incrementum subministrante, ut post tanta curricula annorum, inter tanta volumina temporamalorum deficere vel senescere non videatur; quamvis Diabolus bonorum hominum inimicus malleo suo, sive membris & ministris suis ferire non cessat idem monasterium. Cujus tamen conatus nihil contra domum Dei, quæ supra petram fundata est, prævalere poterint,

quamdiu medulla Cedri, sive charitas Dei & fraterna, integra permanserit. Hæc est enim, quæ facit justum germinare sicut lilium, & florere in æternum ante Dominum. Hanc quamdiu servat, sicut cœpit, sicut à patribus suis imbutus est populus Admuntensium, beatus erit, Deum utique habens, dum charitatem habet; quia Deus charitas est, qua utique intus manente nihil erit, quod foris timeat. His per excessum dictis, ne præteriisse videamur opus tam gloriosum gloriosissimorum virorum Gebehardi & Thiemonis, & ejus, cui hic libellus ascribitur, ad incepta redeamus.

CAP. IV.

Quantum Conradus à præstando Imperatoribus pro Episcopatu homagio abhorruerit.

Consummato per passionem martyrii Thiemone Archi-Episcopo, Chunradus in palatio eligitur in Episcopum. Forma verò electionis, quæ tunc fiebat Episcoporum & regalium Abbatum talis erat. Defuncto Ecclesiæ cujuslibet Episcopo vel monasterii Abbate, mox ad palatium proficisci non differunt Præpositus, Decanus, Magister Scholarium, & Prior monasterii, & cum eis majores & seniores consilii personæ de civitate Annulum Episcopalem secum portantes & baculum, communicatoque consilio cum his, quos in palatio circa Imperatorem (esse oportebat,) Episcopis, Cancellario & Capellano, secundùm beneplacitum & favorem Imperatoris; qui sustinendus erat, eligebatur. Juxta hanc formam etiam hic, de quo sermo agitur, in palatio electus est, & ab Imperatore continua concessione Episcopatûs confirmatus.

Ea res postea dolorem cordis perpetuum ei peperit. Abhorrebat siquidem vir ille venerabilis, & medullitus detestabatur Homagii & juramenti præstationem, quam Regibus exhibebant Episcopi & Abbates, vel quisquam ex Clero pro Ecclesiasticis dignitatibus, eò quod nefas & instar sacrilegii reputaret, ac prædicaret occultè & publicè, manus Chrismatis unctione consecratus sanguineis manibus, ut ipse solebat dicere, subjici, & homagii exhibitione pollui.

Inde est, quod mortuo Imperatore Heinrico, cùm ei Lotharius (successisset) nunquam ei consensit homagium facere vel Sacramentum fidelitatis offerre. Lothario quoque mortuo cùm Chunradus paucorum favore Dignitatis Regiæ honorem rapuisset, considerans Archi-Episcopus, si ipse, ut cœperat, exaltationi illius subsistere pertinaciter voluisset, quanta inter illum & ducem Bavariæ Heinricum, Generum Lotharii, virum tunc potentia & divitiis præstantissimum (qui coronam cæteraque insignia imperialis dignitatis apud se habebat) per universum Regnum mala fuerant, eorumque caput & causa ab omnibus ipse esse argueretur, cùm Regi Ratisponæ occurrisset, Duci de Zæringen viro clarissimo dicenti sibi coram Rege cunctisque Principibus, quòd Homagium Domino suo Regi facere deberet, respondit intrepidè: Vide, Domine dux, quia si plaustrum effetis, boves præcurrere non dubitaretis: inter me & Dominum nostrum Regem sic causa determinabitur, ut nullam nostri in hac causa curam habere sentiatis. Unde Rex, ne Archi-Episcopus indignatione motus, in verbum asperum ampliùs erumperet, & negotium omne turbaret, aversa manu os ducis compressit, & ab omni responsione compescuit, dicens, se ab Archi-Episcopo nihil prorsus expetere, nisi bonam voluntatem ipsius.

CAP. V.

Ejus ingressus in urbem Archi-Episcopalem, & in impertiendis beneficiis Ecclesiasticis prudentia.

His paucis per interpositis, ut impavidæ mentis constantiam ostenderemus, ad propositum redeammus: ostendentes, cur Imperator Heinricus Senior consenserit in Episcopatum Salzburgensem promoveri, quem in palatio positum omnibus actibus suis adversantem, sicut superiùs diximus, clandestino odio perniciter persequebatur, & potiùs per mortem interire, quàm ad hoonorem provehi malebat.

Salz-

Salzburgensis eo tempore gens indomi-A. ta esse ferebatur, & modicæ fidei, semper quoque Episcopos suos persequens, ideo illorum perfidia se ultionem de illo capere sperabat. Sed aliter Deus, cogitationes hominum videns, quoniam vanæ sunt, de egregio suo milite ordinavit. Adeptus namque Episcopatum in conversione Beati Pauli Salzburgum venit in comitatu suo habens secum duos fratres suos, Ottonem & Wolframum, nobilissimos comites ac fermè mille milites. Cùmque tantam multitudinem nulla Domus B. caperet in civitate, & in episcopali atrio curiæ sedilia essent disposita, ministeriales, qui in castro desuper imminente ad custodiam se recluserant (Archiepiscopo intra ambitum Ecclesiæ cum Clero negotiis Episcopalibus intentis) subito egressi sedilia & mensas, & quæcunque ad cibum præparata invenerunt, evertentes cum festinatione se in munitionem receperunt. Sed Archiepiscopus nequaquam pro hac re turbatus, missis nuntiis vocavit illos ad suscipienda beneficia sua: vel prorsus venire recusantes, per sententiam interdicta sibi in futurum cognosce-C. rent. Qua legatione quidam eorum exterriti descenderunt, sese que Archiepiscopo præsentaverunt, fidelitatem jurantes, & beneficia sua suscipientes. Quæ ille, ne fraude aliqua deciperetur, rationabili distinctione justa beneficia ab usurpatis sequestrans sub his verbis concessit: Beneficium tibi concedo, quod ab Antecessoribus meis justis & Catholicis suscepisti, nec violenter invasum, nec fraudulenter usurpatum. Si qui autem in pertinacia sua persistentes sub hac lege distin-D. ctionis beneficia sua suscipere spreverunt, comperitorum suorum judicio proscripti sunt, & vel nullam apud illum gratiam deinceps invenerunt, vel cum magna difficultate, vel discrimine rerum suarum seu etiam honoris adepti sunt.

Dici etiam non potest, quantùm ei profuerit postmodum concedendorum Beneficiorum distinctio, quam prædiximus. Multi siquidem beneficia, quæ malè possederant vel in schismate, Archiepiscopis Imperatoris persecutione à sedibus suis pulsis, invasa vel de manu superpositi cujusdam Berchtoldi suscepta fuerant, aut funditus perdiderunt illo in Episcopatu confirmato, aut vix partem impetraverunt, non solùm ministri, sed etiam nobiles & principes.

CAP. VI.

De furiis, & tumultibus Bertholtholdi Pseudo-Archiepiscopi Salzb.

De hoc Berchtoldo, cujus modo meminimus, res exigit aliqua dicere. Nos curiositati Lectoris satisfacere cupientes, de Mossburg hunc fuisse Fratrem nobilissimi principis, Burchardi nomine, accepimus. Hic ab Imperatore Heinrico Seniore superpositus Gebehardo Archiepiscopo multa in Episcopatu mala commisit, faventibus & cooperantibus tam principibus atque inferioris Ordinis Nobilibus hominibus Ecclesiæ, quàm etiam ministerialibus & Canonicis de choro. Nam sacrarium majoris Ecclesiæ in quo rerum pretiosissimarum, librorum videlicet & Calicum aureorum, gemmis mirificè decoratorum, variæque supellectilis pretiosæ tanta fuisse copia ab antiquo recondita narratur, ut per totam Bavariam in nulla Ecclesia nec major nec similis inveniri posse tunc temporis diceretur, iste ita evertit, ita dissipavit, ita evacuavit, ut vix reliquias iste, de quo nunc sermo est, Chunradus inveniret. Redditus quoque Episcopales, quos non militibus concessit, pro vanitatibus suis impignoravit. Nec Deum timens, nec hominem reveritus, dummodo nobilissimum Episcopatum, quem sine æmulo, nec imperiali auctoritate omnium nobilium & ministrorum suorum tyrannidi adstipulantium potenter tenere poterat, subverteret, justisque ac legitimis Episcopis inutilem redderet, expulit & in exilium coëgit virum strenuum & Catholicum, Gebehardum videlicet Archiepiscopum; thiemoni quopue viro sanctissimo bellum intulit, contra quem collecto exercitu juxta civitatem in loco Saldorf congressus, cruenta & infami victoria potitus est.

Occubuerunt in eo prælio duo fratres Thiemonis Senioris de Meglingin, ejus, qui nunc superest, patrui, qui omnes incunctanter & in obsequio Catholicorum Episcoporũ Salzburgensium feliciter permansisse

fisse semper noscuntur. Victus itaque Catholicus, & per omnia in sanctitate insignis Episcopus, occulto sed nunquam injusto Dei judicio mox, sicut accepimus, Salzburgensem Civitatem transiens, potu sibi ministrato, *turrim transivit, ibique à quibusdam principibus captus est, Marchione videlicet, & Starchardo & fratre ejus Werigando, necnon & comite de Cellach poppone.

* Cod. turum vel Turuni.

Verùm postquam Archi-Episcopus de hac captivitate liberatus est, ultio divina istos ita percussit; ut, cum duo illi fratres tota Carinthia, potentissima Dominatione, potirentur, nullius mortalis hominis contradictionem habentes, subitò per comitem Bernhardum, qui cum paucissimis militibus Carinthiam intravit, funditus contriti sunt & ad nihilum redacti, omni pristina potentia perdita. Poppo quoque validissima paralysi percussus est, in tantum; ut, cùm multis annis vixisset, non dubitaret . . . & singulis noctibus lotio se & uxorem suam perfundens, manè semper propter foetorem mutare vestes compulsus sit, ac nonnunquam expergefactus de somno, versus in rabiem, uxorem suam jugulare voluerit. Archi-Episcopus verò, ut diximus, liberatus, post expeditionem Jerosolymitanam Ducis Godefridi, Jerosolymam contendens, à paganis captus, & Regi Babylonico præsentatus, post multos agones gloriosa passione occubuit.

O quàm magnum bonum de quàm magno malo perditi hominis, trium Catholicorum Episcoporum æmuli, operata est Dei sapientia, terribilis in Consiliis supra filios hominum? Hoc enim mirabiliter discernens inter vasa iræ & vasa misericordiæ, Berchtoldum superpositum, filium utique gehennæ, permisit exaltari, ut in æternum caderet. Illos autem fecit hîc humiliari, & tentationibus probari: quatenus postmodùm sicut palma florerent, & Cedrus Libani, multiplicarentur in Domo Domini. Permansit autem idem Berchtoldus persequens Ecclesiam Salzburgensem usque ad tempora Conradi Archiepiscopi, à quo excommunicatus in tantam deeidit* injuriam; ut cum duobus Clericis miseram vitam ducens in Mosbutcb, Christiana communione careret (*annis*) fermè triginta, uno prædictorum Clericorum in fine vitæ pœnitentiam desiderante & absoluto; altero impœnitente & in excommunicatione mortuo. Sanè ipse Berchtoldus imminente jam sibi termino vitæ per Abbatem Seonensem Guntherum pœnitentiam affectans, reconciliari petit, jussuque Archiepiscopi ab eodem Abbate Communioni restitutus, vix duabus septimanis supervixit. Videat igitur, qui vult; & intelligat, quàm verus est sermo Apostoli dicentis: *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Nam hujus verbi gladio succisus, ille vir reprobus & excommunicatus repente aruit, nihil opitulante sibi Imperatoris potentia, & cunctorum principum, qui favore illius Ecclesiam conterere moliebantur.

* miseriam.

CAP. VIII.

Expeditio Romana Henrici V. in eaque Chonradi pacificus animus, ac in tuenda Ecclesiastica libertate constantia, nec vita periculo fracta.

His per digressionem dictis ad propositum redeamus. Heinricus Junior, postquam Patre expulso, & extincto apud Leodium, regno potitus est, exercitu congregato cum valida manu Romam proficiscitur, Imperii nomen & dignitatem suscepturus à Papa Paschali. Interfuit huic expeditioni cum aliis principibus etiam Chunradus Salzburgensis Archiepiscopus, longè tamen alia intentione & forma, quàm quisquam aliorum principum. Illi siquidem, pro ut quisque poterat, militia & armis muniti Regem sequebantur, voluntatem illius per omnia provehere parati. Iste verò militare sic Regi terreno & mortali cupiebat; ut cœlesti & sempiterno debitum fideliter præstaret obsequium, à quo præceptum noverat: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari & quæ sunt Dei, Deo.* Unde quamvis egregios secum haberet & strenuos milites, pacis tamen potius, quàm belli ministrer esse desiderans, omnibus suis interdicere curavit assultus ad castra & pugnandi audaciam, suum nequaquem esse socium dicens & Commilitonem, quisquis ibi sine publico congressu vulnus ace-

ce-

cepisset. Unde & contigit, militem A. quendam opibus & viribus insignem, Meingodum nomine, pincernam videlicet suum, juvenili ardore pugnandi congressum, vulnus accepisse in crure; sed propter comminationem ejus, cujus verba erant quasi fulguris jaculum percutiens & penetrans cor hominis, nulla die se subtraxisse à præsentia illius & à consueto ministerio se excusasse: ut meritò probares, verum esse illud Salomonis: *Verba sapientis quasi aculei, & quasi clavi in altum defixi.*

B. Attendebat vir ille prudentissimus, & timore Dei plenus; quod beatus Martinus pugnare detrectans, dixisse fertur: Christi miles sum, pugnare mihi non licet. Et ille quidem adhuc Catechumenus propter mentis devotionem illicitum sibi credidit etiam contra hostes reipublicæ & paganos bellum gerere; iste autem altiùs cogitans, arma corripere contra Christianos neque fidei neque legibus adversos aut proscriptos; & sacerdotalis ordinationis Sacramentum contaminare, profanum arbitrabatur.

C. Interea exercitu appropinquante ad urbem, cæperunt paulatim denudari, & aperiri doli nequissimi Imperatoris; & per aures Episcopotum currere consilia prius tractata occultissimè per legatos, paucissimis consciis, qui idonei putabantur ad rem nequissimam machinandam. Actum quippe fuerat & juramentis, atque obsidibus confirmatum, ut potestas constituendorum Episcoporum per universum regnum traderetur Imperatori à Domino Papa Paschali. Quæ res odibilis Deo, quamque Ecclesiæ Dei adversa esset, quis sapiens & rectum judicans non intelligat? Hoc verbum postquam cepit percutere aures Religiosorum, Deumque timentium & maximè Episcoporum, etiam ad notitiam Archiepiscopi Chunradi pervenit. Quapropter cùm Imperator venisset in Ecclesiam beati Petri, sedenti Apostolico juxta altare accedens propiùs cum Episcopis cunctisque, qui secum venerant, principibus: commonuit Papam pacti inter se & illum firmati. Respondit ille, paratum se adimplere dictante justitia, quod promisset.

D. Mox Archiepiscopus Chunradus, nequaquam reveritus Imperatorem sibi assistentem, juxta quod Salomon ait: *Justus quasi Leo confidens absque terrore erit*, respondit Apostolico. Pater, quomodo te promittis facere justè, quod est contra omnem justitiam? Illo verò insistente & iterante, quod dixerat, iste quoque institit verbo priori. Illico quidam ex satellitibus Regis Heinricus cognomento caper* librato in cervicem Archiepiscopi gladio clamavit, eum Reum Majestatis, & authorem totius mali, idque eum jam luitutum. Ad hanc vocem subitò mille ferme enses in caput illius pendebant. Respiciens Archiepiscopus vidensque sibi imminentem mortem, ensesque exemptos, declinans in terram vultum; arma de contra arripuit cœlestia, symbolum videlicet & Dominicam orationem. Rex quoque expansis brachiis eum protegens, clamavit: Noli, noli Heinrice: nondum est tempus. Nec mora. Cardinales capiuntur, & custodes armati circa Papam disponuntur servantes, ac deinde Udalrico Patriarchæ Aquileigensi custodiendus traditur. Quæ res odii inter eundem Patriarcham & Archiepiscopum causa extitit: quia Dominum suum & Magistrum in captivitate servandum receperat; cùm tamen illum fecisse bono potiùs quàm malo animo diceret.

* *Cod.* Cap.

Nec mora. Romani ad arma occurrunt collecto exercitu, factaque congressione ingens multitudo Romanorum occubuit vel ferro vel suffocatione Tyberis, & victoriam parvo sui exercitus discrimine Rex obtinuit. Judicet qui velit, virum hunc, si tempora martyrii eum invenissent, pro Christo fundere sanguinem dubitasse, qui pro justitia provocare contra se tam sævi Regis indignationem, tantique exercitus furorem non expavit.

CAP. VIII.

Plura impavidi animi in Chonrado exempla.

Reversus de expeditione, multa in Episcopatu mala maximè à Domesticis pati cepit. Nam Præpositus Salzburgensis, quidam ex ministris, non tamen ex nobilioribus, Albinus nomine, elatus in superbiam conspiravit contra eum: & hortantibus, qui ejus honori insidiabantur, ad fodiendum ei foveam, Romam pro-

profectus est. Qui postquam reversus est, nocte Salzburgam Civitatem, timens Archiepiscopum, qui in castro tunc morabatur, transivit, pontem quoque transiturus. Castellanus hoc audiens Fridericus de Flunsberch descendit: & cùm cepisset eum tanquam insidiatorem & rebellem Domini sui, oculos ei continuò eruit. Ea propter ministeriales, insidiarum suarum capite prædicto, materiam damnationis & petram scandali se invenisse contra Dominum suum arbitrantes, ad Imperatorem se contulerunt, accusantes eum & crimen sacrilegii illi imponentes.

Vocatus ergo Moguntiam venit: & stans coram Imperatore in vestibus equitationi præparatis, Baculum Episcopalem in manibus tenens, statura eleganti & vultu gravi, ut omnia, quæ in eo videbantur, virum venerabilem & auctoritate plenum ostenderent; cùm de defuncto pulsaretur, vertens se huc & illuc, & omnes in circuitu residentes diligenter considerans, ac deinde se vertens ad Imperatorem dixit, neminem se in loco eodem videre; cujus accusationem vel sententiam vellet recipere super officio suo vel Episcopali vel Sacerdotali. Ad hanc vocem factum est silentium: & tam Imperator quàm universi adversarii ejus conticuerunt, ignorantes prorsus, quid responderent. Milites itaque, qui cum eo venerant, & constantiam illius tam sibi quàm illi occasionem certissimi interitus futuram priùs suspicabantur, atque ideo formidine atque anxietatibus pleni se quebantur eum, cum ingenti gaudio & exultatione domum reversi sunt.

Multis præterea sermonibus cùm frequenter jocularetur, maximè vulnerabat iniquam, quàm adversum se portabat, conscientiam Imperatoris, ut nonnunquam plus joco quàm seriò exasperaretur. Idcirco tempore quodam, cùm diebus multis detineret eum apud se in curia sub specie captivitatis, ut, quem perdere non audebat causam non habens idoneam, saltem metu mortis terreret & torqueret, ille à se milites, quos adduxerat secum, omnes dimisit & Clericos, videns eos pro his anxiari, quæ videbant & audiebant, metuque gravissimo tabescere, paucis servientibus retentis. Sed hoc ad injuriam Rex & ignominiam confusionemque suam convertebat: magisque ipse indignatione, quàm vir constantissimus timere nesciens, anxietate cruciabatur.

Cúmque, ut moris est, aliis recedentibus alii venirent ad curiam, & ab Archiepiscopo requirerent, quæ nova essent in curia, (respondit:) magna atque insolita atque à sæculis inaudita: quia Struthio ferrum devorans hìc dicitur esse, puniendus videlicet Episcopus, quia punienda nulla commisit: & moriturus, quia innocens est. Quod cùm audivisset Rex, indignatione & dolore commotus misit ad eum, redire compellens: quia procul dubio ferre non valebat impavidi cordis audaciam; quam nec reprimere poterat, nec punire audebat. Nec tamen ad præceptum illius statim recessit, ne fortè fraudem aliquam vel insidias pateretur in itinere, quousque ad locum veniret cum illo, unde securitatem haberet redeundi.

In his omnibus quis sapiens & intelligens non advertit & iniquissimi Regis perversitatem, quia non poterat diligere justum, in quo, quid reprehenderet, non invenit: & prudentissimi sacerdotis mirandam virtutem, quia tam potentis viri ferocitatem momentis omnibus sibi insidiantem non expavit & tanta modestia portavit, ut joco graviùs quam contumelia feriendo superaret? Unde hoc, nisi, quia juxta vocem psalmistæ: *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum?*

CAP. IX.

Secessus in Tusciam, & Saxoniam Canonici Reg. in Ecclesiam Salzb. inducti. Aliæ virtutes.

SAnè cùm infinitis affligeretur pressuris, foris habens pugnas, intùs timores, cogitare cœpit, qualiter inveniret requiem saltem ad tempus aliquod Spiritui Sancto. Audiens itaque, sicut supra per anticipationem breviter perstrinximus, de nobilissima & opulentissima muliere Mathilda (cujus ditioni tota tuscia serviebat) ad eam se contulit: & apud eam fermè quinque annis commoratus est. Deinde cùm mutarentur tempora, in meliorem

liorem (*fortunam*) commutata; rediit, A. tantumpaucis in Episcopatu permanens diebus, eò quòd Regi propter schisma, quod fecerat investituras Episcopatuum obtinere non valens, atque idcirco excommunicatus fuerat, communicare noluerit.

Multo itaque labore, multisque anxietatibus, per medium Adversariorum suorum transiens, milite uno & serviente contentus, Saxoniam venit: benignè receptus ab Episcopis, Hildensheimensi & Halberstadensi, Reginhardo & Algoso, sub duce Lothario, qui solus cum terra sua, id est, Saxonia, Sanctæ Romanæ B. atque Apostolicæ Ecclesiæ servabat obedientiam. Ibi quatuor, ut creditur, annis commorans à contagione schismatici erroris conscientiam servabat immunem.

Porrò cùm Ecclesiæ communioni restitutus fuisset schismate deleto; Archiepiscopus quoque reconciliatus Regi, Saxonum interventu ad sedem suam revertitur, doctrina & oratione strenuissimè regens Ecclesiam suam. Quam enim Divinarum pariter & humanarum rerum ignaram, quæ ad pietatem spectant, religionem, nec non & honestatem invenit, C. tanto studio excoluit; ut eam faceret omnibus virtutibus splendentem, usque in finem orbis terrarum radios suæ lucis transmittere. Ubi enim per totum orbem angulus tam in Oriente, quàm in Occidente, inveniri posse creditur, ubi nomen Chunradi Archiepiscopi & Ecclesiæ Salzburgensis auditum non sit, & celebri fama fulgatum? Quod utique inde evenisse dubium non est; quia omnia, quæ fecit, ad laudem & gloriam Dei convertit: totamque Ecclesiam sic ordina- D. vit, ut nihil in eo quisquam, nisi quòd justitiæ, pietatis, religionis & honestatis esse videretur, quæreret diligenter vel prædicaret.

In ipsa denique sede, quod fieri nunquam posse virtute vel potentia cujusquam mortalis hominis aliquis crederet, vanitatem ac jactantiam ac pompam evertens secularem, humilitatem Christi fundavit: ejectisque, qui in vulgo appellantur sæculares, clericos professores vitæ communis reposuit; & de toto sæculo ejusdem professionis homines, clericos & laicos, nec non & sorores coaduna- vit. Unde contigit per universum Episcopatum, ut in omnibus Ecclesiis seu monasteriis nulli penitùs, nisi Regulares vel Monachi inveniantur.

CAP. X.

Canonici Reg. etiam in Ecclesiam Gurcensem introducti. Quantam stragem Ecclesiasticorum moribus intulerit schisma Fridericianum.

Ipsæ quoque Moniales vel Monachi, qui à religione ordinis sui exorbitasse, videbantur, ad normam rectitudinis per eundem virum ita reducti sunt, ut Episcopus quoque Gurcensis, hujus viri virtutem æmulans (Dominum suum utique imitando, erat enim, antequam esset Episcopus, Capellanus illius) in Ecclesia Gurcensi constituit communis vitæ ordinem & professionem, sicut usque hodie perspicuum est, & oculis cernitur. Et hic quidem parvam habuit contradictionem. In Salzburgensi verò Ecclesia supra humanam virtutem fuisse, quod factum est, credebatur, si non Divina gratia atque potentia, inspiratione sua prævenisset famulum suum, ut rem tam arduam aggrederetur, & cooperatione adfuisset, ut consummaretur. Nemo ergo dubitet, omnia possibilia credentibus, quibus dictum est: *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transfer te, & transferetur.*

Sed o utinam ordo ille tam sanctus, tam bonus & verè Apostolicus in loco eodem tanto vigore progressus esset ut usque in finem perseverasset, quanto fervore in initio plantationis suæ germinare visus est. Verùm ne nos videamur os in cœlum ponere, & aliquorum contra nos furorem excitare, illorum judicio committimus, qui modò consistunt in loco eodem & sub eadem professione videntur vivere, quid de ipsis testentur. Nostrum est intentionis nostræ propositum prosequi, & ostendere, quantum in Ecclesia Dei universorum ordinum mutare fecerit statum à rectitudine, in qua stare videbantur, error schismatis: quod quartus à præfato imperatore iste, qui nunc superest, excitavit.

Iste

Iste siquidem secundùm vaticinium A. Isaiæ Prophetæ dicentis: *De radice colubri egredietur regulus*, venenum, quod à suis progenitoribus acceperat, tantò perniciosiùs effudit, quantò serpentina prudentia præ cæteris mortalibus, qui vel præcellisse in generationibus pristinis, vel adhuc superesse cognoscuntur, calluisse probatur. In hoc quidem schismate luce clariùs apparet, solem obscuratum esse, & lunam lumen amisisse, stellas quoque de cœlo decidisse, quando Episcopi, Abbates quoque & Præpositi, qui columnæ Ecclesiæ putabantur esse, contra B. rationem etiam juraverunt, & idolum Bethel . . erexerunt, dicentes pinguibus vaccis Samariæ. Hic est Papa; huic obedite, quem Imperator, non Christus, constituit.

Tunc veraciter impletum est, quod de tam periculosis temporibus Dominus noster Jesus Christus prædixit, dicens: *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Nam quid aliud dici debet vel potest, quàm iniquitatem abundâsse, & charitatem refriguisse, cùm C. totus occidens fermento malitiæ & nequitiæ tanquam convivio ingurgitatus, Deum ipsum & Ecclesiam Dei proscripsit, Archi-Episcopis, Episcopis, Abbatibus & omni fermè clero, ducibus atque Marchionibus & Comitibus juramento firmantibus, se nunquam habituros Imperatorem usque in sæculum, qui communicaret Apostolico & Romanæ Ecclesiæ, ubi sedem constituit Petro Principi Apostolorum Dominus noster JEsus Christus? O quàm profunda facta est abyssus humani cordis contra altitudinem Divini D. consilii? Ubi est illa exclamatio Apostolica: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus?* Ubi est illud Salomonis: *Non est prudentia, non est sapientia, non est consilium contra Dominum?* Porrò ubi est promissum ipsius Domini dicentis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam?*

Gaude, & exulta Chunradi Episcopi beata anima, quæ de hoc sæculo transire meruisti, antequam videres mala ista & nefas tam crudele & horribile, quale apparuit in diebus successorum tuorum, Eberhardi videlicet & Chunradi, atque Adalberti. Quamvis illi duo, Eberhardus & Chunradus vestigiis tuis fortiter inhærentes, etiam ipsi beati fuerint & immaculati in via; & in Cathedra pestilentiæ non sederint. Unde quis nesciat de utroque dictum esse: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino?* Rapti sunt itaque, ne malitia mutaret intellectum eorum, & præparavit divina clementia educere eos de medio iniquitatis. Porrò tertiùs, qui adhuc superest, Adalbertus filius Regis Bohemorum, quanta mala sustinuerit, vel quanta adhuc sustineat, in patulo est videre & cognoscere.

Sed quis finis tribulationis sperandus est? Ille utique novit, qui solus scit, quando vase ad gloriam suam consummato caminum suum extinguere debeat & prunas auferre. Interim ille expectet patienter, donec veniat Deo tempus miserendi ejus, legatque diligenter & sollicitè advertat illud Psalmistæ: *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum, ut mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea.*

Ab his dictis Athletam suum Dominus enpere curavit, cujus cor, & omnem cordis intentionem ita fixam sciebat in his, quæ ad Deum spectant, ut contravenire impatientissimo abominaretur animo; ita ut posset veraciter dicere cum psalmista: *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium sibi ceciderunt super me.* Qui enim contra minima & quotidiana hominum delicta tam graviter solebat stomachari & exclamare, si vidisset temporum nostrorum abominationes, & inaudita à sæculis Sacramentorum sacrilegia, quantùm exclamaret, dicens singulis horis Deo: *Tolle animam meam?*

CAP. XI.

Henricus Carinthiæ Dux ad petendam pacem, & Ecclesiasticam communionem à Conrado adactus.

Reversus de Saxonia, sicut supra diximus, reconciliato sibi Imperatore, eumque persequi jam desistente, cùm se crede-

crederet pacem habiturum, infinitas adversitates patiebatur à Duce Carinthiæ Heinrico, Fratre Patriarchæ Udalrici. Qui eùm Salzburgensem Ecclèsiam variis tribulationibus & pressuris afflixisset, omnia, quæ in Foro Julii possidebat, diripiens, & in suos usus transferens, tandem collecto exercitu transire disposuit canalem, totam Carinthiam invadere, & suæ ditioni subjugare desiderans.

A.

Huic tyrannidi Episcopus Gurcensis obsistens, potentia quidam & viribus longè impar, sed animositate & strenuitate, quàm in bello plurimùm valere compertum est, præstantior, legato in Bavariam directo, ubi tunc Archiepiscopus consistebat, hortatur eum, quantacunque posset copia militum coadunata, duci occurrere: nè desidia sua & illius pertinacia, tota in perpetuum Carinthia Ecclesiæ periret, promittens se quingentos milites in auxilium ejus adducere. Cujus exhortatione ille animatus cum mille militibus Carinthiam ingreditur, & in loco, qui crapvelt appellatur, compositis castris Ducis præstolatur adventum. Quo comperto Dux, qui totam terram circa Glanecke, quasi locustæ exercitu suo operuerat, angustiari cepit, quidnam potissimùm eligeret, congredi, an terga daret? Quia alterum horum propter excommunicationem metuendum; alterum propter confusionem ignominiosum: utrumque verò propter hostium vicinitatem & audaciam, nec non & dubium pugnæ eventum, periculosum videbat. Ut tamen pacem peteret, elegit.

B.

C.

Quamobrem nuntium dirigit, petens, Archiepiscopum ab armis desistere, & discedere, & in gratiam ipsius se postera die venturum, quatenus ab excommunicatione absolveretur. Illico Episcopus, qui ut leo contra ducem fremebat, nequaquam, inquit, inermes, sed in armis milites eum Dominum præstolabimur, ostendentes, se paratos ad pugnam pro honore beati Rudberti, & Domini sui. Mittit secundò, ut signum deponeretur. Nec hoc, inquit Episcopus, fiet: sed potiùs sub signo humiliabitur ante pedes Archiepiscopi. Misit & tertiò rogans, ne in eum milites clamorem excitarent. Tunc primùm Archiepiscopus promisit, se clamorem nullum excitaturum Venit ergo humiliter Dux nudis pedibus, laneis indutus, ut absolveretur, postulans. Quis dubitet huic viro Christum adfuisse, ut eum à pugnæ necessitate eriperet, ne sanguinis effusione oculi & conscientia ejus polluerentur, qui etiam beato Martino adfuit, ne inermis objiceretur hostibus?

D.

CAP. XII.

De assertione Castri Frisacensis, & Episcopi Gurcensis, ab Engelberto Duce obsessi.

POst hunc persecutores habuit alium Heinricum (qui junior appellabatur, & priori Heinrico mortuo Ducatum Carinthiæ obtinuit) & fratres ejus Engelbertum & Bernardum Comites. Sed Heinricus festina morte sublatus, Engelberto fratri crudelitatem, quam contra Ecclesiam excitaverat, prosequendam cum Ducatu dereliquit. Quem tamen præfatus Episcopus Gurcensis parva ministrorum suorum, & magna virtute divina fortiter depressit. Unde cùm ab illo in Castro Frisacensi clausus primùm obsidione militum teneretur, & usque ad extremam necessitatem deductus esset, adjuvante eum fideliter Engilscalcho Ministro Ecclesiæ Salzburgensis tanta virtute, tantaque constantia castrum defendit, ut hostes illud capi ullo ingenio vel labore posse desperantes, obsidionem solverent. Prius tamen constructis, ne liberam haberent exeundi vel quoquam progrediendi facultatem, tribus vel quatuor castris & militibus dispositis, adjuncta etiam villa Frisacensi, quæ tunc non, sicut modò, sub castro, sed contra castrum ex altera parte fluvii in medio decurrentis posita erat, & quotidie trecentis fermè loricis & clypeis instructos cives habebat. Coactus tandem tam diuturna & crudeli afflictione Marchionem de Austria Liupuldum, Patrem Heinrici, qui adhuc superest & Ducis nomine pollet, pecunia conduxit, seseque ab his, quibus diu circumdatus erat, pressuris auxilio illius liberavit, destructis castris, quibus vallatus erat, & adversariis omnibus longè dispersis.

Verùm cùm adhuc villa memorata Frisacensis incolumis maneret, & refugium inimi-

inimicis præstaret; Comitem de Sili-A. bich convocat occultè, & cum militum non parva manu inter eastrum Frisacense & proximum montem abscondit. Otto verò sole, exire fecit quosdam de castro quasi ad diripienda pecora, quæ ad pastum sequentibus pastoribus egrediebantur. Civibus itaque cum furore magno super hos irruentibus comes cum suis occurrit; & tanta cæde contrivit, ut ultra manum levare, nec audere possent. Aperta itaque via Episcopo & suis, ducem persecutorem suum tanta animositate & pertinacia prosecuti sunt, ut ab-B. jurarent prorsus de præda hostium nihil attingere; juramento quoque firmarent se paratos, ubicunque occurrerent illis, nec pro sua paucitate nec pro illorum multitudine terga dare; sed aut mori fortiter, aut ulcisci mala, quæ in Ecclesiam beati Rudberti & sanctæ Mariæ commisissent. Unde factum est, ut frequenter egressi, & adversarios eminùs aspicientes, mox super eos irruerent, & cæde ac mutilatione, vulneribusque ita contererent; ut se defendendi ausu penitus omisso, spem omnem salutis in fuga ponerent. Qua-C. mobrem dux tam suorum ignavia, quàm istorum constantia consilio perdito quid faceret, aut quo se verteret, nesciebat: quia quotidie variis cladibus perire suos videbat; & tamen redditus Episcopales, quos sibi vendicaverat, remittere dolebat & erubescebat.

Interea Episcopus centum Marcas obtulit duci, quatenus & Ecclesiæ parceret, & suos sibi redditus redderet vel restitueret. Quo renuente, D. ministris suis eandem pecuniam obtulit, ut auxilio sibi essent ad recuperanda, quæ dux abstulisset, id cùm se facturos firmissimè promitterent, surgens Episcopus, & ad singulas veniens curias, crucemque super portas ponens: Hæc inquit bona ex parte Dei omnipotentis Duci interdico. Quæ si ultra invadere præsumpserit, ultionem Dei & ministrorum Ecclesiæ sentiat. Hoc facto Dux consternatus animo, vellet nollet, à præsumptione sua quievit, & interdicta sibi bona ulteriùs non contigit. Cùmque argueretur à suis, quòd minas Clerici expavesceret, ait: Non hunc, sed potiùs ejus milites pannosos provocare in perniciem nostram & dedecus meum erubesco: quia si iterum contra nos surrexerint, & rubiginosis gladiis non funditus delebunt, & me de terra ejicient. Ex tunc inimicis contritis Episcopus sua sine contradictione possedit: & quamdiu juxta Archi-Episcopus erat, pacem habuit.

CAP. XIII.

Conradi in omnes Ordines beneficia & merita. Decor Ecclesiarum sub eo, & emendati Ecclesiasticorum mores, &c.

CEssante itaque tempestate, & occursu malo de toto Episcopatu sublato, multis modis Ecclesiam excoluit; primùm disciplina & religione, demum etiam rebus temporalibus & latissimis possessionibus in tantum; ut, quam pauperrimam suscepit vix inveniens centum Mansos suis usibus servientes, opulentissimam fecerit, bona seu per fraudem alienata, seu per violentiam invasa, recuperando & Ecclesiæ restituendo.

Non solùm autem circa se ipsum, id est, circa Dominicalia propaganda sollicitudinem habuit; verùm etiam omnibus claustris Monachorum, Canonicorum & Monialium industriam suam sic impendit, ut, quæ priùs obscura & misera & in paupertate extiterant, clara fierent, & tam personis quàm opibus gloriosa, ac bonis omnibus exuberarent, ut veraciter dicere posset secundùm Salomonem cum muliere forti: *Videte, quia non soli mihi laborem, sed omnibus exquirentibus veritatem.*

Quid dicam, quòd & ipsos sacerdotes per Episcopatum constitutos sive Plebanos continentia & hospitalitate famosos, vita & moribus claros, vestium decenti compositione ornatos fecit, ut quilibet per Episcopatum transeuntes glori-

glorificarent Deum, & cultorem tanto- A. rum bonorum prædicarent honore dignissimum? Mentior, si non audivi, ipsum RegemChunradum post mortem illius curiam celebrantem in Pentecoste Salzburgi dixisse, in pulpito coronam illius gestans inter missarum solemnia, nunquam se vidisse clerum tonsura, vultu, habitu universaliter tam splendidum, & oculis intuentium ita gratum. Qui etiam dum egrederetur terminos Episcopatus, & requireret, in quo esset Episcopatu? dictumque esset, in Ratispona, respondisse fertur: Apparet in Episcopatu Salzburgensi nos non esse modò; quia ipsæ Ecclesiæ, quas B. videmus, non ita venustum nobis exhibent aspectum. Nunquam etiam se vidisse civitatem testatus est, quæ tota illa esset repleta bonis hominibus, quæ servitio Dei ita ex integro esset dedita, & in laudibus Dei die ac nocte ita resultaret.

Notum est omnibus, qui adhuc superstites sunt. nec laborare oportet multùm, ut ostendatur, quomodo sollicitus fuerit pacem & quietem & tranquillitatem facere omnibus, sive sub Regula in claustris, sive in regimine plebium positis. Si enim suadente diabolo quenquam horum vel in persona, vel moribus dehonestare, aut C. læsionem aliquam inferre cognovisset, mox sine cunctatione, armatura Dei indutus, præcedentibus legitimis vocationibus excommunicabat auctorem facinoris, nulli parcens, nullius potentiam seu crudelitatem attendens aut extimescens; quousque sibi & læso componeretur, & congruam pœnam susciperet.

CAP. XIV.

Pax cum Hungaris firmata, & Marchia, ac Bavaria benè consultum. D.

Videns etiam, Marchiam Ungarorum excursione in solitudinem redactam, pacem cum Rege eorum firmissimam fecit. Hujus autem pacis primus omnium, qui eandem Marchiam inhabitabant, auctor extitit, optimo planè consilio & magna prudentia, quia partibus utrisque complacuit, & ingens commodum contulit. Ante hanc siquidem confœderationem non minùs molestiæ Ungari sustinebant, quàm Bavari; cùm utrorumque excursionibus, tam illorum quàm istorum terra quotidie vastaretur: nisi quod Bavari vel Sclavi plùs inde paterentur calamitatis; quòd tam homines quàm pecora, vel quælibet bona in manus diripientium venientia auferebantur, & terra eorum funditùs deserta remanebat. Quod post hanc pacem evenisse unquam vix quisquam docere poterit.

Semel namque eruptione solita Ungarorum id contigisse inde recordor, quòd pro hac re nuntius in Ungariam factus, auxilio Archi-Episcopi Strigoniensis Feliciani, in tantum profeci; ut jubente Rege, tam valida interminatione, ut, si quis bonum de captivis detineret, pro captivo ipse captivus fieret, & in servitio maneret Archi-Episcopi perpetuus exul, captivi omnes redderentur, & terræ suæ ac Domino restituerentur.

Sciendum autem huic rei non minimum opitulatum fuisse timorem Archi-Episcopi. Quia cùm in Marchia eo tempore positus fuisset cum Episcopis, Ratisponensi Chunone, Eckenberto quoque Monasteriensi de Westphalia, nec non & Gurcensi Hildeboldo, aliisque nonnullis Principibus, fama cucurrerat per totam Ungariam, & tam Principes quàm universum populum in timore maximo posuerat, eò quòd cum exercitu infinito Marchiam intrâsse diceretur: ut totam terram Ungariam invaderet, & usque Strigonium, quæ metropolis regni est illius, nihil vivens relinqueretur in ultionem populi sui in captivitatem abducti, atque ad injuriam violati fœderis (ulciscendam) cùm adversùs Ungaros ipse nihil mali commisisset.

Cùm enim ad memoratam civitatem venissem, & tam Archi-Episcopum, quàm universum populum in tali anxietate invenissem mihique diceretur, quomodo ausus fuissem intrare terram, quam spoliaturus venisset Dominus meus? nec illos securos omnino facere volens; nec Dominum meum hoc, quod timebant, facturum omnino negans respondi: non sic venit Dominus meus hoc tempore, sed potiùs expectare eum disposuisse; si redditis captivis fœdus initum servare vellent. Hoc responso audito nuntius ad Regem dirigitur. qui tunc in Marchia Ruthenorum morabatur: & sub festinatione

ne captivi omnes eum universa præda A. terræ suæ restituuntur.

Sciendum quoque occasione & fiducia tantæ concordiæ inter Regem & Archi-Episcopum, non solùm Episcopi terram antiquo cultui redditam, verùm etiam Marchiam villis, castris, & cultoribus ita repletam, sicut in præsentiarum cernitur, ut melior longè, modò esse credatur, quàm antiquis temporibus fuerit; cùm fertilitate & omni specie utilitatis non multùm distare videatur ab Austria: & distractio ac venditio hominum utriusque sexus, quæ antiquitus usitata extitit, B. nunc rarissima imò inaudita sit.

Nec prætereundum, cùm exusta fuisset Ecclesia beati Rudberti, quantùm profuerit ad restaurationem eius hæc confœderatio. Cùm mox ad aures Regis pervenit dolor & luctus Archi-Episcopi, regali munificentia delinire curavit dolorem illius, nuntium usque Salzburgam mittens oneratum auro & argento & palliis innumeris: quibus ditatum apparet adhuc ejusdem Ecclesiæ sacrarium.

Experimentum virtutum & industriæ ejus, de quo loquimur, Archi-Episcopi, qui vult, ex hoc capere potest. Quia, C. cùm hæc eadem Ecclesia exusta fuisset in die beati Floriani, in initio fermè Maji, in fine Septembris, id est, in die beati Rudberti consecrata est, Dedicationis solemnitate antiqua non mutata; & intra paucos annos multiformi venustate decorata à laquearibus usque ad pavimentum. Construxit etiam, quæ antea fuerant, turres altissimas; & campanis longè melioribus magnitudine ac sonoritate, quàm priùs, eas implevit: fenestris etiam & pictura, auro rutilante; parietes à fine us D. que ad finem, opere mirabili, ornavit.

CAP. XV.

Syllabus locorum, quorum vel fundatio, vel restauratio Conrado debetur.

SAnè quamvis in his, atque in talibus videre & cognoscere possit lector studium & intentionem illius circa decorem domus Dei: longe tamen melius apparet in his, quæ eum fecisse oculi omnium intuentur, sive ad utilitatem sive ad munitionem Episcopatus. Castrum siquidem quod civitati Salzburgensi supereminet, ab Archi-Episcopo Gebehardo inceptum, ab isto ita consummatum est: ut si victualia & propugnatores habeat, inexpugnabile videatur. Similiter & castrum in Wervin & elusa, quæ vel ad Carinthiam, vel Bonvoge seu Printzgove ire volentibus ipso situ & facie quasi loquuntur: hucusque transibis, & non procedes ampliùs.

Quid dicam de Frisacensi castro vel civitate? Quorum alterum, id est, civitas à fundamento præcepto ejus ædificata est. Alterum, id est, castrum ex majori ac meliori parte constructum, ac munitum, atque decoratum est ab illo: ut potiùs videatur esse Domus Imperatoris quàm Episcopi, undiqueversum intuentibus præbens gratissimum aspectum: quodque cæteris præstantius castris est, cùm situ humile & ad capiendum non multùm difficile videatur, omnino tamen inexpugnabile sit, multas habens in circuitu munitiones. *Libinze* à fundamento ædificare cœpit, sed imperfectum dereliquit: ideoque plus in robore militum quàm ex se firmitatis habet *Dechove* antiquum extitit castrum, sed dirutum à multis temporibus: atque ab illo, sicut hodie cernitur, reædificatum est. *Reichenburch* à novo ædificavit. Hæc tria castra super Ungaros ædificavit post compositum inter se & illos fœdus amicitiæ, hac intentione ac providentia ut, si fortè contingeret illos juxta naturalem inconstantiam fidem violare, marchia castris super loca congrua dispositis munita, repugnandi haberet ausum & copiam. Unde usque hodie à latrocinio & consuetis excursibus illorum libera floret, & bonis omnibus exuberare videtur.

Castrum Hoinburch ab Episcopo Nobilissimo Tridentinæ Ecclesiæ Altmanno, qui ex hæreditate hoc possidebat, impetravit: sicut & Præposituram sibonensem super Oenum positam, in Bavaria etiam construxit castrum, quod à fluvio præterfluente Tylam nomen accepit, & hodie Ecclesia possidet.

Præterea de Parochia præposituram Hallæ constituit, & Ecclesiam in die beati Martini consecravit. dans ad usus Canonicorum Regularium ibidem commoran-

tium

tium quartam partam Decimarum salis, A. quas à populo ejusdem loci cum magno labore obtinuit. Tres etenim partes earundem Decimarum Canonicis Salzburgensibus dedit, & jure perpetuo privilegio confirmavit.

Hic etiam Chunradus Archi-Episcopus memoratus ad instantiam petitionis Wolfheri de Tegernvvanch, uxorisque ejus Hemmæ, nec non filiorum eorundem videlicet Wolfheri & Heinrici, ipsorum prædia sita in Schuzing juxta fluvium, qui dicitur Alzanno, juxta fluvium, qui dici- B. tur Gota Mosvogel in suam provisionem & defensionem ad ordinem Cisterciensium Monachorum per eosdem designata & collata ex tenore recepit: ut Episcopali traditione omne jus Cœnobiorum, collationibus liberorum hominum vel ministerialium Salzburgensis Ecclesiæ irrefragabiliter communicet. Unde factum est, ut, cùm dictus vir nobilis Wolfherus de Tegernvvanch, & uxor ejus Hemma anno Domini MCXLIII. sexto Kal. Novembris, hoc est, in vigilia Beatorum Apostolorum Simonis & Judæ, adhuc in hac

A. vita beatissimo Patre Bernardo Abbate Claravallensi annis ferè decem, hanc fundare cepissent Abbatiam in proprio prædio, dicto Schutzing, sæpedictus Dominus Chunradus ejusdem nominis primus sanctæ Salzburgensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, considerans, hunc situm loci non esse aptum ad præfatum ordinem observandum; Año Domini MCXLVI. præsidente in sede Romana sanctissimo Papa Eugenio tertio ex filiis spiritualibus beati Bernardi ad Apostolicam dignitatem as- B. sumpto Pontificatus sui anno primo: in ipso vero Romanorum Imperio feliciter regnante Conrado secundo, anno Imperii sui octavo, ad habitationem Fratrum & situm cœnobii, alta consideratione consilii, antiquam Ecclesiam suam Raitenhaslach in hoc loco sitam, & constructam quondam sub patrocinio sancti Pangratii Martyris, ut tradit antiquitas, quæ tunc vacabat, cum decimis, dote, & familia, omnibusque necessariis, remota parochia, fratrum usibus & potestati contradidit: ut &

Cætera desideramus in Codice Petrensi.

SANCTÆ ALRUNÆ
MARCHIONISSÆ CHAMBENSIS
VITA

AUCTORE
ANONYMO BENEDICTINO NIDER-
ALTAHENSI IN BOJARIA.

Prodit nunc primùm in lucem ex Cod. MS. Inclyti Monasterii Cellæ Sanctæ Mariæ in Austria Ord. S. Bened. operâ P. Bernardi Pez, qui eundem cum alio recentiori codice Nideraltahensi contulit.

VITA

PROLOGUS
AUTORIS IN VITAM SANCTÆ ALRUNÆ.

Cùm sit absurdum, & rationi profectò dissonum, fragili materiæ attentare vires fortiores, & inertem sensum doctissimorum vendicare officium, opus istud, vitam videlicet beatæ & Deo dilectæ Alrunæ rogatu & sollicitudine virorum illustrium, ac Deo militantium edere persuasus, diu continuatis precibus illorum obstiti, minimè ad hoc idoneum & sufficientem me cognoscens, precibus tamen venerabilibus, & justè fiendi desiderio contraire, non virtuti sed criminis nævo ascribendum est. Sanè igitur, ne tantæ suffragatricis apud mortales præconia longiturnitate vilescant tacendi, in memoriam venerationis ejus sanctissimæ præsentem codicellum humili sermone & quasi humo reptando conscripsi. Testor etiam ipsam beatam fœminam, & etiam in quem in terris posita ardenti animo anhelavit, nihil me gratia favorabilis auræ apponere, nisi ea, quæ venerabilium virorum & Ecclesiasticorum auctoritate roborata videntur. Cæterum ad vitæ ipsius historiam calamus ducendus est.

Incipit Vita.

CAP. I.

Alrunæ locus, & tempus natale. Futuræ sanctitatis indicia.

Cùm nostræ propaginis genus à sede claritatis & honoris conditione pro Divini mandati transgressione & versuti antiqui hostis ruisset astutia, Deus Pater alto suæ providentiæ consilio, cùm plenitudo temporis subintravit, volens illud ineffabili misericordia & gratuita munificentia sua in pristinum reformare dignitatis gradum, misit filium suum æternaliter ex se genitum, ex intemeratæ virginis utero, Spiritu Sancto conceptum, temporaliter nasciturum; qui, sicut materna viscera, servato virginitatis sigillo, Deificè intravit, sic sine omni materia doloris nostræ carnis infirmitate indutus, à virginali utero in hunc mundum conditor mundi processit. Participans igitur naturæ nostræ dispendiis præter peccata, quæ in naturam non vertuntur, naturalia jura persolvit. Verùm qui propter servi redemptionem servi carnem assumpsit, geminam salvandi formam servo proposuit, Corporalis quidem martyrii pro fide vera & regni cœlestis patria prædicavit formam, & materialis passionis æquipollentiam. De corporalis quidem passione dictum est Apostolis, & eorum sequacibus: tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis &c. Et rursum: nolite timere eos, qui occidunt corpus &c. Per secundum autem Martyrium, spiritualem scilicet Sanctorum monomachiam, vigilantia Confessorum, integritas Virginum, munditia continentium, sanctimonia viduarum, fides & justitia conjugatorum figuratur. Unde & ipsa Veritas vocat eos dicens: venite ad me omnes, qui laboratis &c. Quorum conflictum Apostolus in se præsignavit dicens: affligo corpus meum, & in servitutem redigo. De illo etiam cætu fuit hæc beata & venerabilis fœmina, quæ sic carnis onere contra carnem dimicavit, carnalia cuncta perdomuit, ut non in corpore, sed extra corpus, car-

carnalia desideria calcando, cùm Ange- A. lis conversari videretur.* Tempore itaque illo beatissimus Heinricus Romani Imperii moderabatur monarchiam, cujus inclyta gesta, & clarissimi meritorum tituli in tota fidei Catholicæ rutilant Ecclesia. Bavarorum siquidem gens divinitus visitata, ac novi sydetis jubare irradiata cælestis curiæ futuram civem ex se genuit* Alrunam. Felix terra, quæ tanta prolis fœcunditate lætatur! Felix cognatio, quæ tanto sanguinis privilegio dotatur; Felix locus, qui tam egregii pignoris celebritate sublimatur! Beata igitur Alruna, quantum ad sæculi dignitatem, nobi- B. libus natalibus extitit oriunda, & illustri prosapia Chambensium orta, velut Lucifer emicuit. Licèt autem eam alti generis ingenuitas summè venustaret, nobiliores tamen actus, & morum elegantia excellentiùs hanc intitulabant. Ab Ipsis namque cunabulis, & puetitiæ crepundiis dies suos in meditatione legis Dei ita decursavit, ut futuræ sanctitatis in ea vestigia evidenter agnoscerentur. Legerat enim in tabulis cordis divinitus afflata illud Psalmistæ: *Beati immaculati in via &c.* Unde cum eodem Propheta frequenter ruminabat & hoc dicens: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.*

** Hic incipit codex recentior Altabensis.*

** Cod. Alt.* edidit.

CAP. II.

Alrunæ conjugium cum Mazlino, indeque suscepta proles, pauloque post secuta mariti mors.

PRocedente verò tempore, dum ad D. nubilis ætatis multarum virtutum incrementis * pervenisset maturitatem, virginitatis proposito perpeti * insudare, Apostolicæ doctrinæ fidelis auditrix sitienti animo quæsivit. Amici verò ejus, conati, & affines à tali eam proposito deflectentes, nobili cuidam, dicto Mazlino,* ipsam sub matrimonii Sacramento copulabant, salva tamen reverentia divinæ præordinationis; quia corruptio carnis per copulam maritalem * suæ castissimæ menti nil, vel minimè præjudicavit, cùm non solùm virgines, sed etiam viduas benedictio Dominica reci-piat. Latiùs siquidem diffunditur exemplum pœnitentium quàm virginum. Nam plures fovet mater Ecclesia, qui errata correxerunt, quàm qui errare non noverunt. Plures ergo sunt justificati, quàm justi. Veruntamen hæc beata fæmina instat utriusque viæ, justitiæ videlicet, & justificationis ita cum Martha satagebat circa frequens ministerium, ut cum sorore Marthæ non decresceret speculationis studium. Maritali gubernaculo, prout decuit, devota regebatur, præceptum egregii Doctoris gentium, qui uxores viris subditas esse in Domino hortabatur, fideliter imitata. Tenebat enim hoc eam astrictam: *Vir uxori debitum reddat, similiter uxor viro.* Nullo tamen fervore libidinis æstuans tam castè cum eo vixit, ut Deo potiùs quàm mundo vixisse credatur. Beata ergo Alruna, cùm prolem hæreditatiam maritali fæcunda suscepisset commercio, post pauca dierum curricula, vir ejus universæ carnis viam ingressus, feliciter migravit ad Dominum. Ipsa autem * thoro maritali viduata, & lectum viduitatis sum- C. mè amplexata, voci Salvatoris non surdam accomodavit aurem dicentis: *Ego sum via, veritas & vita.* Via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. Hunc ulnis totius desiderii & miræ * dilectionis prærogativa amplectens, ipsum solum ardenter amabat, quem verum solem justorum, æternum præmium suorum inambiguè cognoverat, frequenter ruminans cum Propheta: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea.* Item cùm in Cedar, id est, in taberna- D. culis hujus mundi se immorari querebatur, ad creatoris sui contemplabilem pulchritudinem vehementiùs animo attollebatur, dicens cum Apostolo: cupio dissolvi, & esse cum Christo.

** Cod. Alt.* multo virt. incremento.

** Cod. A.* perpetuo.

** ibid.* Macelino.

** Cod. Mar. Cel.* materialē.

** Cod. Alt.* Quoniam quidem thoro.

** Cod. Alt.* maximæ.

CAP. III.

Alrunæ virtutes, & sancta desideria in statu viduitatis.

POst obitum verò viri sui crebris vigiliis sine intermissione, orationibus duplicatis, ac jejuniis lascivientem carnem frangebat, malens stomachum dolere, quàm superfluo fomento carnali mentem la-

lascivire. Itaque quæ prima Christianæ religionis virtus est, hæc sacra fæmina tantâ humilitate se dejecit, ut non ipsa, sed quasi una de novissimis ancillis ejus credi liceret. Mira patientiæ virtute emicuit,* adeò ut nullis adversis frangeretur, nec in prosperis, tanquam virtutibus undique quadrata, inanis motu gloriæ extolleretur. Si procellis tentationum interdum quatiebatur, verbis Salvatoris muniebatur dicentis: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Noverat enim expressè, quòd non essent condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. In crebra infirmitate ac labore* confortabatur cum Apostolo dicente: *Quando enim infirmor, tunc fortior sum, & potens.* Et: *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem, & corruptivum hoc induat incorruptionem.* Si dispendia rerum familiarium ingruebant, cum beato Job decantabat dicens:* *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc.* Igitur hæc sancta fæmina talem se normam & exemplum omnibus matronis vivente adhuc viro, & post discessum* ejus exhibuit, ut nec maledica lingua invidorum ipsi derogare in minimo quicquam* valeret. Cupiens sanè mundanis se eximere curis, & de medio Babylonis effugere, assumpto religionis habitu, vitam solitariam affectavit; quia nemo militans Deo, implicat se negociis secularibus. Verumtamen à tali proposito per venerabiles personas revocata, domesticæ dispensationis gratiâ, quam mirificè explevit, exterior homo solicitudini Marthæ incubuit, nec interior Mariæ quietem deseruit. Pretiosiora quæcunque facultatum suarum in ornamenta ecclesiarum contulit, reliqua pauperibus Christi, honestis viduis, pupillis, & orphanis velut fidelis dispensatrix erogavit. Nemo istâ fuit in caritate diffusior, sic, ut Divinum illud mandatum fideli mandaret executioni, in quo dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &c.* Quid adhuc referam mira ejus obsequia, ministeriaque circa ægrotos, & uberrimæ liberalitatis indeficientem modum in hospites, advenas, & peregrinos Christi? Omnes visitabat, omnes vestiebat, fovebat, alebat, omnes Divini verbi pastu recreabat. Seminabat carnalia, & *metebat spiritualia; dedit temporalia, ut reciperet æterna, erogavit terrena, ut communicaret cœlestia. Sancta enim fæmina in omnes, maximè in domesticos fidei, movebatur compassionis affectu, ac quorumlibet miseriæ miserans, & profectui congaudens,* omnibus omnia efficiebatur.

* ibid. enituit.
* ibid. laboribus.
* ibid. dicente.
* ibid. decessum.
* ibid. quoquam.
* Cod. Alt. ut meteret.
* ibid. & quorumlibet miseriæ compatiens, & pio fructui congaudens flevit cum flentibus, gaudebat cum gaudentibus, omnibus omnia effic.

CAP. IV.

Zelus animarum in Alruna, cui sanctiorem vitam debuerunt Mechtildis famula, & Wilhelmus eremita.

Quapropter miro sanctissimæ suæ conversationis exemplo plures lucrifecit. Unde & quandam pedissequam ejus, dictam Mechtildem,* divini verbi pane reficiens, sale sapientiæ condivit, & ad parem miraculorum coruscationem* vocavit. Alium quoque sanctum hominem, Wilhelmum nomine, elemosynarum suarum stipendiis maternè fovit, & semitas* justitiæ creberrimè informavit, pariterque divini favos eloquii carpentes, jugiter cœlestibus insudabant, ut utrique meritò illud præconium *Psalmistæ ascribatur: *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine &c.* Præfatus autem homo altioris vitæ semitam volens investigare, & contemplationis æstu fervens, elemosynis illius renuntiavit, indignum reputans carnem, quæ concupiscit adversus spiritum, tam lautis fomentis refocillari. Sic igitur à sancta muliere, ea licèt invita, corporali præsentia discedens, loca petiit nemorosa, montemque Dei Genitricis ascendit, jejuniis & orationibus intentus, & nulli hominum pietate secundus. Cùm autem per nocturnas excubias Matutinorum synaxi* appropinquaret, Cœnobium Sancti Johannis Baptistæ adjacens flumini, cui nomen Rimichna,* visitavit, & tandem consultis orationibus & laudibus Deo decantatis, ad montem præmemoratum repedavit, clam accedens, clamque recedens; quod nec brumali algore, nec æstivo calore prætermittens, humillimis vestibus tectus frequenter secum asperiorum *pondus tribulorum contraxit, quibus* læsus sanguinem, pedibus suis decurrentem,

* Cod. Alt. Mathildam.
* ibid. ad parem sanctitatis coronam voc.
* ibid. semita.
* Codic. Mar. Col. præceptū.
* Cod. Alt. synaxis.
* ibid. Rinchna.
* ibid. asperitiorum.
* ibid. quo sanguinem &c. occultaret.

tem, terræ intritum occultavit: est enim A. via montium frequentia distorta & amfractuosa, Saxorum asperitate laboriosa. Cujus corpusculum ad prænominatam Sancti Præcursoris Domini Ecclesiam delatum, in medio ejusdem Ecclesiæ requiescit, omnibus aliquo corporali laborantibus incommodo, illucque preces suas devotè fundentibus, per merita ipsius Divina clementia pristinam reddit sanitatem.

CAP. V.

Vestes ab Alruna ad Solis radium appensæ. Annona miraculosè multiplicata, &c.

Rursus ordinem narrationis & glorificationis sanctæ Dei amicæ carpentes, quoddam insigne miraculum, quod Dominus per merita ipsius ostendere dignatus est, explicabimus. Quadam enim die, dum membra fatigabunda de ecclesia deferret, exemplo Josuæ, ductoris Israëliticæ plebis, & Gabaon solem in occasu suo figentis, donec ulcisceretur se de inimicis suis, radium solis plena fide & virtute, vestium suarum firmum fecit retinaculum. Cujus miraculi magnitudinem multi, qui tunc præsentes fuerant, posterorum memoriæ transmiserunt, tam celebre signum scripto dignum judicantes, quò & ipse Deus mirabilis in sanctis suis glorificaretur, meritaque venerabilis, ac Deo dicatæ matronæ venerationi hominum revelarentur. O ineffabilis gratia! O inæstimabilis potentia, quæ etiam solem, totum mundum irradiantem, electis suis ad nutum servire concedit! Aliud etiam miraculum Divina pietas meritis ipsius accumulavit. Quodam quippe tempore hospitum supervenit frequentia, apud illam prandium accipere solitò volentium, quos ipsa caritatis visceribus plena, gratulabunda suscepit. Dispositura verò illis tandem annonam congruam, procuratorem domus suæ convenit; sed nec quicquam apud illum, præter panes, qui mediæ parti non sufficerent, invenit. Erant autem universa erogata inter peregrinos & pauperes supervenientes, qui consuetam apud illam quærebant frequenter alimoniam. Cùm ergo Oeconomus domus tanquam offensam Dominæ suæ incursurus rerum quereretur defectum, illa videns eum nutantem, confidenter dicebat: non tristando commovearis: potens enim est Dominus, qui mensam populo suo paravit* in deserto, & siccam rupem jussit fundere aquas, qui & quinque millia hominum de quinque panibus & duobus piscibus satiavit,* benedictione sua nostro defectui dare affluentiam suæ largitatis. Cùm hæc locuta fuisset, tantillum, quod habuit, facto* signo vivificæ crucis benedixit, & omnes hospites suos opulentissimè pavit. B. Ecce antiqua Helisei Prophetæ benedictio, quæ paucis de cibariis multos in longum aluit artifices! Ecce abundantia panum quinque satiatis quinque millibus hominum! Ibi duodecim cophini fragmentorum colligebantur, hic plus superfuit, quàm mensæ apponeretur. Cujus miraculi laus subito magno vocis præconio a convescentibus est diffamata. In his autem omnibus non inaniter extollebatur, sed humilitatis jugo depressa,* humanum favorem abdicabat, illi soli placere desiderans, quem solum ardenter C. super omnia amabat.

* Cod. Alt. præparavit.

* Cod. Alt. saturavit.

* ibid. sancto.

* ibid. repressa.

CAP. VI.

Pius Alrunæ obitus, exsequiæ, sepultura in Monasterio Altahæ inferioris,

Volens igitur pius conditor remunerare laborem dilectæ famulæ suæ, & eripere de hoc seculo nequam, ne malitia mutaret intellectum ipsius, gravissimæ* febris incidit invaletudinem,* & Spiritu deficiente anhelabat in mortem. In novissimo, inquam, sudore, quo mortalium vita finitur, Spiritu frequenter hæc concrepando sonabat: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit & def. &c.* Et: *melior est dies una in atriis tuis super milia.* Et rursum: *credo videre bona Domini in terra viventium.* Statimque, ùt audivit sponsum vocantem: veni amica mea, speciosa mea, columba mea, quoniam hyems transiit, imber abiit, & recessit, læta respondit: flores apparuerunt, vineæ florentes odorem dederunt, tempus sectionis advenit. Claudens verò hujus lucis feliciter diem extremum, & choris stipata virgineis, ci-

* Cod. Alt. valetudinem.

vis

vis effecta est Salvatoris. * Secura ergo A. est hæc sancta mulier, quia jam coronam de rosis plectit & liliis. Non enim publicæ confessionis passio tantùm commendatur, verùm etiam longitudinæ vitæ sanctimonia pro martyrio habetur. Unde in Canticis Cantic. *fratruelis meus candidus & rubicundus*; in pace siquidem & in bello vincentibus præmia tribuens Sacrilegium verò putabat, qui tali fæminæ non ultimum reddidisset officium. Viduæ & pauperes nostri exemplo Dorcadis vestes ab ea exhibitas ostendebant: omnium egenorum multitudo matrem & nutricem * se perdidisse conquerebantur. Luctus ergo ingens oritur, & viduarum, pupillo- B. rum, egenorumque plangentium vox una efficitur: heu pia mater, quis post te consolabitur nos miseros? Quis manu misericordiæ nos relevabit? heu quis reficiet famelicos? heu quis vestiet nudos? Quæcunque enim genuisset, tu pia mater parvulos, in cunis vagientes, nutriebas, & inopes omni bono replebas. Expleto tandem luctu multi nobilium præsentes piè * humeros feretro subjicientes, prosequente turba filiorum, ac nepotum * illorum illustrium Chambensium, sanctissimum corpus ejus in basilicam sancti Mauritii Altahensis Cœnobii detulerunt, ubi Psalmorum & Hymnorum modulationibus rite peractis, venerabile corpusculum sub altari sancti Osvaldi Martyris *b* per C. manus quorumlibet Ecclesiasticorum virorum honorificè quiescit humatum, ubi per merita * ipsius fideliter postulantibus plurima beneficia præstantur. Dormivit autem hæc beata fæmina VI. Kal. Febr. hujus vitæ certamine finito, cursu consummato, fide servata; de reliquo reposita est ei corona justitiæ. Veneremur ergo fratres Karissimi ex dilectione memoriam beatæ Alrunæ, quam piam apud Christum cognoscimus suffragatricem, D. quatenus per merita ejus nos ei conregnare concedat, qui vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum Amen. *

Librarius Altahensis notat annum Chr. 1045.
Cod. Alt. nutritiam.
ibid. pios.
Cod. M. Col. neptium.
b
ibid. nutum.
Hæc clausula deest in Cod. Alt.

CAP. VII.

Miracula ad sanctæ sepulchrum facta. Contractus, & paralyticus sanatus. Dolor stomachi vehemens, febres &c. depulsa.

Miracula igitur Deo dilectæ fæminæ Alrunæ digno relatu succinctè perstringentes subnectimus, ut, quantò sanctitatem ipsius vehementiùs miramur, tantò in exemplorum ejus claritudinem ardentius rapiamur. Volens igitur Dominus noster Iesus Christus merita * beatæ & dilectæ suæ mundo clarescere, & quàm copiosa ejus merces sit in cœlis, quæ tam frequentibus signis honoratur in terris, his indiciis patefecit. Quadam die aridus & contractus quidam, dictus Wilhelmus ad tumbam sanctæ matronæ procumbens, & preces uberrimas fundens, patrocinium beatæ famulæ Dei instantissimè imploravit. Qui surgens ab oratione, dum altare Principis Apostolorum in eadem Ecclesia visitâsset, subitò contractos nervos mirum in modum sensit extendi, & aridis membris sanguinis intellexit infundi vigorem.

Rursus alio tempore Abbas claræ conversionis * ejusdem loci, in quo sacri corporis ejus gleba tenetur, & à fidelibus dignè veneratur, Dietmarus nuncupatus, in tantum paralysis pulsabatur incommodis, quod etiam membrorum officialium, manuum scilicet & pedum impos officiique nihilominus existeret. Requiescens ergo aliquando in lecto; * infirmitatis suæ, visa est beata fæmina * procera statura, vultu venusto, religionis habitu ei astare, portans absconsam medicinam in manu eum vase unguentario. Inclinansque se beata Alruna, absconsam manum clàmidi ægroti subinferens, membra ægrotantia prædicti Abbatis lenissimè pertractavit, & unguento delibuta pristinæ incolumitati restituens, continuò ab eo disparuit. Expergefactus * verò, statim sensit Divinum affuisse auxilium, gratias agens benedixit Dominum, qui per merita dilectæ * suæ sanitatis ei contulit remedium.

Illud etiam silentio prætereundum non patimur, quòd adolescens quidam, dictus Udascalcus, * sacræ professionis alumnus, gravi & continua stomachi laborabat infirmitate. Qui ad tumulum sanctæ Dei famulæ fæcundis lacrimis se devotè, * prosternens, patrocinium ipsius devotissimè imploravit. In ipsi verò orationis hora divinam consecutus est medelam; quoniam quidem stomachum, opposita

Cod. Alt. vitam.
f. conversationis.
Cod. Alt. lectulo.
ibid. beatæ fæminæ.
ibid. proficiens
ibid. electæ.
ibid. Vodalscaltus.
ibid. votivè.

qualitate corruptum, & diuturna * infir- A. mitate infectum in melius commutari repentè sensit, ac protinus prorumpens in vomitum totius doloris materiam exhausit.

* *ibid.* diutina.

Fuerunt & alii duo Monachi, dicti Einvvicus & Albertus,* quorum unus* gravissima stomachi invaletudine* diu fatigatus, tandem ad sepulcbrum beatissimæ Alrunæ saluberrimæ sanitatis recepit vigorem. Alter quidem gravissimis & diuturnis correptus febribus, ad tumulum sanctæ matronæ in annua festivitate ipsius preces fudit. & sacrosancto corporis & sanguinis Christi mysterio recepto, eadem B. die feliciter migravit ad Christum.*

* *ibid.* Eurvvitus & Adelpertus.
* *ibid.* primus.
* *ibid.* valetudine
* *Cod. A't.* e seculo.

Mulier quædam, puerum habens longo tempore valido detentum languore, ad sepulchrum eum sanctæ* fæminæ detulit, & pro illo electam Dei interpellans, completa oratione eum expirâsse cognovit.

* *ibid.* prædictæ.

Rursus claudus quidam ad sepulchrum ipsius vota persolvens advenit,* & nervorum renovata compagine, gressum recepit.

* *ibid.* pervenit.

Mulier quædam nimio dolore capitis constricta, votivas preces ibi fudit, & sanitate recepta in signum virtutis & ob no- C. vitatem miraculi crines auretenus abscissos ad sepulchrum reliquit.

Parvulus * quidam inguinum dolore ac genitalium admodum intumescens,* & ad sepulchrum ipsius delatus, mediante beatissima Alruna,* salutis percepit auxilium.

* *ibid.* Paulus.
* *ibid.* extumescens.
* *ibid.* beata fæmina.

CAP. VIII.

Alia miracula, sancta Alruna meritis, ac intercessione patrata.

ALiud miraculum dignum memoria ob insigne virtutis ejus recitamus, ut, quantæ sit apud terrigenas venerationis, cujus memoria tam celebris habetur in cœlis, perpendatur. Miles quidam hostium incursu captivatus, & carceri mancipatus, compedis periculo & gravissimorum vinculorum discrimine afficiebatur. Invocans autem sanctum & Deo dilectum Egidium & beatam Alrunam subito sopore, & tanquam in extasi raptus, vidit senem veneranda canitie, veste præfulgida, eum quadam fæmina gratuitatis* titulo sanctæque conversationis habitu sibi astare, & claustra vinculorum ipsius lenissimè solvere. Itaque experrectus ipse, & in se reversus, nexus vinculorum ejus laxos invenit, immensas illi referens gratiarum actiones; qui solvit compeditos, & erigit elisos, & qui in sanctis suis se mirabilem, & omnipotentem ostendit. Surgens verò exemptus à vinculis, vigiles carceris somno gravatos reperit, & compede accepto exiliens à carcere, partem compedis vota persolvens cum orationibus, & laudationum applausibus ad sepulebrum sanctæ Alrunæ detulit, reliquam partem visitando limina Sanctorum, ad memoriam sancti Ægydii deferre decrevit.

* *ibid.* gravitatis.

Mulier quædam posita in vicino quodam oppido, quod dicitur Osterboven, vehementi oculorum dolore correpta interventu beatæ Alrunæ sanitatis remedium adepta est.

Item Monachus* quidam, filius ejusdem Ecclesiæ & alumnus, ubi sancta fæmina requiescit, dictus Wilhelmus, quotidianis per triennium quolibet mense Martio laborabat febribus. Hic dum cunctis prorsus destituebatur viribus, animo nihilominus tamen concepit, ut sepulchrum hujus sanctæ votivè visitaret, & veniens fæcundo fonte lacrimarum super tumulum Deo dilectæ matronæ se confidenter jactavit. Et mirum dictu! dum in ipsa oratione nimio dolore afficeretur, quasi extra se raptus jacens quievit. Tandem in se reversus ab omni infirmitatis materia se liberum invenit, nec postea vestigium aliquod ejusdem doloris in se cognovit.

* *Cod. Alt.* Matthæus.

Puerulus quidam de villa, quæ dicitur D. Schvvarchach,* Heinricus nomine, nimia debilitate exigente, pedem dextrum à gressu suspensum per notam contractionis diu doluit. Unde amici ejus vehementer commoti, matri ejusdem consuluerunt, quatenus votivo munere puerulum ad sepulchrum beatæ Alrunæ deferrer, & ibidem patrocinium ejus fideliter imploraret. Quo facto, puer, qui claudus venerat, sospes gaudentibus amicis resiliit. Porro notandum denique, quòd si sanctæ matronæ stupendas virtutes stilo exarare quærimus, nimiam prolixitatem operis incurrimus, & fastidium potius

* *Cod. A't.* Schvvarzach.

*ibid. desidioso. tiùs, quàm delectationem tædioso * le- A. ctori, & ignem charitatis non habenti, ingerimus. Cæterùm ad sanctitatis ejus notitiam, & venerationis cultum hæc summatim dicta sufficiant Amen.

Explicit.

Plurimum Reverendi, & Clarissimi Domini P. Joachimi Stich, Prioris Nideraltabensis ad vitam S. Alrunæ Notæ.

a Hujus beati viri Wilhelmi corpus, quod hic in medio Ecclesiæ Rinchnanæ repositum fuisse B. *dicitur, circa annum 1420. è tumulo levatum, & per F. Erasmum, Cœnobii illius Præpositum, postmodum Abbatem in Prüffling, ac per F. Matthiam ejusdem Præpositura Custodem in altari B. V. Mariæ collocatum fuit, ut scribitur in eodem MS. Codice, in quo vita S. Alrunæ extat. Porro cùm circa annum 1688. hoc ipsum beatæ Virginis altare à P. Anselmo Guggemos, tunc Præposito, loco motum fuisset, in eo, & quidem sub singulari parvula fornice ossa quædam humani corporis. quercina inclusa cistula, reperta sunt una cum scheda seu charta pergamena, cujus tamen nemo vel litteram ampliùs legere, aut distinguere potuit. Quare hæc omnia, cùm nullo certo indicio, cujus hæc ossa essent, dignosci posset, post aliquod tempus iterum in eadem Ecclesia propè hodiernam SS. Apostolorum aram fuerunt recondita.*

b De isthoc S. Oswaldi altari hodie nihil ampliùs constat. Asservatur tamen adhuc propè veterem sacristiam sarcophagus quidam ex rudi, & satis impolito Lapide, & cum opertule similis materia, cujus oræ hæc perantiquo charactere verba insculpta legimus:

Felix Alruna Christo prece nos Coaduna. *Et hunc quidem sarcophagum his ipsis diebus,* (Anno 1717. mense circiter Octob. fecimus aperiri) *sed omnino vacuum reperimus, neque ullo ex capite augurari possumus, quo tempore beatæ Alrunæ ossa inde fuerint exempta: multò minùs cujus auctoritate vel jussu eadem publico cultui fuerint exposita, sicut videmus factum fuisse, & hodiedum fieri in singulari aliqua hierotheca.*

VEN. LUDOVICI BARBI
EPISCOPI TARVISINI
ORD. S. BEN.

LIBER

DE

INITIO ET PROGRESSU
CONGREGATIONIS BENEDICTINÆ

S. JUSTINÆ
DE
PADUA, NUNC
CASSINENSIS.

Nunc primùm è MS. Cod. Inclyti Monasterii S. Justinæ Patavii erutus & communicatus ab Adm. R. & Cl. D. P. Josepho Maria Sandi, ejusdem loci Bibliothecario.

EPISTO-

EPISTOLA AD MONACHOS CONGREGATIONIS DE OBSERVANTIA SANCTÆ JUSTINÆ ALIAS UNITATIS

DE CAUSA HUIUS LIBELLI.

Dilectis Deo & hominibus, A. ac Domini nostri JESU Christi servis fidelibus omnibus, qui sunt, & qui per tempora erunt de congregatione Monachorum de observantia sanctæ Justinæ, aliàs unitatis nuncupata Ludovicus humillimus ejusdem congregationis servus salutem & gaudium sempiternum. Cùm in Evangelio Matthæi
Matth. 15. 13. scriptum sit: *Arbor, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur*: & in Actibus Apo-
Actor. 5. 38. stolorum: *Si ex hominibus opus est, dissolvetur*: B. Quidam vestrum de præfata congregatione nostra hæsitantes, ad hujusmodi ambiguitatem serenandam: quidam verò pro sola devotione à me pluries postulârunt, ut de initio hujus congregationis, & si quæ indicia de operatione divina tam in ipsius innovatione quàm & progressu agnoverim, illa ad perpetuam rei memoriam, ac præsentium & futurorum consolationem in scriptis redigerem, quod me facturum spopondi, ante omnia exorans, quatenus pro rudi stilo, ac rustico C. sermone ignorantiæ meæ pius corrector & lector veniam præstet.

CAP. I.

In quo ostenditur per rationes & exempla hanc congregationem à Deo, non ab homine processisse.

Fratres dilectissimi antequàm ad speciales revelationes, nonnullis servis Dei factas de hac ventura congregatione deveniam, scire debent devotiones vestræ, quòd, quando Deo opus aliquod præcipuum, & insigne suæ summæ clementiæ, incomprehensibili sapientiæ, & infinitæ bonitati, & non hominum ministerio adscribere, seu attribuere placet, abjectos, & nullius reputationis homines eligere consuevit ad illud. Ecce Deus volens liberare populum suum de Ægyptiaca servitute in cunctis mirabilibus suis, non elegit sapientes illius populi, non potentes, non nobiles, sed indoctum Moysem pecudum custodem, ne sapientum providentiis posset adscribi mirabilis illa transductio populi sui. Ad hoc Apostolus inquit, consuevit eligere Dominus,
quæ *infirma & stulta* videntur, ut mundi 1. Cor. 1. 27.
sapientiam & fortia sua mira dispensatione confundat, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Similiter indoctos piscatores elegit ad fundandam Ecclesiam suam, ita ut admirarentur Principes, & seniores Populi Hebræorum in prædicatione, & constantia Petri & Joannis, comperto, quòd essent homines sine libris, & idiotæ. Elegit insuper David
ad regnum totius Israëlitici Populi, & *su-* Ps. 77. 71.
stulit eum de gregibus ovium, de post fœtantes accepit eum.

Sic ad indubitatum judicium, quòd hæc congregatio Monachorum à se foret, non ab homine processura, pro ipsa congregatione Patrem præelegit, quem benè nostis, etsi juxta humanam fragilitatem Deo deditum, non tamen sanctitate præditum, non multa scientia doctum,
non

non prædicatione aut vitâ monasticâ eruditum. Hunc virum fundamento hujus sanctæ congregationis apposuit Deus, ut neque illein se gloriari, neque alii de illo arguere valeant, quòd signis aut virtutibus ejus hæc devota congregatio sumpsit initium, aut per tempora incrementum: sed tantùm divinæ attribueretur clementiæ, quæ meritis, & intercessione Sanctorum, qui in Ecclesia cœnobii sanctæ Justinæ de Padua gloriosè quiescunt, nolens ampliùs illius Monasterii miseram & miserabilem pati conditionem, illud sub naturali ejus religione Sanctissimi Patris nostri Benedicti decrevit erigere. Et ut devotiùs Dei sacrum ministerium degustare valeatis, libet ipsius Monasterii antiquum miserum repetere statum, & qualiter, & quo tempore ipse Deus hoc sanctum & piissimum opus revelare dignatus est.

CAP. II.

De Revelationibus factis aliquibus servis Dei, & de Principio hujus congregationis, & primo de reformando Monasterio Sanctæ Justinæ.

TEmpore, quo civitas Paduana jure tyrannico regebatur, præfatum monasterium sanctæ Justinæ in prædictæ civitatis suburbiis situatum, ab ipsius civitatis Domino tyrannicè possidebatur; & ipsius pinques reditus pro majori parte erant ad sustentandum ipsius Domini consanguineos usurpati. Et ex hoc habitationes, parietes murorum, & cunctæ officinæ ejus ad nihilum ita redacta erant, quòd vix pro Abbate, Monachisque tribus tuguria potiùs, quàm mansiones reperiri potuissent in monasterio ipso, ubi omnium vitiorum, fornicationum, ludorum receptaculum erat. Et sic tam nobile sanctum cimiterium publicis, & abominabilibus flagitiis fœdabatur. Sanctuarium, ubi videlicet sola voluptas dominabatur, & corruperat sacrum locum, sola Sanctorum merita ibi quiescentium iram Dei tenebant, ut de nova Sodoma novus non eveniret interitus: & Misericors Deus, qui solida pietate tardat vindictam, ut delinquentes tandem resipiscant à malo, intercedentibus Sanctorum ibidem sepultorum precibus, decrevit per innovationem sanctimoniæ vitæ mala illa delere, & per splendorem Religionis flagitiorum prædictorum tenebras effugare.

Erat enim tunc currentibus annis Domini nostri JEsu Christi 1404. vel circa, 1404. quidam Reverendissimus Sacerdos Rector Ecclesiæ sancti Michaelis propè castrum Paduanum Marcus nomine, vir utique antiquissimus, & canitie quadam decórus, sed sauctitate præclarior, ad quem & cum curribus ducebantur infirmi, quos in fervore fidei sanabat omnes. Hunc miro affectu reverebatur, & timebat totus populus Paduanus. Fratres & cognatam simili devotione præditos secum habebat, qui continuè pauperum peregrinorum & servorum Dei hospitalitati vacabant. Hic Dei singularis servus quotidie non obstantibus pluviis, nivibus, frigoribus, aut solis ardoribus sepulchra Sanctorum in præfata Ecclesia Sanctæ Justinæ continuè visitabat. Hic venerabilis vir miræ simplicitatis, ac fidei sæpè, ut posteà infrà scripto Patri nostræ congregationis narravit, à præfatis Sanctis inenarrabili quadam narratione intellexit jam appropinquâsse dies, & tempus, quo Deus per orationes & merita eorundem Sanctorum, præsertim Sancti Prosdocimi, & Sanctæ Justinæ volebat ipsum monasterium reformare: & sicut abominationum extiterat baratrum, sic è contra fieret sanctitatis decus, & splendor virtutum. Et sic annis pluribus vir sanctus incertus de modo, certus de reformatione gaudebat promissa.

Dum semel more solito Ecclesiam visitâsset, vidit insolitum opus fabricatum moribus habitantium non convenire, videlicet portas ad claudendum chorum cum multa diligentia præparari. Tunc coactè in maximum gaudium versus dixit ad Abbatem, qui tunc erat; Verè, verè magnæ rei indicium est hæc insolita clausura. Sentiebat vir sanctus in confuso mentis sacræ observantiæ claustra promissa quam observantiam postea vidit in actu. Tandem divina clementia sui servi volens clariùs reficere mentem, dum semel ad sepulchrum sancti Leolini in capella Angelorum consitum staret, & cui nunc

nunc novum hospitale cohæret, in mentis arcano clara revelatione audivit præfatum, quem in principio hujus opusculi hujus religionis Patrem à Deo electum diximus, tunc Priorem Sancti Georgii in Alega de Venetiis, futurum ibi Abbatem, quê ad hoc opus suum Deus decreverat ordinare. Et sicut eidem Priori postea retulit, magno cum gaudio hujus rei dietim absque ulla hæsitatione expectabat eventum,

CAP. III.

De admirabili, & clariori revelatione cum executione reformationis Monasterii Sanctæ Justinæ.

1408. Contigit ergo anno Domini 1408 de mense Octobris Priorem præfatum una cum aliquibus servis Dei Canonicis sæcularibus præfatæ Ecclesiæ Monasterii Sancti Georgii in Alega (quod Monasterium de ipsis Canonicis, qui religiosissimè vivunt, & plura per diversas mundi partes monasteria sive Ecclesias teformaverant & in præsenti reformant, sub ipso Priore mirabili Dei ordinatione extitit, sicut hodiè claret, devotissimè reformatum) visitandi causâ loca tam ipsorum Canonicorum, quàm aliorum servorum Dei attingere Paduam, & apud præfatum virum Dei Presbyterum Marcum descendere, â quo solita ejus caritate magno cum gaudio fuit cum comitiva susceptus. Qui vir Sanctus ultra solitum morem Priorem sæpè dictum, tunc ætatis annorum viginti sex paterno affectu pluries amplexatus est, dicens: Fili, fili, tu venies huc ad commorandum Paduæ. Cui ille ignorans verborum mysteria ait: Ad quid Pater mi venturus sum ad commorandum huc? Ego etiam *corde vobiscum sum semper: corpore verò habeo sanctum habitaculum cum servis Dei in sancto Georgio in Alegâ animæ meæ condignum & congruum, quod nullo modo dimittere intendo: At ille, aliquo intervallo facto, subridens ipsi Priori alloquens ait: verè Fili, tu venies huc. Et Prior inquit: & ubi Pater? Et ille seorsum advocans Priorem dixit: ad sanctam Justinam, Nam Deus vult omnino reformare monasterium illud, & mirabilia videbis ibidem. Tunc idem Prior agnoscens insufficientiam suam, conditionem loci inepti ad servitium Dei, qui locus, & propter propinquas guerras in totalem desolationem devenerat, & propter plures varietates in regimine succedentes ab omnibus dilaceratus, &, ut veriùs dicam, in prædam datus, ad nihilum quasi perductus erat, subrisit, & ait: Pater mi, nolite talia cogitare, affectio immoderata, quam habetis ad me, existimare vos facit in me esse virtutes, & opera, quæ non sunt. Non intendo locum Sancti Georgii dimittere, ex quo Deus sua misericordia mihi concessit lumen veritatis, & agnoscere me fecit viam suam, non curo de dignitatibus, aut exaltationibus hujus mundi. Tunc ille: des pacem tibi; in veritate sic erit. Prior verò hæc puritati, & affectioni sancti viri potiùs, quàm divinæ dispositioni ascribens recessit, & cum sociis ad alia loca servorum Dei Vincentiam, & usque Veronam visitationis, ut dixi, causâ pervenit.

*F. l. ego enim.

Dumque Veronæ in Monasterio sancti Leonardi Canonicorum Regularium, & devotissimorum servorum Dei persisteret; supervenit Nuntius cum litteris nonnullorum Cardinalium significantibus, Priorem ipsum sancti Georgii ad Abbatiam Sancti Cypriani de Muriano per mortem Abbatis vacantem fore promotum. Datæ etiam fuerunt litteræ, qualiter Reverendissimus Pater Dominus Cardinalis Bononiensis, cui per felicis recordationis Dominum Gregorium Papam XIII. divina dispensatione ipsum monasterium extiterat commendatum, miseriæ & desolationi ipsius Monasterii compatiens perpetuitate tituli Abbatialis, & ordine Monachorum Nigrorum ib eodem extinctis, sub annuali Abbate & albi coloris habitu Ordinis devotissimorum Monachorum Montis Oliveti per eundem Ordinem perpetuò gubernandum cum litteris Apostolicis sæpè dictum monasterium Sanctæ Justinæ tradidit, & donavit.

Et jam primus Abbas cum multis Monachis ejusdem Ordinis possessiones dicti Monasterii adeptus erat. Prior autem hæc animadvertens diligenter ait adstantibus: Verè Pater noster Dominus Presbyter Marcus hac vice inaniter prophetavit. Completis autem visitationibus servorum Dei rediens, iterum descendit cum sociis apud præfatum virum Dei Presbyterum Marcum, & dum in limine portæ hortuli sui ipse Prior cum eodem sancto viro confabulando insisteret, ait ad illum: oh Pa-

ter mi! verè hac vice affectio decepit vos. A. Nam etsi de reformatione Monasterii sanctæ Justinæ notitiam per revelationem Sanctorum habuistis, modus nihilominus vobis non extitit revelatus, sed ex affectione potiùs, quàm ex veritate non bene cognita Dei ministerium mihi attribuere voluistis. Dissolvite nunc hæc duo vincula, ut sitis verax. Ego enim promotus sum ad Abbatiam Sancti Cypriani, & ecce littera; Monasterium verò sanctæ Justinæ, quod fortius est, translatum est ad sacrum Ordinem Montis Oliveti, qui Ordo nunquam amittere potest loca, quæ sibi canonicè vendicârunt, ita quòd impossibile est id, B. quod mihi dixistis, scilicet quòd Deus elegerat me ad reformationem illius loci.

O mira res! ô fidei constantia servi Dei! His à Priore dictis vir sanctus nullum responsum dedit, sed fremens spiritu in se ipso relicto Priore in porta hortum cœpit velocissimo circuire progressu, & suspirans sæpè, ter ipsum circuivit hortum. Tandem firmans se versus Priorem, ejus manum in suas perstringens, fervens in se alta voce dixit: In veritate, in veritate, Filius, erit omnino sicut dixi. Prior autem admirans C. constantiam sancti viri, fidem ejus sua infidelitate nihilominus modicum existimavit: & licentia à viro sancto cum benedictione accepta Venetias est reversus. Cæterùm cùm Prior ipse status mutationem non appeteret, nonnullis etiam de causis justis Abbatiam sancti Cypriani, ad quam promotus erat, illico refutavit. Ecce vinculum unum diruptum!

Postquam Monachi Montis Oliveti possessiones, ùt dixi, Monasterii sanctæ Justinæ fuerunt adepti, tres antiqui monachi D. ipsius monasterii ægrè ferentes nimirum, quòd eorum Monasterium talem, ac tantam mutationem fecisset, practicam cum civibus Patavinis assiduè injerunt, ita ut catervatim quamplures de civibus Venetiarum Dominium, quod de recenti ipsam civitatem Paduæ dejectis, captis dominis Cararria acquisivit, adjnverunt conquerentes, quod tàm solemne monasterium contra intentionem eorum, qui illud in statu Monachorum Nigrorum fundaverant, ad album sub annuali Abbate deductum esset. Dominium autem volens suis civibus complacere, suis Rectoribus Paduæ mandavit, ut dictis fratribus Montis Oliveti amotis per antiquos, & de cætero per Nigros Monachos juxta ipsius monasterii antiquissimam institutionum gubernandum defenderent, & sic per omnia secutum est.

Quod cùm ad notitiam summi Pontificis, & ipsius Domini Cardinalis Bononiensis commentarii pervenisset, cogitare cœperunt de præficiendo ibi Abbate. Et præmissis pluribus tractatibus tandem mediante Reverendissimo Domno Cardinale Senense, nunc divina clementia Papa, in vigilia beati Thomæ de mense Decembri anno Domini 1408. Dominus 1408. Papa Gregorius cùm omnium Cardinalium assensu revocatis omnibus concessionibus Ordini Montis Oliveti factis, præfatum Priorem sancti Georgii in Abbatem sanctæ Justinæ promovit. Et antequam hujusmodi promotio ad ejus notitiam pervenisset, vocatus est à venerando Abbate sancti Michaelis de Muriano, qui extiterat præsens in aula, & huic faverat promotioni. Quam cùm Priori intimâsset, tum quia, ùt dixi, in suo loco sancti Georgii persistendi firmaverat propositum, tum propter certa gravamina, quæ illi monasterio incumbere cernebat: huic promotioni præbere nullatenus volebat assensum. Et cùm pluribus diebus præfatus Abbas insisteret, ut acceptaret, illius mentem flectere nequibat. Mira res! sicut servi Dei unanimiter consuluerunt renuntiationem Abbatis sancti Cypriani; sic omnes, uno excepto, instabant, pro acceptatione monasterii sanctæ Justinæ. Nec sic adhuc ad acceptandum Prior præfatus flecti poterat illius unici servi Dei, qui Dominus Marinus Quirino dicebatur, prudenti secundùm humanum judicium freftus consilio. Ajebat ille: tu Prior juvenis es; novus in via Dei (currebant enim tunc anni quinque à sua provisione) tu non tanta refulges sanctitate, qua possis exemplo singulari homines ad conversionem trahere. Ordo Monachorum Nigrorum in tota Italia penè colapsus est. Monachi non sunt: monasterium est infame propter malam præteritorum, ùt dixi, vitam. Quis ergo unquam sequetur te? Et si monachos tuæ bonæ voluntati conformes non habueris, solus autem sæculares sacerdotes, & Clericos, quid ages? qualis efficieris? Dubito, quòd hæc promotio magnus sit laqueus tuis paratus pedibus, quo ad primum fastum Prælationis, quem sic exemplariter abnegâsti, tædio victus

victus perveniat. Quod urgens consi- A lium ita Prioris mentem correxit, quòd nullo modo, pati poterat verba in contrarium audire. Sed pius & Misericors Deus, cui nihil impossibile, cui nullæ contrarietates obsistere possunt, quæ hominibus difficilia sunt, ei facilia, & levia sunt, qui ulteriùs cordibus spirat, & ducit, quò vult, ut opus suum jam prædestinatam patefaceret mundo, duos notabilis generis Juvenes inspiravit, qui Priorem præfatum adiverunt, & in certo secreto loco genibus flexis coram eo lachrymando fari cœperunt: Nos à te, B ô Pater, petimus salutem animarum nostrarum. Quòd si nostræ petitioni non assenseris, in die judicii à te requiremus salutem nostram. Prior tam de humili actu, quàm de requisitione admirans inquit: loquimini clariùs quid petitis? At illi: diu desideravimus relinquere mundum: mores ac vita, Canonicorum sancti Georgii in Alega nobis summè placent. Quia verò stabilimentum sub jugo religionis non habent; noluimus intrare congregationem ipsorum. Audivimus te creatum Abbatem Sanctæ Justinæ: sumus certi, quòd habebimus saluberri- C mum intentum nostrum. Nam habebimus religionem beati Benedicti, quam summè desideramus; & mores sancti Georgii in Alega, quos nimio veneramur affectu. Et in hoc proposito sunt plures consocii, & domestici nostri, qui nos sequentur. Precamur igitur, ut acceptes monasterium illud.

Prior verò his auditis, cernensque tale, ac tantum præparatum initium, Deo se committens, cujus honorem, etsi cæteris carebat virtutibus, affectuosè gerebat D in corde, alacriter nullam contrarietatem attendens, monasterium sanctæ Justinæ intrepidè acceptavit, cum uno illorum curiam Romanam petiit, quæ tunc Arimini degebat, ut aliqua à summo Pontifice obtineret. A quo gratiosissimè receptus obtinuit indulgentiam plenariam in articulo mortis pro se, & omnibus, qui intraturi erant tempore vitæ suæ religionem sub eo, ita quòd monachi sibi eligere possent Abbatem, qui posito ejus consensu ipso facto esset auctoritate Apostolicâ confirmatus. Et Abbatiali benedictione acceptâ Venetias cum gaudio & spe divini honoris reversus est. Cùm autem Abbas versùs Paduam cum illis, qui se religioni dedicare spoponderant, causâ exequendi injunctum sibi onus, quædam Sanctimonialis Domina in monasterio corporis Christi Venetiis inclusa, & magnæ sanctitatis Domina, quæ neque ipsum Abbatem agnoverat, ut ab eo fuerat interpellata, sola divino spiramine mota, quendam misit ad eundem Abbatem dicendo: Abbas esto constans, & patiens, quia hi, pro quibus acceptâsti Abbatiam sanctæ Justinæ, derelinquent te: & cum iis, qui adhuc pueri ludunt in campis, qui inter cunabula vagiunt, qui adhuc ubera sugunt, & qui nondum nati sunt, perficietur magnum, & Deo acceptum opus.

Quidam alius servus Dei Spiritu ductus in claustro sanctæ Justinæ vidit profunditatem quamdam flammam evomentem, & infinitam multitudinem Monachorum circumcirca devotè contemplantium illam profunditatem conspexit. Quæ omnia qualiter verificata sint, non tædeat devotiones vestras in mirabilibus Dei audire, & perscrutari devotè. Jam enim mirabilem visionem prædicti viri sancti Presbyteri Marci inæstimabili Dei dispositione cernitis adimpletam vinculis illis inestimabiliter diruptis. Abbas nihilominus ipse nutu Dei in memoriam Prophetiæ dicti viri sancti purè cum timore, & spe Dei ad capiendam possessionem Monasterii sanctæ Justinæ in die sanctæ Julianæ virginis & martyris decimo sexto mensis Februarii à 1409. Nativitate Domini Anno 1409. cum servis Dei & eodem viro sancto Presbytero Marco processit. Et Missâ solemniter celebrata cum ipsis servis Dei & Christi pauperibus refectione corporis sumpta, prædictus vir sanctus incredibili alacritate perfusus, manum Abbatis eo per omnia* modo, quo in ostio hortus* sui fecerat, inter suos complectens dixit: In veritate fili, & in veritate tu es hîc. Quibus gestu, & verbis Abbas recolens verba prophetiæ viri sancti, quasi expergefactus præ admiratione accensus, quam nutu Dei oblivioni tradiderat, cum lachrymis illius sancti Patris pedibus provolutus nihil aliud dicere potuit, quàm: Pater ora pro me. Et ex illa hora magna spe expe-

* *sic apographum.*

ctabat hujus sanctæ religionis initium à Deo miro, & sibi incognito modo, parari, cùm neque ex sua sufficientia, neque ex loci dispositione, ùt statim submittam, sperare poterat bonum aliquod in illo monasterio fieri posse.

A.

Nam monasterium ita diruptum, ac omni aspectu religiosæ domûs alienum erat, quòd potiùs armentorum divisorium,* quàm hominum habitaculum videbatur. In exteriori parte, ubi nunc admittuntur hospites, & infirmi, camera una erat cum podiolo ligneo vetusto, & deambulatoriis incultis circa ipsam. Versùs oratorium sancti Martini duæ tantùm pro factoria incultissimæ erant cameræ. Sala magna protendebatur usque ad murum Ecclesiæ. Spatium magni claustri ita transeuntibus erat apertum, quòd, an esset de publico, an de proprietate monasterii, agnosui vix poterat. In interiori claustro, ubi nunc videntur buxi arbusculæ pulchræ hyemis tempore, propter lutum non erat accessus: & ubi nunc est refectorium fratrum, tot vepres, & sylvestres arbores erant cum spinis, quòd pueri sæpè pro capiendis avibus confluebant. Ubi est introitus ad claustrum, aderat durus carcer, & serpentum receptaculum cum fœtore. In antiquo, & unico dormitorio ex septem partibus, aut quatuor Cameræ, non cellæ erans, hortus oleribus, & arboribus, una exceptâ, erat penitùs destitutus. Qui hortus, immò ipsum monasterium omni sexui advenientium patens erat. Mares & fœminæ Ecclesiæ visitatione completa per chori portam exibant, quæ ad podiolum dormitorii ducit, claustrum nunc secretum intrantes, per quandam diruptam portam in angulo post portam refectorii tunc sitam exibant, & ita confidenter omnes transibant, quòd etiam mulieres in dormitorio, quod est abominabile dictu, petebant quandoque loca secreta naturæ.

* f. diversorum.

B.

C.

D.

Cujus monasterii deformem deformitatem cernentes hi, qui priùs Abbatem levi fervore abjurârunt,* & ad acceptandam Abbatiam eundem induxerant, juxta verbum pronunciatum à sanctimoniali fœmina monasterii corporis Christi frigefacti Abbati dixerunt: Pater, precamur, parce nobis: non potuissemus cogitâsse tantam ineptitudinem hujus loci pro observantia regulari: non videmus locum esse pro salute nostra. Quos de inconstantia, & modico fervore, & spe Dei redarguens Abbas eos in sua libertate dimisit. Quorum discessum, quia jam pronunciatus fuerat, Abbas satis sustulit patienter. Posthæc Monasterii taliter, qualiter clausura aliisque officinis pro regulari observantia præparatis, dictum expectabat avidè rorem videre de cœlo, & promissam conversionem cernere aliquando: & assiduè orans à Domino postulabat, aliquos sibi dari, cum quibus posset observantiæ debitum reddere, se felicem existimans, si tantùm duodecim monachos habuisset. Mirabilis Deus, & bonitate, & sapientiâ ineffabilis dona sua desiderata sæpè tardè concedit, ut illa quàm cara, quàm pretiosa sint à Deo concessa, impetrans agnoscat, & sicut suo sensu nihil, nisi divino munere fieri posse. Remanserat Abbas cum tribus monachis monasterii, qui benignè præmoniti ab eo expropriati rebus omnibus regulari observantiæ se sponte submiserant, cum duobus monachis albis prædicti Abbatis sancti Michaelis de muriano, & duobus clericis de sancto Georgio in Alega, & sicut poterat, observantiam regularem in omnibus ordinavit. Quam conservare tantò ei difficilius erat, quantò contra moralia* scripturæ monita cum hominibus diversarum professionum quin immò & cum sæcularibus sacerdotibus, & clericis ad satisfaciendum populo assotiatis, ipsam observantiam magno cum studio tenere cogebatur, & continuâ vigilantiâ conservare. Et sic quoscunque ad se venientes Eremitas & monachos recolligebat, ut vel saltem decor futuræ veræ religionis ad eliciendum animas exteriùs appareret. Hujusmodi duro flagello, regiminis Abbas per annum cum dimidio, vel circa molestè attritus, cogitationibus variis quasi desperatus de hac monasterii reformatione agitabatur, Quando cogitabat Abbatiam renunciare, & ad pristinum reverti cœnobium: quandoque relinguere monasterium in manibus capellanorum, & solitarium quemdam locum perquirere, & ibi vitam ducere regularem, & si Deo favente aliqui ad conversionem venissent, cum illis tandem reverti ad monasterium proponebat.

* f. adjurârunt.

* Apographum moralem script. monita.

bat. Et sic oblitus operum Dei qui ita mirabiliter vincula diruperat antedicta, & qui per servos suos occulta sibi intimaverat & futura, ut poneret in Deo spem suam, & non oblivisceretur operum Dei hanc solitudinis viam derelicto monasterio inter angustias sibi pro refrigerio suadebat.

O mira Dei sapientia! ut nulli hominum prudentiæ, aut loci amœnitati attribueretur hujus sacræ religionis novitas, permisit Abbatem sic in suis adinventionibus ire, & in ipsis deficere, ut etiam ipse nullo unquam tempore aut suæ adinventioni, aut solicitudini hujus sancti operis initium supergressum auderet adscribere. Solicitè itaque Abbas montes & valles percurrens solitaria loca quæsivit: sed divina permissione nunquam etiam magnis & honestis porrectis conditionibus cum ipsorum locorum possessoribus valuit convenire. Sic solitudinis unica spe privatus, & omni solatio destitutus tristis ad monasterium reversus est, & ut sui ipsius omni privaretur refugio, & divina providentia sola exiret ad opus, permisit Deus Abbatem adhuc de præmissis non sublevari ad spem, sed desperatum iterum cogitare velle relinquere Abbatiam.

CAP. IV.

De initio conversionis Monachorum, & hujus congregationis mirabili principio.

O Mira & digna memoriæ benignitas creatoris! Dum Abbas absque spe omni se putabat præsidio derelictum, ecce divinus ignis cor nnius juvenculi bonæ indolis, qui cum eodem Abbate venerat studiorum causâ, & expectabat (quia divitiis non affluebat) aliquam reperire cum civibus mansionem. Hic Paulus de Strata natione Papiensis dicebatur. Hic ex zelo fervoris Abbatis circa observantiam regularem divino flamine tractus, ad ipsum Abbatem in septimana sancta humiliter accessit, illique cordis sui secretum aperuit, & se omnino fieri monachum postulavit. Quem cum gaudio suscipiens Abbas monitionibus ei adhibitis juxta regulam, exhortationibusque ad perseverantiam præmunitus, &

De primo Monacho

A. in sancto perseverans proposito in die sanctæ Paschæ anno Domini 1410. (quo devoto & memorabili die hæc congregatio sumpsit initium, & Monachorum Nigrorum Ordo in Italia lapsus ad normam observantiæ resurrexit) monachalem habitum reverenter assumpsit. 1410.

Hujus verò conversionis res gesta ad notitiam cujusdam ejus socii, & octavii juveneuli nomine Salimbenii de Fospertis & Papiensis pervenit. Hic causâ socium extrahendi, & â sancto proposito dimovendi, ignorans divina retia, quæ B. captores capere solent, ad monasterium usque pervenit. Petit consocium. Quem dum pervertere cogitabat, ipse miro modo conversus est. Spiritus enim Sanctus cor ejus compunxit, & in completorio devoto volens interesse officio in attentione sacræ & devotæ orationis, scilicet: *Deus qui illuminas noctem &c.* ardore devotionis adustus, cogitavit & ipse relinquere mundum. Et ad monasterium sæpè revertens suum affectum amplius celare non valuit. & quendam devotum Religiosum, quem Abbas de alienis partibus in suum advocaverat subsidium, Joa-C. chimum nomine adiit, sibi suum desiderium pandens magnis eum precibus, ut in monasterio reciperetur, instabat. Quo Abbati consilto ignotans minister Dei virum mundi prudentia cogitavit primò de Juveneuli tenera ætate, qui tunc nondum quintum decimum annum compleverat, quæ ætas sui naturâ inconstantiam parit. Insuperque ille unicus filius erat Parri, qui eaput, & conductor armigerorum erat, qui talis filii privationem non ferret, quem sumptuosè & bonorifi-D. cè tenebat in studio, & potissimè, quia notum erat ipsum juvenculum quamdam nobilem per verba de præsenti, & in publico desponsâsse, quam tamen carnali copula non cognovit.

Has & alias quamplurimas contrarietates Abbas attendens, dubitansque de eo, quod sæpè diaboli tentatione occurrit, ut nonnulli de magno genere procreati, aut aliter in sæculo viri famosi levitate potiùs, quàm vero fervore comprehensi sacra monasteria petunt, & sicut talium conversiones si perseverantiæ fixerint radices, honor DEI & animarum conversio ampliantur: sic è contra, si super arenam

 fun-

fundati ab inconstantiæ vento fiunt ejecti A. devotiones conceptas perimunt, congregationem conturbant, & divinum maculant cultum: attendens etiam monasterii ineptitudinem talem juvenculum recipere, meritò trepidabat. Quinimmò (& talis conversio Cartusiensium, & antiquarum famosissimarum religionum Patres attentis in tenera ætate fortissimis obstaculis sæpè dictis, etiam & meritò hæsitare fecisset) ei repulsam dedit prædictarum contrarietatum difficultatem sibi objiciens. Qui malè contentus discedens, divinoque igne nihilominus comitatus omni die monasterium repetens, &, ut reciperetur, insistens Abbatis misericordiam postulabat. B. Et sic per spatium dierum quindecim omni die, ut reciperetur, misericordiam supplicitet flagitabat. Sed Abbate adhuc eum recipere trepidante juvenculus divino igne succensus inquit Abbati: ô Pater pro lucranda anima mea deberetis vos ipsum & vitam exponere: & videmini trepidare receptionem meam? Cur me repellendo tantum affligitis? Quod verbum fervore plenum audiens Abbas, & mirans in puero respondit: eris ne constans contra insidias Parentum tuorum? Etiam, dixit puer, usque ad mortem. Abbas verò ejus fervore commotus apprehensa manu pueri ait: & ego, si monasterium, si vitam perdere deberem, non te derelinquam. C. Itaque eum alacriter recipiens mutato nomine habitum Novitiorum dedit ei, & Maurum nominavit. Qui statim obedientiæ, & fervori observantiæ regularis se laudabiliter dedicavit.

Hujus conversionis rumor per studia Patavina volavit. Cœperunt Scholares magis aversionis Juvenis, quàm conversionis causâ ad monasterium confluere. Post aliquot menses supervênit Pater illius cum litteris Ducalibus Venetiarum, ut ejus Filius, quem dicebat blanditiis, quasi furtim fore sublatum, D. & non veritate conversionis, in manibus Episcopi traderetur, ut Pater & sui consanguinei, affines & noti liberè experirentur, si ea levitate, qua falsò conquesti, detineretur, an quia seductus ad monasterium convolâsset. Ducitur ovicula à lupis devoranda, sola, sine sorio, sed semper à divino Spiritu comitata inter Armigeros, & Doctores solus Puer sedebat. Qui diebus tribus blanditiis, oblationibus pretiosarum vestium, & exaltatione sui status cor Pueri à Dei servitio pervertere sunt conati. Quæ omnia miris responsionibus velut stercora refutavit. Tunc illi in furiam conversi, obtestationibus, injuriis, & minis puerum dentibus furiæ lacerebant. Quorum severitatem humilibus verbis ille mirabilitèr temperabat, ita ut mirarentur adstantes super prudentia, & responsis ejus. Et cùm illi proficere nequirent, sed magis Puer cresceret spiritu, & confortaretur in Domino, cum atrocioribus minis, & terroribus usque ad interitum personæ juvenem insultârunt. Quæ omnia divina constantia spernens, & se indignum mori pet Christum protestans, omnes velut mutos reliquit: & cùm altera die pater adhuc iterare vellet molesta verba, puer divino præmonitus consilio ad silendum se dedit, & velut mutus, non aperiebat os suum. Et cùm illi pluries, & pluries verborum repeterent jacula, ille scuto silentii ictus suscipiebat illæsè. Tandem Pater ejus impatientia fremens ait: verè hic demens & stultus effectus est; & si vellet ad me venire, non susciperem eum. Et sic furia invectus relicto filio palatium exivit, quem cæteri sequuti sunt, & juvenis solus cum victoria apud Episcopum mansit. Misitque Episcopus ad Abbatem, ut puerum ad monasterium victorem reduceret festinanter; quod citissimè implere studuit, & cum quanto gaudio personaliter Abbas Christi militem susceperit calamo exprimere non possem.

Ex hac mira victoria tanta fama totam Paduæ perstrepuit urbem, quòd monasterii spatia capere non poterant advenientium turmas. Tunc quidam, quorum corda fervore & devotione compuncta jam erant, cœperunt adhuc Abbatem & quidnam esset hoc, quæque intentio sua, perscrutari. Abbas à Domino jam electus, fervore, & zelo sanctæ religionis semper plenus de proposito innovationis sacræ sanctissimi Benedicti originalis religionis calidè instruens, & de proximorum salute certificans, in parvo spatio temporis circa sexdecim juvenes studentes ad sacræ religionis conversionem recepit. Et sic ignis divinus ebulliens sine cef-

cessatione plures juvenes ad conversionem fluebant, cum magna, & pura simplicitate, & simplici puritate Abbas & socii scholares, & cives ad lectionem completorii fervidè invitabant, & cum fratribus ad communia exercitia, quæ cum hymnis & canticis devotissimè complebantur, & ipsi devoti juvenes, & scholares fervidè insistebant. Quibus devotis actibus irretiti, & in Domino allecti non minùs viginti Novitios ad conversionem de sæculo divinus ille fervor annis singulis longis temporibus extrahebat, & cum tanta dulcedine, alacritate spirituali, doctrinisque salubribus cum multa sollicitudine juvenes fovebantur in Domino, qui paucissimi erant, qui perseverantiæ bravium non fuissent adepti. Nam & ipsâ naturâ multa experientia docti veraciter profitemur, quòd homines magis dulcedine, quàm rigiditate trahuntur. Et factum est Domino continuò operante, quia per hæc tria, videlicèt per puram, benignam, & alacrem communionem advenientium juvenum cum fratribus eis existentibus in communi sui * insimul congregatis, per assiduitatem doctrinæ spiritualium operum, & percunctatione occultarum cogitationum cum celeri & discreta medela, per dulcedinem regiminis, semper verbis & gestis inutilibus & vanis rejectis, ita monasterium novitiis, & monachis in brevissimo tempore repletum est, quòd Abbas cum fratrum consilio adstrictus ivit loca alia invenire.

*f. in com. sive ins.

CAP. V.

De diffusione Monachorum per alia loca, & de mirabilibus in acquisitione ipsorum locorum.

POst diuturnam inquisitionem pro locis ad notitiam Abbatis pervenit, quòd Bassani erat quidam locus amœnus. Ob quam causam Abbas accedens ibidem reperit quemdam locum sub vocabulo *sancti Fortunati* super ripam fluminis Brentæ fundatum, diruptum tamen, & pauperem. Qui locus per quendam clericum venetum tenebatur, eum quo propter situs amœnitatem oblato sibi affictu * longè plusquam ipse colligeret, convenire nequivit.

* *Ita apogr.*

Sed Abbas, qui spem suam totam in Domino posuerat, semper corde & ore profitens se de hoc opere sancto, de hac sancta congregatione nullum nisi divinum ministerium habuisse, & se tanquam malleum in manu fabri existere, Deum supplicabat, ut cor istius emollire clerici dignaretur. O mira Dei dignatio, qui vulpibus foveas, & avibus nidos, & servis suis necessaria habitacula parat in tempore opportuno, preces Abbatis exaudiens, etiam illis patribus sanitate fruentibus in continenti post Abbatis recessum ipsius B clerici manum carbunculo pestifero, & febre percussit. Qui de vita desperans ad misericordiam summi Medici conversus est, votum vovens, quòd, si liberari contingat, præfatum monasterium sancti Fortunati pro Monachis sanctæ Justinæ liberè relaxabit. Quem Dominus exaudiens intra paucos dies relicta febre, carbunculus evanuit. Et sic recuperata sanitate, recepta pecunia solummodo, quam laborantibus dederat in mutando locum prædictum, absque ulla pensione liberè relaxavit. Quem Abbas reparari fecit, & monachos, novitiosque allectos cum devotione, & divina laude sub Priore re-C gendos annis pluribus designavit.

Post hunc locellum sanctæ *Mariæ de Carrupta* propè Veronam etiam de supercrescentibus monachis reparavit, quem postea refutavit, & ibidem Fratres Minores de observantia cum maxima Episcopi, & fratrum conventualium resistentia tanquàm capellanos suos miro ingenio, ne adversarii eos molestarent, locavit, donec eorum devotione cognita pacificè à sede apostolica ipsum locum obtinere meruerunt, civium etiam favore protecti, qui D ibidem usque in hodiernum diem cum magna Dei laude, & loci illius ampliatione Domino famulantur. Causa autem refutationis hujus loci fuit, quia communitas Veronæ, jam Abbatem multis, & importunis precibus induxerat ad acceptandum locum sancti Jacobi in monte quodam Agriano nomine situato, ubi est miræ structuræ incepta ecclesia de magnis oblationibus in inventione corporum, ùt dicitur, beatorum Apostolorum Philippi, & Jacobi diversarum nationum, gentium abundè collatis. In acceptationis tempore ipsius loci ædificia ad habitandum nul-

nulla erant, sed tantùm capella, ubi in capsa ferrea Apostolorum corpora condita erant, & juxta illam tugurium pro tribus personis juxta vetustum, & destructum oratorium situm erat. Sed Abbas cùm Prioribus tunc per aliquos annos existentes de certa provisione, quam à communitate de fructibus sancti Jacobi della turba pro monachorum sustentatione habebant, & de oblationibus fidelium locum amplissimum, ùt est, fabricârunt, & montem penitus sterilem vitibus, olivis, amygdalis, & aliis fructiferis arboribus repleverunt.

Crescente continuò numero discipulorum unus de coadjutoribus Abbatis Dominus Joachimus vocatus, monachus devotus, & fervens de licentia Abbatis præfati cum nonnullis paucis monachis Januam accessit, & ibidem quidam nobiles de Grimaldis agnito hujus nostræ religionis fervore precibus institerunt multis, ut quamdam eorum capellam, quæ sanctus *Nicolaus de Buschetto* nominabatur, cum domuncula pro uno sacerdote pro fabricando ibidem monasterio acceptaret. Qui cum paucis observantiam tenens plures ad Dei servitium acquisivit, & successione temporis monasterium devotissimum cum necessariis mansionibus pro observantia construxerunt.

Paululùm post acceptationem hujus loci ipse Domnus Joachimus ad partes Lombardiæ descendens locum quemdam *Sancti Spiritus* nuncupatum, propè Papiam sub spe Domini nudum habitationum, & redditum ingressus est, ubi usque adhuc cum paupertate, & paucis habitationibus fratres perseverantes, & alacriter incommoda sustinentes ad Dei laudem ipsi nostræ congregationi plures scholares, cives, & advenas utiles Dei servitio aggregârunt.

Hoc tempore Abbas & fratres fervore, & zelo salutis animarum, & hujus religionis desiderantes augmentum, Mediolanum pro reformatione Monasterii sancti Dionysii nonnullos monachos destinârunt, ubi ita devotissimè Deo serviêrunt, quòd tota illa magna, & insignis civitas commota ad singularem devotionem ipsorum confluebat ibi cum eleemosinis, & libentiùs suscipiebat à monachis salutaria verba Dei. Inter quos erat unus Baptista nomine, & natione Mantuanus, qui tanto fervore in prædicatione verbi Dei, & vitiorum redargutione emicuit, quòd totam civitatem illam fervore replevit, sic quòd nulla esset ecclesia, quæ confluentem posset capere populum. Ob quam causam Abbonem,* seu pulpitum in campis erigere cogebatur. Et hujus prædicationis fervore multi juvenes conversi sunt, & nostrum intrârunt collegium. Hic Papiæ etiam prædicavit, ubi inter cætera memoranda opera desolatum, & omni religione destitutum monasterium *de Sangro* cum Abbatissa, quæ ad unam prædicationem ipsius mira compunctione apprehensa surgens, & eo Spiritu compunctionis accensa se miseram peccatricem, & damnatam publicè proclamavit, convertit, & usque ad præsens ipsa cum multis monialibus Deo devotissimè servientibus perpetuæ clausuræ se dedit.

* *seu* ambonem

Hic etiam in civitate Januæ falsos mulierum capillos, & alios indecentes ornatus in maxima quantitate publicè comburi fecit. Hic per diversas mundi partes ferventissimè prædicando multa millia hominum utriusque sexus ad benè vivendum convertit, & ut ejus virtus etiam in persecutoribus probaretur, in pluribus locis ab his, qui vitia, & propria scelera redargui non ferebant, vincula, carceres, & mortis pericula sustinuit patienter. Quæ omnia tamen divino munitus præsidio semper cum Dei laude illæsus evasit.

CAP. VI.

De divisione Monachorum pro reformatione plurium Abbatiarum, ad requisitionem Abbatum ipsarum.

Hujus sacræ congregationis devotione, & fervore interim crescentibus multi Abbates cœperunt ex devotione compungi, & ab Abbate sanctæ Justinæ piis precibus flagitare subsidium, & monachos pro eorum monasteriis reformandis juxta eorum monasteriorum capacitatem devotissimè exposcebant, quos tunc Abbas pro divini cultûs, & hujusmodi sacræ religionis augmento felici his conditionibus suos monachos concedebat, ut

ut Abbati debitâ reverentiâ reservatâ in A. omnibus subessent Priori, qui super illos extiterat ordinatus. Professionem quoque Novitiorum vice & nomine Abbatis sanctæ Justinæ in omnibus locis Priores coram se publicè recipiebant: & sic unum Patrem principalem, scilicèt ipsum Abbatem sanctæ Justinæ omnes unanimes in unum sanctum religionis propositum existentes cum multa pace, & veneratione colebant. Hoc ordine monasterium sancti Georgii Majoris de Venetiis, & sanctæ Mariæ, sive Abbatia de Florentia, & nonnulla alia loca devotè reformata fuerunt.

CAP. VII.

De impetratione Privilegii, pro fundanda & conservanda ipsa congregatione.

1418. POstea verò, anno scilicet à Nativitate Domini 1418. Pontificatûs felicis recordationis Martini Papæ V. anno primo Abbas divino spiramine tactus, cernens multitudinem Monachorum, qui tunc circa ducenti per diversa loca in spiritus fervore, & cordis simplicitate Domino C. serviebant, intra se orando, & coram Domino ingemiscens dicebat: Misereor Domine super hanc Monachorum turbam. Nam si absque alio stabilimento me mori contingeret, periculum manifestum magnæ turbationis, & rupturæ conspicio. Et sic intensè sæpiùs orans auxilium à Domino postulabat.

Misericors Deus, qui sui gregis Ductor extiterat, & qui dat petenti justa cordi sincero gratias affluentes, orante Abbate, ac si unus ad cor ejus loqueretur, tota re- D. formationis series ei aperta fuit, ut scilicet omnium Monachorum subjectionem abdicaret à se, eamque, * in communi sub aliquibus visitatoribus annuatim deputandis auctoritate Apostolica procuraret* submitti, & ipsis monachis etiam in diversis monasteriis existentibus unum corpus ipsi omnes censerentur, & sub ipsius congregationis regimine, Visitatoribus principaliter, secundariò sub Abbatibus, quibus per capitulum administratio regiminis eorum data esset, aut Prioribus locorum, subessent, cum aliis pluribus utilibus modis, & ordinibus impetraret.

* Apogr. eamue.
* idem procurat.

Et filiorū suorum pro majori parte communicato consilio Papam præfatum personaliter adiit, qui tunc Mantuæ residebat: à quo benignè receptus est, & prædicta omnia, & alia, prout in suis Patet Apostolicis litteris amplè, concessit, voluitque ipse summus Pontifex de hac congregatione aliquid informari. Et cùm ab Abbate intentus reformationem Abbatiæ Florentinæ audivisset, admirans dixit: & quid est de Abbate Florentino? Ait Abbas sanctæ Justinæ: Etiam Pater sancte & ipse conversus habitum sanctæ religionis defert sicut & ego, & devotè sub regulari observantia Deo servit. Tunc B. præ admiratione hæc verba prætulit Papa: in somnis hæc audio. Ad quem Abbas: certè Pater sancte, ita fideliter servit Deo, quòd omnes Florentini, & qui agnoverunt priorem, vitam ejus pari modo mirantur. Etiit Deus honoretur in operibus suis, & nullus quamtumcunque peccator, & Prælatus de propria salute desperet, vitam pristinam, & ejus conversionem, sicut ab eomet audivi, compendiosè submittam.

Hic Nicolaus vocabatur de excellenti familia de vasconibus Florentiæ ortus, satis juvenis. Et existens Abbas præfatæ Abbatiæ Florentinæ Constantiam Consilii causâ petiit, ubi Dei timore abjecto omnium vitiorum illecebris se se dedit: in cujus etiam domo comensationes, ludi, hasti ludia, & omnium generum inhonestates regnabant. Temerario ausu animi Serenissimo Romanorum tunc Rege Sigismundo tractatum habuit de capiendis nocturno tempore Dominis Cardinalibus, ut in flumine necari faceret eos. Sequelamque maximam deviatorum præcipuè in eodem Concilio cum multis expensis vendicaverat sibi. Sed Deus, qui hominum malitiis obstat, & qui super innocentes ipsos diu non permittit regnare, & qui miro modo per adversitates cæcos corde illuminat, & ad se revocat peccatores, consilium illud pessimum destruxit: Et ex hoc Abbas se destruendum expavit, gravique insuper infirmitate percussus, quem in prosperis non agnoverat Dominum, in adversis agnovit, & suarum abyssum iniquitatum agnoscens de Concilio recedens cogitavit. Et Florentiam reversus audita fama congregationis no-

nostræ Abbatem, qui tunc Januam pera- A. grabat, ad se per suum nuntium advocavit. Qui suam mirabilem conversionem agnoscens, miseriis suis compatiens eum uti filium ex corde amplexus est, & unum de monachis sanctæ Justinæ venerandæ vitæ, Gometium nomine, in Priorem cum aliis sexdecim monachis ad reformationem præfatæ Abbatiæ Florentiam destinavit. Quos Abbas Florentinus incredibili suscepit lætitia, & non solùm monasterii regimen, sed & se ipsum velut simplicem Monachum magna cum humilitate in Prioris tradidit potestatem. Cujus Abbatis conversio admirationem ma- B. gnam, & monasterii reformatio gaudium omnibus Florentinis civibus ministrârunt.

Qui Abbas Florentinus Deo ferventer seviens de patria, & cognatione sua exire deliberans, unà cum Abbate sanctæ Justinæ ad monasterium ejusdem Paduam pervenit, ubi febribus magnis arreptus post quadraginta dies Deo devotissimè reddidit Spiritum. Qui per diem ante ejus obitum in medio cameræ deferri se fecit, & adstantibus omnibus monachis vitæ suæ prioris, maculas omnibus publicavit. Et C. dum plures præ devotione tanti fervoris lachrymas continere non possent, hic à Deo electus vit alacri facie, & ridendo monachorum sic improperabat lamenta: Eja fratres cur fletis? Cur vana effunditis lamenta super hominem tot, & tantis peccatis, & miseriis irretitum, & à Deo ita mirabiliter ita misericorditer liberatum? Cur non magis mecum ridetis, & gaudetis super redemptione tantæ captivitatis? Cantemus fratres. Et miro fervore, & morti vicinus *Te Deum laudamus* adjuvantibus fratribus ex integro decan- D. tavit. Et postea osculo cunctis dato reductus ad lectum post paucas horas animam etiam datam & mundam suo reddidit Creatori. Cui in Abbatia successit præfatus Gometius Prior, qui augmentatione monachorum, & pulcherrimis ædificiis monasterium illud plurimùm decoravit.

CAP. VIII.

De revelatione facta cuidam fratri de contrarietatibus futuris, & institutione hujus congregationis, & aliis valdè mirandis visis per eum.

Et quia insidiator bonorum operum nunquam cessat eorum effectus suis insidiis perturbare (quæ tamen, quando fuerint præscitæ minas feriunt, & leviùs tolerantur) hoc ideo quæ, & quanta, contra ipsius Abbatis conceptum ei divinitus revelatum, contra institutionem, & ordinationem, & stabilimentum præfatæ congregationis nostræ paraverat bella.... Unum mirabile auditu, quod evenit, prætermittere volo ad comprobationem veritatis tribulationum, quas inferiùs denotabo.

Erat in monasterio sanctæ Justinæ Monachus quidam nomine, sed vita, & moribus penitùs alienus, Martinus vocatus, natione Papiensis. Hic rudis intellectu adeò ignarus erat, quòd vix in die versum unum de Psalterio memoriæ poterat commendare. Hic impatientissimus, omnibus molestus erat, & incompositus mente, incompositum extra omnibus se præbebat, ita ut frequenter æstivo tempore, dum in lectione ante Completorium in Capitulo cum cæteris fratribus ipse solus fastiditus adstaret, pannos usque ad genua inverecundè sæpius erigebat, tibias ex transverso amplians anhelitum præ tædio hinc inde prospiciens ita efflabat, ut ab omnibus audiretur, & cui voce non licebat, quanto tædio afficiebatur, ostendere, sonitu flatus omnibus demonstrabat. Verè hic solus opprobrium erat in Israel, adeò ut peritorum Patrum adhibito consilio Abbas, & à fratribus requisitus ad purgandum monasterium de tam inepto, & incomposito viro, eum abigere, de monasterio proponebat. Sed divina misericordia, apud quam miro & imperscrutabili judicio noti sunt, qui sunt ejus, fecit, ut occurrente casu, quo oportuit Abbatem ire Venetias, hic frater Martinus peteret instanter, ut Abbas eum secum ire permitteret. Quam petitionem attenta hominis incompositione, ne extra publicaretur ignominia ejus, Abbas rejecit At ille reiterans preces, molestia potiùs, quàm affectu accedendi secum obtinuit Abbatis consensum.

Postquam vero Venetias applicuerunt, paucis transactis diebus dictus frater Martinus peste percussus est, &

& ea die circa primam horam noctis visus est spiritum exhalâsse, ita quòd per horæ unius spatium ab omnibus mortuus crederetur. Audite quæso, charissimi fratres rem mirabilem. Lapso unius horæ spatio cœpit, qui mortuus videbatur, anxiare, & apertis oculis clara voce servientes vocavit, & ait: Vocate Patrem nostrum Abbatem sanctæ Justinæ: vocate, & non diferatis. Illi metuentes eorum Patrem ducere ad infirmum propter contagionis periculum, dixerunt: Pater Abbas non est hîc: vocabimus Priorem, in mentis conceptu ad maculam vitandi mendacii, quia Pater Abbas etsi in monasterio aderat, non tamen præsens erat, in loco, ubi jacebat infirmus. At ille: precor, vocate Abbatem. Habeo enim ei certa dicere secreta, quæ nulli alteri dicere possum; & non habeo potestatem illa, nisi per unius horæ spatium revelandi. Non dubitetis vocare eum. Scio eum esse in monasterio, & propter contagionem non vultis, quòd veniat. Non dubitetis, quia pestis non lædet eum. Oportet ipsum adhuc multis annis multos portare labores. Vocate eum. Illi autem adhuc trepidantes, ubi non erat trepidandum, verbis illius non moti ad fidem noluerunt aliquid intimare Abbati: sed accersito Priore, qui Theophilus vir religiosissimus dicebatur, eum ad infirmum perduxerunt. Quo viso infirmus suspirans ait: ô Pater, quare non facitis vocari Patrem nostrum Abbatem? Vobis non dicam secreta, quæ illi proferre habeo.

Et cùm Prior eodem ductus timore, quo fratres, excusabat Abbatis absentiam sicut priùs, infirmus verò nihil amplius de vocando Abbate quæstionem movens, intuens Priorem cum magno fervore dicere cœpit: ô pater ego fui ductus coram patre nostro sanctissimo Benedicto, qui splendidus erat velut sol, eratque in medio duarum magnarum stellarum, scilicet sancti Mauri & sancti Placidi: & circa ipsos vidi infinitam multitudinem monachorum, qui omnes velut stellæ fulgebant. Et ego tremens stabam coram patre nostro sancto Benedicto, qui me cœpit durissimè increpare de negligentiis meis, de impatientia, & de superbia, eò quòd volebam in religione addiscere litteras. Et dixit dolenter: Heu miseri, qui

A. non cognoscitis, vocationem vestram, & gratiam, quam habuistis à Spiritu Sancto! Numquid donat vobis Spiritus Sanctus gratiam fervoris, ut relictis Patre, Matre, cognatis, amicis, & omnibus temporalibus bonis intretis religionem, ut ibi discatis litteras, & conturbetis charitatem fraternam, & non potiùs discatis virtutes à Christo, qui dicit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, ut & vos in humilitate & mansuetudine DEO servientes digni sitis venire in hunc amœnissimum locum, ubi in momento, si eri- B. tis in statu salutis, omni scientia pleni eritis, & omnium rerum, seu creaturarum proprietates, virtutes, & ordinem cognoscetis, sicut tu vides? Et dixit infirmus: ô Pater, utinam essent hic omnes fratres, qui molestant Patres, & volunt addiscere litteras, spero, quòd ammoverem ab eis, hanc periculosam tentationem. Et incredibili fervore dicebat: ego vidi substantiam omnium rerum, ordinem cœlorum, & omnium planetarum.

Matth. 11. v. 29.

[a] Et cœpit coram Priore, qui erat artium Doctor, & in Astrologia non mediocriter C. doctus, ita altè, ita abstractè, ita mirabiliter loqui de Trinitate priùs, postea de divina sapientia in creatione, & ordinatione rerum, quæ, ùt retulit ipse Prior, nunquam à Doctoribus, nunquam in libris audivit, aut legit tam altos, tam claros, tam scientificos sermones de Deo, de ordine rerum, & de Sacramento Altaris, & de ordine, & cursu stellarum. Et dixit in fine sermonis: verè Pater, si Aristoteles, si alii Philosophi, si Doctores Ecclesiæ reverterentur ad hanc vitam, D. omnes suos codices lacerarent, quia verecundarentur de grossitudine loquutionum suarum. Maxima est certè differentia, videre omnia sicuti sunt, ab his quæ per opinionem sunt scripta. Et convertens sermonem suum ad mysterium Sacramenti altaris ait: ô mi Pater, si sciretis, qualis & quantus ordo latet in Sacramento altaris, & quomodo in verbis sacerdotis transsubstantiantur panis & vinum in verum corpus, & sanguinem Jesu Christi: non possetis unquam celebrare præ stupore & dulcedine tam admirabilis Sacramenti. Ego ampliùs non credo, quia certificatus sum, quòd tu es in illo

ille, qui fuisti in ventre Virginis Mariæ, A. qui fuisti in cruce, qui descendisti ad inferos ad justos redimendum; resurrexisti, & ascendisti in cœlum. Et ita dulcem sermonem fecit de Sacramento altaris, sicut nunquam audivit ipse Prior, qui attendens sapientissima verba ejus, qui fuerat insipiens, & doctissima ab indocto edita, stupore repletus admirabatur opus mirabile divino miraculo demonstratum. Subjunxit infirmus jam mente sanatus, quia à sancto Benedicto audierat, quòd si in agone febrium patiens, salvus erit; quod fecit. Nam qui priùs ferre non poterat minimam corporis passionem, ita patienter dolores febrium, B. quæ velut ignis eum continuò decoquebant, & passionem Inguinariæ apostematis deferebat, quòd de ejus ore minimum lamentationis verbum ampliùs non excitit auditum.

Prior verò præ admiratione eorum, quæ viderat, & audiverat, continere non valuit, quin statim Abbati omnia denunciaret. Quibus cum admiratione auditis Abbas permaximè doluit, quòd non vocârunt eum propter ea maximè, quæ infirmus protestatus fuerat non nisi per horam habuisse licentiam Abbati certa revelandi secreta: voluitque statim adire infirmum. Sed quia ille quiescere cœperat, C. distulit usque manè. Mane autem facto Abbas accessit infirmum. Quem cùm infirmus fuisset intuitus, dixit: O Pater utinam venissetis ad me, quando quæsivi de vobis! Sciebam vos esse hîc, & fratres timore pestis noluerunt vocare vos. Non timeatis, non estis moriturus usque ad longum tempus. Oportet vos multos sustinere labores pro congregatione ista. Tunc Abbas ait: Fili, doleo, certè quod mihi non fuerit aliquid D. intimatum, quia statim venissem ad te. Sed precor, die mihi, quæ dicturus eras. Respondit suspirans: Pater non possum. Sed hæc possum dicere vobis; multi fratres certè morientur, cùm usque ad tempus illud paucissimi antè obierant. Et verè verum prædixit. Nam tot inde citra fratres cum perseverantiæ triumpho in Domino dormierunt, quòd nescio, si plures sint, an qui superfint, an qui ad felicem gloriam transmigrârunt.

Item dixit infirmus, Pater, dixit mihi sanctus Benedictus, quòd vobis dicerem, ut sitis constans, nec modum regiminis, & congregationis alteretis, quia à Deo ordinatus est modus ille, & placet valde, & quia cum dulcedine, & sollicitudine observantiæ ducatis regimen animarum. Sed habebitis multas tribulationes, & angustias, & contradictores huic regimini, & ordini congregationis nedum ab exteris, sed etiam intrà à filiis vestris. Sed estote constans, & patiens, quia Deus ducet omnia ad sui magnam laudem, pacem vestram, & congregationis augmentum. Alia plura dixit, quæ tangebant in particulari Abbatem, quæ huic inserere, operi non decet. Et cùm Abbas exhortaretur infirmum ad patientiam, & communionem, primum se facturum in continenti spopondit. Et cùm esset feria sexta, dixit de communione: illam volo facere Dominico die, in qua cum fratribus meis, qui in Domino dormierunt, perpetuam facturus sum communionem. Et sicut prædixit, communionem devotè die dominico sumpsit, & facto modico intervallo, feliciter migravit in pace.

CAP. IX.

De ipsis contrarietatibus, & mirabili auxilio Dei contra ipsas.

NUnc autem ad progressum nostræ congregationis rediens, ut prædicti infirmi sermo impleretur, quem dixit, Abbatem multa passurum, & contra ordinationem congregationis multos impugnatores esse futuros, Abbas à summo Pontifice obtinuit omnia, quæ petierat. Et dum Bullam citò & cum pace expedire se crederet & omne, ipse invisor omnis boni, & persecutor diabolus immisit in cor aliquorum, qui coram Dominio Venetiarum querelanter exponerent, Abbatem sanctæ Justinæ cum quodam privilegio sibi monasterium sancti Georgii subjugâsse, privâsseque Ducem omni jurisdictione, quam jure patronatûs in illo se prætendebat habere. Quod audiens Dominium indignatione commotum, scripsit ad curiam, ut ipsæ Bullæ arrestatæ non permitterentur transire. Ob quam causam quidam Cardinalis Venetiarum, Antiquior, nuncupatus, omni ingenio

genio revocationem illarum apud summum Pontificem procuravit, & à Regente Cancellariam, ne expedirentur, promissa obtinuit.

A.

Sed Reverendissimus Pater Dominus Cardinalis Senensis tunc, nunc divina miseratione Eugenius Papa IV. qui ex divino munere servos Dei, & opera pro divino pullulantia cultu, semper fovet, illis sua, quà valebat, præsidia continuò porrigebat, & specialiter ipsi Abbati, quem à primæva ætate dilexerat, & enutriverat in Domino, defensionem hujus sancti operis animosè suscepit, adeò, quòd præter Cardinalium morem ad aliorum domos pro hujus expeditione Bullæ personaliter ire dignatus est. Et sic sua indefessa, opportuna, & importuna solicitudine post plures menses, tandem realem expeditionem dictæ Bullæ ab ipsa Cancellaria meruit obtinere.

B.

Sed adhuc diabolus movens insidias ita corda Ducis Venetiarum, & Senatûs ejus contra Abbatem commovit, quòd sub exilii pœna de terris Dominii sui, donec privilegium præfatum Abbatis met procuratione revocaretur, eum tentârunt per legem adstringere. Sed gratiâ Dei, qui servos suos in opportunitatibus juvat, nihil obtinere valuerunt, Abbatis innocentiam per viros Deum timentes in eorum Rogatorum consilio sic nuncupato, viriliter defensata. Sed hoc non obstante tanto magis cor Ducis contra Abbatem accenditur, quantò videbat, quæ contra eum sua furia machinabatur, obtinere non posse. Expectabat sæpè dicti Abbatis reversionem â curia, quem verbis duris accerrimè increpare decreverat, & Bullam facere lacerari. Abbas autem de omnibus præmonitus ab amicis, & notis fuit, & quòd aut non veniret, aut Bullam pro nunc uti nolle deliberaret. Hi quidem nescientes â Deo parata præsidia, & Domini nostri JEsu Christi exhortatione immemores, qua servos suos in quæstionibus exhortatur dicens: *Cum steteritis ante Reges & Præsides pro nomine meo, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini, &c.* Magis vultum timebant Principis, quàm sperarent de providentia Dei.

C.

D.

Matth. 10. v. 18. 19.

Abbas verò, qui sincerè procuraverat ea, quæ tendebant ad gloriam Dei, non Ducis, aut alterius læserat jura, ut falsò fuerat suggestum, intrepidè, & ferventi animo cum Bulla se Dominio præsentare decrevit. Et adveniente die ad se præsentandum statuto, consanguinei Abbatis eum comitantes Principis timentes furorem rogabant Abbatem, ut verba increpatoria, & qualitercunque dura, quæ dux inferre proposuerat sibi, cum patientia toleraret, qua fortè horum colla tumentia placabuntur. Abbas jam divino roboratus consilio hortabatur suos, ut nòn timerent, & viderent, quam citò hic ignis extingueretur succensus. Venit hora, Abbas Ducis, & totius senatûs in unum congregatorum præsentiam adiit, & non expectato Principis sermone cœpit reverenter sic dicens: cum nimio dolore intellexi Serenissime Princeps, serenitatem vestram malè & falsò informatam fuisse, quòd â summo Pontifice contra jura vestri Ducatûs impetraverim unam Bullam. Absit â me, quòd, qui semper fidelis fui, hujus vestri illustrissimi Dominii (& illud dilexi) aliquid contra ejus jura, & honorem attentare præsumpserim. Ecce Bulla! videat illam Dominatio vestra, & si si quid, quod displiceat, inveneritis, vos ex uno capite, ego ex alio delebimus illud.

Venetorum naturæ certè inest felix conditio, ut mollia verba magis quàm fervida ferocitatem devincant. Unde princeps totus hoc demollitus blando sermone juxta illius regiminis morem, Abbate statim ad partem sequestrato cum suis consiliariis brevi præmisso eloquio Dux cùm alacri facie ad se vocavit Abbatem, & pro pensata* responsione acerba his usus est mollibus verbis: Domine Abbas, licèt aliter fuerimus informati, tamen magis credimus relatui vestro. Non possetis meliùs loqui. Nos videbimus Bullam, & unà vobiscum aptabimus, siqua fuerint aptanda. Ite in pace. Et sic Abbas una cum suis ad monasterium cum lætitia reversus est. Postea pluribus initis tractatibus inter ipsum Dominium & Abbatem monasterium sancti Georgii concernentibus tantùm, nec quid tandem invenientes aliter innovandum, practicam dimittentes non ampliùs impetiverunt Abbatem, & tandem ipsum illustre Dominium in eôrum consilio Ro-

* *Apogr.* perpensata resp.

gatorum ipsius monasterii sancti Georgii A. unionem cum nostra congregatione cum mensæ divisione acceptavit.

Sed sæpe dictus adversarius pacis, ac divini impugnator honoris diabolus de extrinsecis suis insultibus se victum non ferens, intrinsecus certamina intulit duriora. Nonnullos commovit de fratribus, qui accersito Abbate protestati sunt, se huic nolle privilegio consentire, nec alteri quàm sibi subjici velle. Quos Abbas blandè consolans, utilitatem animarum suarum & fratrum, tuitionem observantiæ regularis, & totius congregationis B. conservationem ex tali communi provenire regimine: & è contra pericula manifesta, si sub uno particulare Patre ducerentur, exemplis & rationibus ostendere conabatur. Sed hi tanto erant illi Patri copulati amore, quòd ejus saluberrimæ persuasiones nullatenus ad unitatem illius sancti regiminis eos flectere potuerunt. Tandem Abbate persuasionibus perseverante, nutu divino privilegio adhæserunt.

Sed adhuc ipse perfidus Sathan insidiarum insatiabilis adinventor gravius adhuc scandalum concitavit. Fecit enim, quòd C. Abbates, qui tunc plures erant in congregatione, humilitatem regiminis non quærentes, se à dictâ sanctâ segregarent unitate. Quod Abbas sanctæ Justinæ, & cæteri fratres ad majus scandalum evitandum, & ne in multarum animarum periculum divisionis notam incurrerent, in patientia sustulerunt, & eis una cum fratribus, qui cum ipsis Abbatibus elegerant permanere in sua libertate, dimissis, extra nihilominus unionem conservantes, & satis charitativè divisionem ipsam longis D. temporibus palliârunt. Cujus congregationis patientiam Deus ex alto prospiciens monasteria ipsa una cum fratribus ad gremium congregationis cum multa tandem devotione reduxit.

CAP. X.

De admirabili causa reformationis Monasterii, sancti Pauli extra urbem.

IN fine verò hujus operis dignum memoriâ præterire nolo modum, quô & qualiter almum & sacrum monasterium sancti Pauli extra muros nobis divino opere, cooperante sanctissimo Domino nostro Domino Eugenio divinâ clementiâ Papâ IV. qui tunc Cardinalis Senensis dicebatur, sumus adepti. Currentibus ergo annis Domini nostri Jesu Christi 1425. Pontificatûs bonæ memoriæ Domini Martini Papæ V. ecclesia cum monasterio sancti Pauli extra urbem, ut latiùs ponam inferiùs, erat ita miserabiliter destituta, quòd tecto pro majori parte diruto, & discooperto ventorum, pluviarum, nivium, & grandinum receptaculum erat plenum. 1425.

Accidit volente Deo, & beati Pauli exigentibus meritis, ut instaret tempus tam solemne, tam devotum cum ecclesia desolatum Cœnobium reparandi, quòd quidam peregrinus vilibus indutus vestibus, barbam prolixam, & continuum quasi silentium servans, prædictam sancti Pauli intraret ecclesiam. Et stans erectus versùs ejusdem beati Pauli imaginem ligneam propè beati Stephani altare inter cratem ferream nudum ferreum ensem manutenentem erectum, & aliquantulo temporis spatio eam fixè contemplans, spiritu fremens alta cœpit clamare voce. O Paule, ô stulte barbate! quid agis? ad quid erectum tenes ensem? Non vides, quod abominosè jacet dirupta ecclesia tua, & quàm negligenter providetur ei? Relaxa ensem illum, quem tenes erectum, & percute eos, qui negligunt domum tuam. Permittente Deo stabat Missam audiens ad altare, propè eamdem imaginem Dominus Angelotus vir egregius tunc nominatus, nunc Cardinalis sancti Marci, qui familiarissimus erat Papæ. Hic peregrini verbis auditis, ut ipsemet retulit Abbati, tanto pavore comprehensus est, quòd, ut Missa finiretur, nimio desiderio expectabat, ut hæc omnia papæ protinus nuntiaret.

Finita Missa ascendit equum velociter, ad palatium pergit his brevibus usus verbis: Pater Sancte, mala nova pro te, & me. Territus papa inimicorum insidias adesse credens ait: quid est, quod loqueris? At ille seriem clamoris exposuit peregrini. Quæ verba sic cor papæ divino percusserunt timore, quòd se totum ad illius monasterii reparationem convertit, & in primo secreto consistorio omnibus Car-

Cardinalibus clamorem peregrini, & de- A. liberationem reparandi ipsum monasterium, & ecclesiam patefecit. Quam deliberationem Cardinales omnes collaudantes de ejus executore tractare cœperunt. Et cùm de persona idonea ad tam sanctum opus perficiendum aliquantulùm disceptâssent, nullum meliorem, aptioremque fore Domino Cardinali Senensi omnes unanimiter acclamârunt, qui divini cultûs Zelator & natura, & gratia semper fuit, quod onus se acceptaturum spopondit, si per Bullam etiam spiritualibus, & temporalibus in capite, & in B. membris ipsum monasterium reformandi ei liberè concederetur facultas, promittens in brevi, nedum monasterium cum ecclesia reparaturum, sed & in spiritualibus sub regulari observantia reformare. Quibuscum multa complacentia auditis summus Pontifex ad nutum ipsius plenariam facultatem concessit. O mira Dei dispensatio! Hujus rei præsagium silere non possum, sicut ipsius Reverendissimi Domini Senensis didici, relatione rem ipsam describo.

Dum ipse in minoribus constitutus juvenis, Dei tamen servitio dedicatus Ro- C. mam petiisset, monasterium præfatum sancti Pauli visitavit, & miseriæ desolationis ejus compatiens, quam non valebat mechanicorum arte perficere, mentis conceptu ad reparationem se totum convertit: & dividens officinas ipsius juxta decentiam observantiæ regularis, etiam ipsum dormitorium mensuravit, & cellas quadraginta ibidem construendas præcepit, quem pium conceptum Deus benignè prospiciens suo tempore per ipsum perficiendum effectualiter præparavit. D. Plenariâ ergo litteris Apostolicis potestate munitus ipse Reverendissimus Dominus Senensis Abbatem sanctæ Justinæ suis litteris requisivit, ut pro ipsius monasterii sancti Pauli reformatione aliquos de suis Monachis destinaret. Qui Abbas receptis litteris, convocatis fratribus ad consilium deputatis ad consentiendum huic piæ petitioni eos pluribus rationibus exhortatus est, potissimè quin talis reformatio stabilimentum magnum, tuitionem, & præservationem ipsi nostræ congregationi præstabit, & summorum Pontificum, Cardinalium, cæterorumque curialium per tempora amorem, & devotionem aquireret, sicut in præsenti dictorum testatur eventus. Qui omnes consensum suum alacriter præstiterunt. Habito ergo fratrum consensu Abbas sexdecim Monachos ibidem destinavit, quos cum duobus aliis ipse sequutus est. Et urbem ingressi ab eodem Reverendissimo Domino Cardinale Senensi benignissimè recepti sunt, quos & personaliter in monasterio collocavit. Cujus monasterii tunc qualitatem liberè describens, ut quanta ipse Dominus Senensis mira solicitudine egerit, præsentia reparata agnita priori deformitate, & de novo opera constructa denuntient, & testentur.

CAP. XI.

De adventu Monachorum ad monasterium sancti Pauli, & de qualitate Monasterii ante, & post reformationem.

ANno ergò Domini 1425. post introitum Monachorum in præcedenti adventu, intravit & Abbas in vigilia conversionis beati Pauli Apostoli monasterium illud. Et primò Ecclesiam miræ & excellentissimæ structuræ conspexit, sed miserrimè destitutam. Nam, ùt suprà dictum est, pro majori parte ejus ruerat tectum, sicque videbatur locus intuentibus derelictus, quia & peregrini circumcirca parietes intra ecclesiam diversorum generum carnes, & olera decoquebant, commensationibus, & ebrietatibus, ùt plurimùm sine Dei timore vacantes, pastores vero boves, & bufalos ad pernoctandum ibidem, velut in stabulo conducebant. Meritò igitur mirabatur cum clamoribus peregrinus, cùm à beato Paulo agrestis, & dura non inferebatur vindicta contra tantam Præsulum negligentiam, quâ Principum Apostolorum domus, insignis taberna, & utinam non lupanar, & fœtidorum animalium execrabile armentarium erat effecta. 1425.

De monasterii autem structuris quid dicam, cùm ædificia cuncta undique ruinis subierant? Solùm claustri pulchritudo aliquod religionis signum intuentibus ostendebat. In Refectorio, dormitorio, coquina, & ubi nunc rasura fratrum tenetur, tanta erat letaminis copia, quòd nihil

nihil aliud, quàm ipsum lutum cum fœ- A.
tore, & tecta cernere poteramus. Si
aliqua circa claustrum mansiunculæ cum
tecto supererant, illæ pro porcorum, &
pecudum stabulo extiterant usurpatæ: &
talia in monasterio, qualia in Ecclesia
cohabitabant animalia bruta. O patien-
tia Dei, & Apostolorum ejus, qui tot,
& tanta in sua fieri sanctissima domo ne-
fanda opera sustulerunt, & non per dig-
nam vindictam corripuerunt taliter delin-
quentes, sed cum misericordia domui
suæ gloriosissimè providerunt! Nam præ-
fatus Reverendissimus Dominus Cardi- B.
nalis Senensis ita ardenti fervore opus
agressus est cum persona, & bonis suis, se
ipsum etiam pignori exhibendo, quòd in
parvo tempore monasterium cum eccle-
sia à prædictis ignominiis perfectè, &
cum Dei maximo honore purgavit, ec-
clesiam cooperiri fecit, quòd à memoria
etiam antiquorum exciderat ecclesiam il-
lam integre fuisse coopertam. Dormi-
torium cum cellis quadraginta, sicut in
parva sua conceperat ætate, & certas
officinas & monasterii habitacula juxta
decentiam observantiæ regularis simul
cum exteriori magno palatio etiam sua in-
nata mansuetudine in communibu. exer- C
citiis cum fratribus ad extrahendum lapi-
dem se personaliter immiscendo, prout
præsenti tempore ipsa reparata te lantur,
gloriosè, & cum magna solicitu line re-
paravit. Qui Reverendissimus Pater
Dominus Cardinalis Senensis per inter-
cessionem primò eorumdem Petri & Pauli
Principum Apostolorum domum his, &
aliis suis bonis operibus, & meritis die
1431. Sabbati quarta die intrante Martio 1431.
Domini currentibus annis Martino Papa
præmortuo ad summi Apostolatus apicem D.
assumptus est, & Eugenii IV. nomen
assumpsit: qui quantâ affectione quanta-
ve incredibili charitate hanc nostram sta-
bilivit, ampliavit, protexit congregatio-
nem, & eam diversis privilegiis insigni-
vit, ut ne pro eorum oblivione ingratitu-
dinis vitio inveniamur obnoxii, ea
compendiosè submittam.

CAP. XII.

De multis gratiis, & beneficiis, à Sanctissimo Domno Eugenio Papa IV, habitis.

Hic Sanctissimus Præsul Eugenius, qui
ab infantia reformari deformata an-
xiè concupivit, & singulariter præfatam
congregationem, quam suis magnis præ-
sidiis Deo semper operante viderat glorio-
sè & fœcundè in Dei ecclesia pullulâsse,
eam sibi speciali copulavit amore, & pri-
vilegium ejus institutionis, quod mona-
sterio ejus Præcessor concesserat, cum
amplioribus favoribus innovavit, & uti-
liter ampliavit, ipsamque totam congre-
gationem cum omnibus monasteriis &
membris suis sub jure beati Petri, ejus
protectione perpetuis temporibus adscribi
voluit, indulgentiis quoque pluribus, &
in mortis articulo plena, ac aliis diversis
& multis gratiis ipsam congregationem,
personas, & bona omnia, semper gratis,
in signum magnæ dilectionis laudabiliter
insignivit

Concessit insuper monasteria infra scri-
pta, quorum aliqua sub plena dictæ con-
gregationis libertate cum facultate ad li-
bitum capituli instituendi Abbatem:
nonnulla verò cum mensæ divisione ab
Abbatis mensa donavit, videlicet mona-
steria sanctæ Justinæ Paduanæ, sancti
Pauli extra urbem, sancti Benedicti de
Padolyrone Mantuanæ, sancti Georgii
Castellanæ diœceseon: sancti Severini de
Neapoli, sancti Angeli de Gaeta, sancti
Petri de Perusio, sancti Proculi de Bo-
nonia, sancti Petri de Mutina, & sancti
Petri de Glisciate Mediolani. Restituit,
ut est dictum, Monasterium, sanctæ Ma-
riæ de Florentia Abbatia nuncupatum,
unacum monasterio le campora sic dicto,
& cum facultate ad libitum Capituli ibi-
dem instituendi Abbatem. Monasteria
etiam alia sua solicitudine, ac assidua in-
tercessione tempore felicis recordationis
Martini obtenta fuère, specialiter devo-
tum monasterium sancti Sixti de Placen-
tia, in quo multa gloriosa Sanctorum
corpora requiescunt, quod etiam, & sub
facultate annualiter instituendi Abbatem
meruit obtinere, ubi magnus Dei ho-
nor, & plurium conversio animarum
con-

consequuta sunt. Et quid plura? Ita sincerè, ita solicitè, ita ardenter etiam inter onera Papatûs ipsius congregationis suscepit pondera, ac si fuisset unus de Patribus ejus. Et certè si vellem omnia ejus per singula gratias simul, & beneficia auribus promere vestris, novum tractatum, seu libellum condere opus haberem. De multis hæc pauca placuit enarrâsse, ut præsentes memoriter teneant, & enarrent futuris fratribus illa, ut unusquisque quantum ei, & ejus sanctæ memoriæ in propriis orationibus sit obligatus, agnoscat.

CAP. XII.

De causa, quare Abbas sanctæ Justinæ consensit suæ promotioni.

Abbas verò sanctæ Justinæ cernens monasterium suum demum post cessum, vel decessum suum juxta ipsius sanctissimi Pontificis privilegium firma frui securitate debere, ut videlicet Abbatis provisio ad Capitulum pertineret; timens, ne si post præfatum Dominum Eugeniû Papam eum decedere contingeret, importunitate & ambitione sibi expectantium provideri, favoribus diminutis hujusmodi, sanctissimæ gratiæ contingeret impediri effectus: & è contra, si vivente dicto summo Pontifice vacare contingeret, plurimos, & magnos se habiturum favores speraret, præfatæ suæ Abbatiæ renuntiare proposuit, & simplicem Monachum pro Dei honore, & bono congregationis cum suis filiis remanere, quod utinam evenisset! Sed non placuit Deo eidem tantam inferre gratiam: quia cùm hoc suum desiderium ipsi summo Pontifici retulisset, sub cujus tutella tota ipsius Abbatis vita, ut priùs dixi, fuerat educata, certis respectibus noluit præbere consensum. Sed post annos paucos contigit venerationem dignum Dominum Johannem Benedicto Episcopum Tarvisinum domi-
1437. nico die 1437. decimo quarto mensis Aprilis ex hoc misero sæculo emigrâsse. Die verò lunæ immediatè sequenti in consistorio secreto ipsum Abbatem sanctæ Justinæ motu proprio in Episcopum Tarvisinum promovit.

Qui Abbas promotionem hanc suæ vocationi minimè convenire considerans, at etiam attendens, quod si relicto tam sancto grege, cujus tot annis Pastor & Pater exstiterat, Episcopalem susciperet infulam, ambitioni meritò, non cultui adscriberetur divino, totis viribus renuntiare curavit, & per mensem ad sanctissimum Dominum Papam nuntiis cum literis refutatoriis missis & tribus Brevibus ab eodem sanctissimo Domino nostro susceptis, in quibus rationes, & Abbatis motiva infringere conabatur, demum etiam missis Patribus congregationis ejus de summi Pontificis mente ad acceptandam renuntiationem Episcopatus præfati nullatenus convertere valuit: quin immò ipse summus Pontifex etiam bullas gratis expeditas transmisit & Breve ad acceptandum perstringens.

Inter hos anxios cogitatus nutu Dei ad memoriam ipsius pervenit Abbatis, quòd pro bono congregationis Abbatiæ renuntiare voluerat affectione videndi suo tempore tam sanctum tam utile, tamque devotum monasterium, unde hæc congregatio originem sumpsit sub eadem congregatione perpetuo foret firmatum, deliberavit contra ejus invincibile propositum se permittere vinci, & ob filiorum suorum amorem esse corpore â suis filiis segregatum: & hoc tantùm respectu sibi grave onus illius Ecclesiæ acceptavit, his porrò â summo Pontifice & ab ipsa congregatione obtentis, ut per istam, & per quamcunque aliam translationem ipse Abbas â corpore congregationis non intelligeretur exclusus, sed esse de illa, & omnibus, sicut priùs, spiritualibus, & personalibus indulgentiis, & privilegiis gauderet, & ipsius congregationis Patres in generali Capitulo Venetiis in sancto Georgio celebrato, & tempore hujus promotionis adhuc pendente ex indissolubili charitate, & amore, quos continuè habuerunt ad Patrem illum, statuerunt ipsum Abbatem etiam ad Episcopatum promotum, quotiescunque interesse voluerit Capitulo generali, absque alia electione unum de definitoribus deberi perpetuo numerari. Ex qua vera & solida charitate Abbas totus refertus, grave pondus assumpsit Ecclesiæ Tarvisinæ.

Et post hæc Abbas electus Episcopus se Venetiarum illustri Dominio præsentavit, causam suæ acceptationis patefecit, &

ipsius Privilegii continentiam, qualiter A. decreto monasterium sanctæ Justinæ per Abbatem ad nutum capituli ipsius congregationis regi debebat, aptissimè declaravit. Ipse Princeps, & cœtus illius illustrissimi Dominii, bis auditis hujusmodi privilegium tanto fervore, tantoque læto animo visi sunt habere gratum, quòd vice omnium Dux hæc protulit verba: ita charum, ita acceptum babemus hoc privilegium propter honorem Dei, qui ex illo provenit sanctissimo monasterio, quòd timemus, ne futuri summi Pontifices velint infringere illud.

B. Electus verò Episcopus gratias retulit Deo & ipsi inclyto Dominio, omnes exhortando, quòd de futuris summis Pontificibus non timerent, postquam semel ab ipso illustri Dominio, & ab aliis, qui molestiam inferre poterant, ita benignè exciterat acceptatum. Quod privilegium nobiles, & totus populus Paduanus simili applausu læto animo susceperunt, & ipsa nostra congregatio absque ulla contradictione, & cum pace illo pluries usa est.

CAP. XIII.

Conclusio Operis.

HÆc sunt, quæ usque ad hæc tempora charissimi fratres, digna memoria dispensatione divina sunt gesta. Quæ autem sequentur deinceps, alicui de fratribus ad redigendum in scriptis subdelego vices, deprecans omnium vestrûm connexam & indissolubilem charitatem, quam ad me geritis Filium vestrum, ut pro me, & meo gravi pondere, quod pro divino cultu, & ob amorem monasterii sanctæ Justinæ, & congregationis assumpsi, quasi visus anathema à filiis meis apud Dominum nostrum Jesum Christum orare dignemini, & de hujus operis incomposito stylo veniam præbeatis: sed dimisso cortice rudi dulcem nucleum divinæ ordinationis ex superiùs* scriptis evellentes ipsum in devotionis vestræ scrinio reservetis. Deo gratias. Scriptum manu mea in Palatio Tarvisino, & completum die commemorationis sancti Pauli Apostoli ultima die Junii, currentibus annis à Nativitate Domini nostri JEsu Christi millesimo, quadringentesimo quadragesimo.

In duobus autem exemplaribus itidem manuscriptis leguntur in fine sequentia carmina.

Tarvisii Præsul nunc Ludovicus, & Abbas
Olim cœnobii Paduani Virginis almæ
Justinæ, primus monachos per vana vagantes
Ad mandata Patris pro posse tenenda reducens,
Hunc librum scribens, operum fuit ipse peractor.
Hìc sua gesta refert, alius velut esse putetur,
C. Lucrari cupiens animas, vult spernere pompas,
Excitet ut monachos trepidos intrare novellam
Militiam, monstrat divino Numine cœptam.
Hic celeber Venetus civis cognomine Barbus.

* *Leguntur passim notulæ quædam marginales. Sed hæ sunt posterioris, & alienæ manus. Nec enim sunt nostri Auctoris, sed ad alicujus arbitrium recenter adjectæ.* * *Nota R. D. P. Sandii.*

BEATI

BEATI

NICOLAI DE PRUSSIA,

MONACHI CONGREGATIONIS S. JUSTINÆ DE PADUA, ORD. S. BENEDICTI

VITA

AUCTORE

JULIANO JANUENSI MONACHO EJUSD. ORD. ET CONGREGATIONIS.

Ex Cod. MS. communicata ab admodum Reverendo & Cl. D. Patre Josepho Maria Sandio, inclyti Monasterii ad S. Justinam Paduæ Benedictino, & Bibliothecario.

I N C I P I T

PROLOGUS

IN VITAM B. NICOLAI DE PRUSSIA MONACHI CONGREGATIONIS SANCTÆ JUSTINÆ DE PADUA ORDINIS S. BENEDICTI CUJUS CORPUS REQUIESCIT IN MONASTERIO SANCTI NICOLAI DE BUSCHETTO PROVINCIÆ LIGURIÆ, SECUNDO AB URBE JANUENSI MILLIARIO.

Religioso ac devoto Dei servo D. Placido Veronensi D. Julianus Januensis in vero A. salutari salutem. Dum mihi observande Pater daretur interdum tecum loqui, contigit, ut quandoque narrarem de vita, & miraculis beatæ memoriæ D. Nicolai de Prussia Monachi nostræ congregationis, qui Præceptor meus fuit, ac singularissimus Pater, â quo, dum esset in mortis articulo multa Dei magnalia circa eum exhibita intellexi. Sed & post ejus obitum plura per eum Dominus ex crebris miraculis sanctitatis signa ostendere dignatus est, B. quæ tu amantissimè Pater attentissimè audiebas, & quasi vir desideriorum ea, quæ de viro Dei intellexeram, cupiebas agnoscere. Rogabas proinde, cùm tamen mihi præcipere debueras, ut ea tibi in scriptis redigerem, asserens esse posteris profutura. Ego meam animadvertens imperitiam, atque sciens hujusmodi negotium vires meas superare, id plurimum agere recusabam. Illud etiam me non mediocriter retrahebat, quòd hujus B. viri non potuerim ad plenum singula quæque facta comprehendere, eo maximè, quia secreta, quæ habebat, narrare distulerit usque ad mortis articulum, quando videlicet jam loquendi vires amiserat; & eum sic moriens innumerabilia Dei magnalia se vidisse testaretur, quæ ob nimiam debilitatem reserare non poterat; indignum profectò mihi videbatur imperfecta describere, & ex multis, quæ per eum Dominus fecerat, tam pauca referre. At tu, qui nôsti ex paucis multa conjicere, & ex parvis considerare majora, instabas, ut & ipsa pauca, quæ noveram, silentio non præterirem pro ædificatione multorum; quia meliùs esset aliqua utiliter scire, quàm omnia pœnitùs ignorare: neque satis curandum ajebas, si non esset ita sermo percomptus, cùm Regnum Dei non in sermone, sed in fide consistat; & salutem nostram non Oratores, sed Piscatores ita Deo ordinante nuntiaverint. Non auditorum aures sermo offendat incultus, si rerum narratio erit veritati subnixa: atque ubi propria merita non pertingunt, ad Deum est recurrendum, qui dat affluenter. Quid igitur faciam, aut quò me vertam humanissime Pater? Mea etenim me arguit imperitia, ut taceam, & ut non præsumam indignus digna, & imperfectus sancta tractare: sed tua fateor me charitas cogit, cui nequeo negare quicquam. Tua quoque imperant monita, ut quamvis indoctus, nullaque dicendi arte gnarus, tuo tandem desiderio morem geram. Aggrediar igitur tuæ Paternitatis adjutus orationibus ea scribere, quæ de B. viro ipso ex magna parte cognovi, ac etiam ea, quæ post ejus felicem obitum Dominus ad glo-

gloriam sui nominis operari dignatus est; A. ut, cum audierimus virum ætate hâc nostrâ occiduâ, in congregatione nostrâ tàm strenuè militâsse, tamque religiosè vixisse, ut in vita, & post mortem miraculis floreret innumeris, noster inardescat animus ad perfectiora sectanda, atque in Christi accendatur amore. Conemur igitur, obsecro, ad exemplum tanti Patris reddere Domino nostro servitutis fructum pro nostrarum virium possibilitate, quia pergratum est, quod illi juxta vires B. offertur.

CAP. I.

De B. Viri ortu, Parentibus, itinere in Italiam, & deliberatione statûs.

VIr Domini Nicolaus ex Provincia Prussiæ, quæ in ultimis Germaniæ partibus sita est, traxit originem. Parentes verò ejus, cùm essent benè catholici, & plurimùm Deo devoti, docuerunt hunc filium suum secundùm Dei timorem vivere, divina scilicet præcepta servare, Ecclesias frequentare, honestè, religiosè C. que conversari. Missusque ad scholas sufficienter edoctus est. Tum adolescens, cùm bonis polleret moribus, factus est Deo, & hominibus gratus. Interim Divina Clementia, quæ hinc prævidebat servum suum, cœpit ejus illustrare animum ita, ut quotidie cogitaret, qualiter se posset divino servitio mancipare; nec ei defuit divina gratia. Jam igitur juvenis factus mente concepit Parentibus, Patriaque relictis Italiam petere, & in Romana curia cum aliquo Prælato se recipere. Etenim apud Germanos, qui in Romana curia non fuerunt, est de Prælatis Ecclesiæ magna sanctitatis opinio. Testari D. namque ego possum, & verum fateor: cùm essem Romæ coram uno Cardinali, aderat & unus Presbyter Teutonicus, qui affirmabat compatriotas suos opinari, quòd Reverendissimi Cardinales frequenter cum Angelis loquerentur: & ita est. Nam dicentes officium divinum cum Deo loquuntur.

Igitur devotus juvenis iter aggreditur, & haud longè ab Italia, dum esset in hospitio, affuit subitò quædam veneranda matrona, quæ interrogat eum, quis esset? aut quò tenderet? Ille, ut erat totus verecundus, & etiam aspectu pulcherrimus, A. reverenter respondit: servus sum, aitque unius Domini, & Romam proficiscor. Cave, inquit illa, bone juvenis tibi. Nam à loco isto usque ad talem locum totum iter latronibus plenum est, qui non solùm homines deprædantur, verùm etiam illos interficiunt: ob tui enim gratiam huc veni, ut de itineris periculo te cautum facerem. Ille inclinato capite gratias egit matronæ, quæ illico ab ejus oculis dispa- ruit. Quod factum intra se recogitans, suspicatus est fuisse sanctam Mariam Virginem, & * Martyrem Dorotheam, quam in magna habuit veneratione, & devotione, cuique dum à paterno domo discessit, se plurimùm commendaverat.

* *f. leg.* aut

Per aliam ergò viam suum prosequitur iter. Cumque Italiam ingressus cognovisset summum Pontificem, cæterosque Prælatos residere in civitate Pisarum, illuc se contulit. Interim illorum contemplatur mores, & jam sicut mente conceperat, ita ei videbatur non esse. Sua ergò expectatione fraudatus, quò se verteret, ignorabat. Hinc mente consternatus ingenti mœrore afficitur. Sed solatium unicum illi erat, & refrigerium orare Deum, cui se totaliter commiserat, & in quo sperabat, Divina igitur hunc Beatum respexit pietas, quæ semper adest in se sperantibus, & corde compunctus decrevit omninò fieri Monachus, indeque recedens ad agrum Paduanum Deo volente pervenit. Et contigit, ut applicaret ad monasterium extra Paduam sanctæ Mariæ de Pratalea, qui locus amœnus, ac solitarius, satis ei placebat. Sed ibi tunc non vigebat observantia regularis, quia nondum unitum erat ipsum Monasterium nostræ congregationi, prout est in præsentiarum; in quo loco per aliquot dies mansit orationi insistens, Deum deprecans, ut eum dirigeret secundum suæ beneplacitum voluntatis.

CAP. II.

De spirituali fervore in principio Congregationis.

EO tempore celebris fama Regularis observantiæ sancti Benedicti nuper inceptæ in Monasterio sanctæ Justinæ de Padua longè, lateque divulgabatur, multique illuc confluebant odore tracti tantæ

sanctitatis. Unde factum est, ut ipse vir Dei pergeret Paduam ad S. Justinam, ubi præerat Abbas D. Ludovicus Barbo primus ipsius observantiæ institutor, vir integerrimus, nobilis Venetus, sed virtute nobilior. Et ingressus Monasterium provolvitur pedibus ipsius Abbatis humiliter deprecans, ut eum Monachum faceret, â quo humanissimè susceptus est. A quanta autem perfectione, & devotione, conversionis suæ initum sumpserit hic vir beatus, ex his, quæ sequuntur, evidenter apparebit.

Tantus itaque eo tempore illis Monachis devotionis fervor inerat, ut nullus sufficeret enarrare, prout extat libellus de initio ipsius congregationis, in quo de illorum sanctitate latiùs plura narrantur. Plantaverat enim Dominus in illo sacro cænobio sanctæ Justinæ vineam Soreth, quæ non incongruè assimilari potest congregationi Monachorum præfatæ, quam illo in tempore Dominus ad honorem sacri sui nominis erigebat, quanta* Regularis Monachorum nigrorum observantia jam pænè collapsa reformaretur: de qua vinea Soreth B. Hieronymus in explanatione Isaiæ dicit, quòd est genus vitis optimæ, quæ fructus facit uberes, atque perpetuos. O quàm uberes, suavesque fructus illi fuére Patres nostri, quos ad hanc suam excolendam vineam Dominus miserat; cujus vitis suavissimus fructus etiam fuit hic Deo dilectus D. Nicolaus.

*f. leg. quando, vel quoniam.

CAP. III.

De Abbate, & Monasterio sancti Georgii Majoris.

Operæ pretium duxi non esse obmittendum pro ædificatione nostra, ut de fervore illius temporis aliquid dicamus, quod aliàs quodam ex sermonibus nostris narrante cognovi. Ajebat, quòd Paduæ studebat quidam nobilis Venetus de domo Michaele valde dives, qui factus fuerat Abbas Monasterii S. Georgii Majoris de Venetiis. Hic licèt aliquantulum mundi hujus pompis deditus esset, castè tamen vivebat, locaque sacra frequenter visitabat.

Contigit namque, dum quodam die Ecclesiam S. Justinæ intraret, Monachi Ecclesiam ipsam scopabant, inter quos

A unus Senior, mirabili fervore succensus, isti Abbati se obvium fecit: Vultis, inquit, Abbati se obvium fecit: Vultis, inquit, Domine Abbas, emere unum pulcherrimum Decretum? Volo, ait, ostendatis mihi. Et senex; si veneritis isto sero post Completorium, aut summo mane ostendam vobis: est enim valde pulchrum. Ille verò, qui libros in facultate illa valde pulchros habere cupiebat, non distulit usque mane, sed illicò veniens post completorium vocari fecit senem illum, & dixit ei: Ecce veni videre Decretum vestrum tam pulchrum. At ille eum primùm duxit ad orationem ante altare majus, & ibi invenerunt unum ex
B Monachis brachiis in modum crucis orantem; & ait ei senex sub silentiò: ecce decretum illud, quod pollicitus sum vobis ostendere! placet ne vobis? At ille stupefactus, & compunctus nihil respondebat. Inde recedentes, ad alia eum duxit altaria, ubi fratres ex more dicto completorio orationi incumbebant. Quod ille cernens præ admiratione, & devotione lachrymas continere non poterat. Et inde abeuntes: Eja, inquit senex Domino Abbas, vidistis decretum
C nostrum, aliosque pulcherrimos libros, in quibus nostra exercemus studia, in quibus vera acquiritur sapientia, & in quibus, ô vos felices; si studere velletis! Cumque hæc, & his similia diceret senex, ille in virum alterum mutatus; ducite me, inquit, ad Abbatem vestrum. Quid plura? Abbatem alloquitur; narrat ei cuncta, quæ vidit, & audivit; habitum monachalem devotissimè petit, & accipit: demum spondet monasterium suum reformare per congregationem nostram S.
D Justinæ. Ad ultimum rogat secum mitti Monachos Venetias, ut perficiat, quod spopondit, quodque factum est. O æterna sapientia, quàm prudenter, quàm benignè, quamque suaviter cuncta disponis! Nec multò post Abbas ipse Romam perrexit, ut Monasterium suum auctoritate Apostolica nostræ congregationi uniret. In reversione verò sua, cùm esset Perusii, infirmatus in conventu Fratrum Prædicatorum (nondum enim in civitate illa Monasterium habebamus) & ingravescente infirmitate cum ædificatione omnium animam devotissimè suo reddidit creatori, virginitate nihilominùs servata

prout

prout ipse audivi ab eo, qui ejus audivit A. confessionem.

CAP. IV.

Qualiter ad mirabilem pervenerit Christi visionem.

ALiquantulum à narratione B. viri digressus sum, sed fortè non infructuosè. Proposita prosequamur. Factus igitur Monachus Dei famulus Nicolaus die, noctuque in lege Dei meditabatur, gratias illi agens, quia suum adimpleverat desiderium. Lætabatur etiam in Domino de grata, devotaque fratrum conversatione, quorum cupiens vestigia sequi, B. lectioni librorum devotorum vacabat assiduè, ex quo in tanta devotione, & compunctione devenit. Arduum itet arripiens assistere cæpit sanctæ orationi frequentet cum lachrymis, sectari silentium, amare solitudinem, familiaritatem devitare, & super omnia obedientiam, & humilitatem ita sibi vendicaverat, ut ex his omnibus in admiratione haberetur à cunctis.

His itaque & aliis cum polleret virtutibus, factus sacrista, quod officium cum devotione maxima perficiebat, & reverentia. Et quoniam penè cuncta, quæ in hujusmodi exercitio præparantur, Dei honorem concernunt, atque nostri Re- C. demptoris passionem, in cujus meditatione hic beatus plurimùm delectabatur, repræsentant; non disttahebatur mens ejus à sua devotione, quin potius quotidie in Christi amore fervebat. Unde factum est, ut una dierum, dum in Tertiis Missa cantata fuisset, accessit vir Dei ex more, prout solitus erat, ad cooperiendum Altare majus, & cùm genuflecteret, ecce subitò apparuit ei Redemptor noster Dominus JEsus Christus in ea forma, quâ D. conversabatur cum discipulis suis, dixitque ei: sequere me. Ibat: ille sequebatur totus fervens, & ignitus, altare circumiens; cumque post altare se firmâsset Dominus, in choro sexta dicebatur, & vir Dei in extasi positus, beatâ illâ Domini sui visione pascebatur. Contigit autem illis diebus, ut D. Theophilus nobilis Venetus, tunc Prior sancti Benedicti extra Mantuam, se reperiret in S. Justina & casu, dum hæc agerentur, erat in chôro, vir profectò magnæ sanctitatis, & prudentiæ, qui cùm vidisset D. Nicolaum insolito fervore circuire altare, nec postea revertisse, stupefactus tandem recessit à choro, & abiit post Altare, cernensque Beatum Virum ita absorptum, & flexis genibus immobilem stantem, admirans rei exitum expectabat. Transacta verò visione surrexit, cui occurrens D. P. Theophilus, & seorsum ducens eum dixit: Dic mihi D. Nicolae, quid est, quod ita fervidus Altare circuisti, & postmodum tamdiu flexis genibus immobilis permansisti? At ille se humilians, quibus poterat verbis visionem, quam viderat, occultabat. Pater verò Theophilus instabat totis viribus, ut aperiret, quod ei acciderat, auctoritatibus, & exemplis eum admonens, quòd qui vult Sathanæ evadere laqueos, ejusque superare insidias, necessè est, ut revelet ejus suggestiones. Nam cùm sæpissimè transfiguret in Angelum lucis, multos incautos jam decepisse cognoscitur. Ille verò hæc patientissimè audiebat, sed quia statuerat pro humilitate servanda talia minimè referare, se peccatorem, se imperfectum, & indignum divinis visionibus proclamabat. Quod ille intelligens eum in pace dimisit.

CAP. V.

Apparuit ei secundò Dominus in S. Georgio Majori.

ADjecit iterum Dominus apparere servo suo. Nam post menses sex à prædicta visione missus fuit vir Dei ad sanctum Georgium Majorem. Et quadam die eo celebrante vidit Dominum JESUM, sicut priùs viderat in S. Justina, in Hostia consecrata. Has duas visiones mihi retulit ipse Beatus Vir Nicolaus, dum esset proximus morti. O dulcissime JEsu! quanta hic servus pollebat munditia cordis, cui sic benignè apparere dignatus es! Et non solum his duabus vicibus, sed & postea, dum moreretur, innumerabiles habuit visiones in cella consistens. Beati profectò mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. In larga quippe dulcedinis benedictione in exordio suæ convetsionis præventus, demum in magistrum, perfectione, ac sanctitate usque ad finem vitæ perseveravit, * *f. profecit.

aequa-

nequaquam propter hæc dona elationis spiritum sumpsit, quin potius in majori semper studuit se humilitate conservare, occultans usque ad vitæ suæ exitum, quas habuit, dictas visiones.

CAP. VI.

Ad sanctum Benedictum Mantuæ deputatur.

MEmoratus Pater Theophilus, quia D. Nicolaum unicè diligebat, & pro ejus prærogativa virtutum, & quia in illo raptu, in quo eum viderat in S. Justina, licèt visionem non intellexerit, aliquam tamen spiritualem gratiam illic tunc degustare percepit, egit opera, atque industria sua, ut in sequenti Generali Capitulo deputaretur in Monasterio sancti Benedicti, ubi præerat Prior ipse P. Theophilus; ibique moram traxit per annos quatuor, qui Pater plurimùm delectabatur, & grata ipsius conversatione, ac morum disciplina; plerumque ab eo sciscitans de eo, quod illi accideret in S. Justina, sed frustra nitebatur.

CAP. VII.

De eo, quod contigit Presbytero Bartholomæo de Roma.

EO tempore frequentabat prædictum Monasterium S. Benedicti Presbyter Bartholomæus de Roma, vir magnarum virtutum, cum quo vir Dei D. Nicolaus multùm familiaris fuit, à quo ego de illius virtutibus plura audivi, & intellexi. Nec erit abs re, si unum tantummodò referamus. Ajebat, quòd Pater ille cùm esset devotissimus Virginis Dei Genitricis Mariæ, quotiescunque ejus celebrabat Missam, illa apparebat ei, stans in medio altaris, tenens in brachiis filium suum usque ad finem Missæ: quando verò vertebat se ad populum, quamdam reverentiam, & devotionem plùs solito ostendebat, utpote qui tantam videbat Majestatem.

Quadam itaque die de more celebratâ Missâ B. Virginis Mariæ, ait ei minister ejus, obsecro Pater, dic mihi, quid est, quod in Missis B. Mariæ, plus quâm in cæteris missis, profundiorem in medio altaris reverentiam facis? Ille verò de hujusmodi curiositate eum dulciter arguens dicebat, quia non conveniebat ei talia indagare. At ille ejus pedibus provolutus nimia cum importunitate ejulans ajebat: ab istis pedibus non recedam, nisi indicaveris mihi causam insolitæ reverentiæ. Pater verò ille in hac parte minùs cautus, & nimis dulcis revelavit ei, quia id faciebat pro eo, quia Matrem Dei cum Prole in medio altaris cernebat astantem. Quæ res, prout probavit exitus, non placuit B. Virgini. Nam deinceps minimè apparuit celebranti; ex quo in tanto mœrore, & in tanta lachrymarum effusione prorupit, ut mox quando Missam de B. Virgine calebrabat: ut benè credidisset, qui thesaurum deploraret amissum. Sed quoadusque vixit, se non potuit á lachrymis temperare. Non propterea credendum est, quòd fuerit á Beata Virgine derelictus, quæ est misericordiæ Mater, quin potiùs fortè eidem fuit propter hanc humilitatem, vel humiliationem magis acceptus; præbens ex hoc facto exemplum cæteris, ut non faciliter secreta Dei dona revelent: quod etiam nostro D. Nicolao monimento fuisse puto. Denique Pater ipse Presbyter Bartholomæus plenus dierum cursum vitæ suæ sancto fine conclusit in prædicto Monasterio sancti Benedicti, cujus corpus in arca marmorea intra Ecclesiam positum est. De virtutibus hujus sancti viri extat sermo prolixus præfati Patris Theophili.

CAP. VIII.

Mittitur à Capitulo Generali ad S. Nicolaum de Buschetto.

ELapso itaque quatuor annorum tempore placuit Patribus mittere D. Nicolaum ad Monasterium S. Nicolai de Buschetto extra Januam, in quo loco per annos triginta quatuor commoratus est. Quantas autem virtutes, quantaque miracula ibidem gratia operante Divina operatus est, subsequens sermo declarabit. Erat hic vir Domini in disciplina præcipuus, & ita benè morigeratus, ut Deo dilectus esset, & hominibus: propter quod data est ei cura Novitiorum, & benè meritò; quia omnibus erat sanctitatis exemplum. Non sit, quæso, onerosum audire de mirabili reparatione cujusdam

jusdam desperati discipuli D. Nicolai, prout intellexi, ab uno antiquo illius monasterii S. Nicolai de Buschetto Monacho.

CAP. IX.

De reparatione cujusdam Adolescentis.

Adolescens quidam natione Lombardus captus pro certo crimine ingressus est in carcerem, & morti adjudicatus. Ille verò valde ægrè ferens sententiam mortis, in barathrum desperationis se tradens diabolum invocavit; & venit. Cui dixit: si me de hoc carcere liberaveris, tuus semper ero. Proh nefas! Christi nomē negat; baptismo renunciat, seque illi perpetuò mancipat. Tunc diabolus illico per fenestram infelicem illum extraxit. Et in secreto quodam loco latitans cogitare cœpit, quid fecerit. Et quoniam plerumque peccatum generat pœnitudinem, in se reversus, & tactus dolore cordis intrinsecò amarissimè flebat, & suspirans ajebat: heu me miserum! heu me perditum! quia Dominum meum negavi, ut mortem evaderem temporalem ad momentum; sed si repertus fuero, utramque mortem incurram. Quid igitur faciam, aut quo me vertam? O immensa Dei clementia, quæ neminem vult perire. Dum secum talia cogitaret, decrevit se divinæ Misericordiæ committere, ut si evadere potetit, vitam religiosam ageret. Resumptis ergò viribus secretò perrexit ad Monasterium jam dictum S. Nicolai de Buschetto: quod in magna sanctitatis (fama) jam erat, narravitque patribus rem per ordinem, prout evenerat. Denique flexis genibus totus gemebundus illos instantissimè deprecatur, ut animæ suæ misereantur, atque ad serviendum Deo ibi eum recipere dignatentur. Patres verò illi considerantes Dei pietatem cui nihil est impossibile, ac cordis contritionem adolescentis, ad probationem eum receperunt. Traditur demùm ad instruendum D. Nicolao, qui eum optimè ad benè sperandum de Dei misericordia, & ut oratione frequenter, ac compunctione, cæterisque virtutibus se exerceret, edocebat: quæ omnia ille auxiliante Domino devotus implebat.

Diabolus verò non ferens hanc in adolescente mutationem dexteræ excelsi, qui paulò antè jam de capta præda gaudebat, cœpit contra eum suæ nequitiæ bellum movere, die videlicèt, noctuque innumeris eum tentationibus perturbans. Quadam namque die, dum fratres ex more in pistrino pro conficiendo pane adessent, diabolus eum arripuit, & in ardentem clibanum projicere voluit. Sed Magister ejus D. Nicolaus, qui fortè tunc propè assistebat, subitò Jesum clamans periclitanti præsidio fuit. Cernentes fratres illi, quod ex frequentia callidi hostis, ac molestia quies fratrum turbabatur, consilio inter se habito, decreverunt notificare cauto modo factum istud Potestati illius civitatis, ex cujus fuerat custodia ereptus, qui erat vir satis Catholicus. Quod cùm ille audisset, primùm quidem vehementer obstupuit: deinde admonuit Patres, ut nihil timentes adolescentem adducerent. Vinctis ergo post terga sub chlamyde manibus ad Prætorem illum ducunt, ut Christum, quem in carcere negaverat confiteretur. Quod cum factum fuisset, Prætor ille valde ædificatus remansit de Patrum illorum prudentia. Sed & ille Novitius ab illa diaboli infestatione exitit liberatus, qui plures postea vixit annos, &, ut audivi, religiosè defunctus est.

CAP. X.

De perfectione discipuli.

Quoniam gloria Patris est Filius sapiens, non tacebo, quod audivi ex ore viri Dei Nicolai. Ajebat enim, quod D. Franciscus de Noris illius monasterii professus, & ejus discipulus, quamvis non esset multùm literatus, à principio tamen suæ conversionis ita se devotioni tradidit, ut in brevi monasticam apprehenderit perfectionem. In tanto enim charitatis fervore erat iste, ut omnia penè, aut ex magna parte Monasterii exercitia ipse perficeret: & cum tanto silentio, ac morum disciplina, ut in admiratione ab omnibus haberetur; & cùm talis esset, valde nihilominùs negligens in oculis suis videbatur. Nam in sero, cùm ex more ad Magistrum suum pro benedictione veniebat, se negligentem se inutilem accusabat. Curam etiam

A. etiam habebat Vestiariæ: & ex eo tempore consueverant omnes fratres, quando opus erat, ire ad suendum. Contigit autem, ut dùm quadam die essent fratres ibidem congregati, rumor ingens hominum in Prato subtus Monasterium resonaret; ex quo ferè omnes fratres subitò ad fenestram, quæ illuc respicit, currentes, iste solus remansit ad opus suum. Sed neque etiam oculos levavit ad intuendum, quid hoc esset, quod ipse D. Nicolaus Magister ejus non sine admiratione notavit.

B. Aliud quoque dictu mirabile de hoc Monacho mihi idem Pater retulit. Sæviebat pestis in civitate Januæ, quæ demum ad Monasterium usque pervenit, ibique cùm acriter grassata esset ita, ut nullus liber ab ista peste remanserit, septem denique fratres defuncti sunt. Accidit autem, ùt & ipse D. Franciscus peste percussus, ultima diei hora expiraverit. Cumque sequenti manè præpararentur exequiæ, magna omnium admiratione vivus apparuit, & advocans confessorem suum D. Nicolaum, dixit ei; Pater cum de corpore egressa fuisset anima mea, ductus sum ante tribunal Christi, & quia C. dubitavi aliquantulum, quod summus Pontifex concedere posset plenariam indulgentiam; quod non ex malitia, sed ex quadam mihi contingebat ignorantia; redarguit me Judex, volens, ut ad corpus redirem, & accepta per confessionem indulgentia plenaria liber postmodum cœlestem adirem Patriam. Quod idcirco fortè voluit Dominus innotescere, ut de cordibus dubitantium omnem auferret ambiguitatem. Nam asserebat in illa plenitudine sancta, quod absque ulla dubitatione summus Pontifex potestatem habet concedendi plenariam indulgentiam verè pænitentibus, & confessis, D. quemadmodum beato tradidit Petro Apostolo. Possumus etiam ex hoc animadvertere, quanta fuerit in ipso D. Francisco Sanctitas, à quo, ut ipse retulit, nil aliud fuit requisitum, nisi de hac dubitatione. Denique habita absolutione beata illa anima eidem horâ migravit ad Christum.

CAP. XI.

De Monacho à Dæmone vexato, & à viro Dei liberato,

PEr idem tempus quidam Monachus illius Monasterii occulto Dei judicio, ab immundo spiritu arreptus acriter vexabatur, ad quem frequenter ibat Prior Monasterii D. Alexander Tridentinus, secum portans Sanctorum reliquias; & liberari non poterat. Cùm ab ipso Priore pluries attentatum fuisset, & nihil proficeret, ecce Dei servus D Nicolaus charitatis zelo permotus accedit ad Priorem, & accepta licentia visitandi vexatum fratrem, observat tempus, & horam, quando cum illo nemo sit, & magna cum fiducia intrat ad eum. Tunc ille clamare cæpit: quid agere tecum habeo? Cur me persequeris? At servus Dei increpans eum præcepit, ut in nomine Domini nostri Jesu Christi exeat ab eo. Dæmon verò per os fratris ajebat: exire compellor; ultrà hic stare non valeo; sed de te me vindicabo, te persequar; tu videbis. Et his dictis continuò discessit ab eo, & frater ille liber remansit. Hoc ipse narravit mihi D. Nicolaus, dùm esset proximus morti, & hoc etiam audivi ab uno Monacho, qui eo tempore infirmus jacebat in thalamo proximè illi vexato; quod, antequam ad eum ivisset D. Nicolaus, ille fremens clamabat: quid agere habeo cum isto D. Nicolao? Vixit postea ille frater, qui fuit vexatus, multis annis, vidique eum decanum illius Monasterii, multumque exemplaris erat, atque devotus. Denique in Monasterio nostro S. Spiritûs Papiensis peste percussus migravit ad Christum.

CAP. XII.

Quanta sit virtus Agnus Dei benedicti.

NOn erit otiosum, ut referam, quod audivi à prædicto fratre. Dicebat autem, quia dum infirmaretur, nocte quadam ad eum venerunt duo maligni spiritus quorum unus ajebat alteri: percute eum; alter verò respondit: non queo, quia propè habet

habet Agnus Dei benedictum. Quæ il- A le audiens intrepidus ostendit manum, & vestimentum, ubi appensum habebat Agnus Dei, quem magis sibi appropinquavit, ut fortior esset. Hæc ille.

CAP. XIII.

Quomodo Diabolus voluit eum tentare, sed Angeli protinus fuerunt in auxilium ejus missi.

POst liberationem supradicti Dæmoniaci diabolus bonorum operum invidus non destitit per multos fraudis suæ laqueos adversùs virum Dei diversimodè in- B sidias tendere, diu noctuque eum inquietans, plerumque non sinens eum dormire. At ille de his minimè curans orabat ad Dominum: si consistant adversum me castra, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Sed dum adversarius homo Dei famulum conatur deprimere, atque extinquere, eum magis effecit gloriosum, atque fortiorem, quemadmodum beato Job, & Apostolo Paulo, & beato Antonio legimus contigisse, & multis aliis Sanctis. Demum non ferens callidus hostis, C quod vir tam sanctus viveret super terram, eum moliebatur occidere. Igitur dum una dierum iste beatus esset in Capitulo cum reliquis fratribus ad lectionem, quæ ex more ante completorium legitur, ecce diabolus invisibiliter veniens virum Dei nimia cum velocitate extraxit de capitulo cæteris minimè perpendentibus, imò putantibus aliqua urgeri necessitate corporali. Deinde eum portat in dormitorium, ut ex altissima fenestra eum præcipitaret. Mira dicturus sum. Tum D protinus in ipso dormitorio apparuerunt duo chori Angelorum cantantium: Nicolae oramus pro te, quo viso diabolus illico eum reliquit. Interim completorium cantabatur, & iste tam pulchra delectabatur visione, suavissimo cœlesti cibo animam inebrians sitibundam.

Accidit tunc, ut unus fratrum è choro recedens, & per dormitorium transitum faciens vidit hominem Dei ibi in faciem suam procumbentem. Tremefactus verebatur, ne sinistri aliquid illi evenisset, & concito gradu hoc cuidam discipulo suo, qui erat in choro, nuntiare curavit. Qui statim veniens reperit eum ad cellam suam euntem, & spirituali quadam repletum lætitia, dixit ei: quid vobis Pater accidit, quia prostratus eratis in dormitorii pavimento, & etiam paulò ante tam festinè ex capitulo recessistis, aliquidne patimini? At vir Dei nil aperiens ex his, quæ sibi contigerant, vade, inquit, fili, quia benè mihi est, & ora pro me. Hanc visionem celatam tenuit usque ad transitum suum, quando videlicet hæc, & alia sua facta reseravit. Memini namque, quando hæc mihi narrabat, illum plurimùm exultasse, sæpiusque ingeminans dicebat; ô quam pulchri erant Angeli illi! ô quantum gaudium sensi, quando voces illas audivi: Nicolae oramus pro te: Videbatur tunc ei, quando mecum loquebatur, profectò videre, quos viderat. O felix anima tantis irrorata spiritualibus donis! ô beatum virum, de quo non immeritò dici potest, quod de sancto Patre nostro scribitur: quòd in terris positus, in cœlestibus habitabat.

CAP. XIV.

Qualiter se habebat in officio Prioratûs.

Circà annum Domini MCCCCXXVII. à Patribus in Priorem dicti Monasterii S. Nicolai de Buschetto electus fuit, quo tempore ille ad religionem me suscepit. Processu verò temporis cùm ejusdem Monasterii immeritus Prior essem, ego eum tradidi sepulturæ euntem ad gaudia Paradisi. Ecce dum hæc scribo, & hujus Patris erga me charitatem reminiscor (nam me indignum & non merentem unicè diligebat) erumpunt ex pectore gemitus, & lachrymis imperare non valeo. Heû me infelicem! Me miserum, qui talem ac tantum habui præceptorem, cujus nec vestigia, nec monita secutus sum! Propterea peccatorum sarcina molesta prægravante, me adversa multa premunt. O mi dulcissime Pater, quàm mihi nunc utilis ac necessarius esses! spes tamen illa postremò superest mihi, ut ejus precibus merear misericordiam invenire. Igitur ægrè ferebar, susceptum Prioratûs onus, se ineptum, se ad regendas animas insufficientem existimans. Et hoc quia de se humiliter sentiebat, &

etiam cùm esset divinæ intentus contemplationi verebatur, ne interior homo à sua distraheretur quiete. Timebat etiam, ne hujusmodi prælatio ei fomes esset, aut elationis occasio. Injunctum nihilominus sibi ex obedientia officium egregiè perficiebat, cum multa pace, & observantia bona, ac omnium ædificatione; sicut ipsi vidimus. Erat enim solicitè vigilans super gregem sibi comissum, magna cum discretione, & tranquillitate cuncta disponens, suo magis fratres bono exemplo edocens, quàm verbis, quamquàm, sicut experti sumus, gratia doctrinæ fulgeret. Bibliam namque tanto studio legerat, ut ex ea ferè omnes proferre memoriter sententias sciret. Libros verò devotos, qui ad compunctionem, & ad amorem Christi incitare possunt ab exordio suæ conversationis accuratiùs semper legit, & ita discipulos suos facere admonebat, ajebatque: Monachus devotus, ac fervens omnia æquanimiter portat, dicens cum propheta: paratum cor meum Deus, paratum cor meum, Ac si diceret paratum ad adversa, paratum ad prospera; si vis Pastorem, si vis Regem; paratum cor meum.

Illud etiam dicti beati Gregorii, sæpiùs memorabat: conscientia servi Dei semper debet esse tristis, & humilis, ut per humilitatem non superbiat, & per utilem mærorem cor ad lasciviam non dissolvat. His & aliis spiritualibus pabulis oves sibi creditas pascebat, super eas pia gestans viscera, & ineffabili omnes charitate complectens. Inerat huic beato viro ineffabilis gratia consolandi afflictos. Etenim multi mecum cognoverunt, quæ dico, quia nemo tam tristis, tam desolatus accedebat ad eum, qui non continuò ejus dulci doctrina consolatus, sentiret cor suum lenitum; & ab omni prorsus mæstitia liberatum. Sed & Apostoli monita sequens cum infirmo infirmabatur, ut infirmo valeret præstare medelam. In adventu hospitum, & maximè religiosorum affabilem se, ac humanissimum exhibebat, & quamvis eo tempore monasterium illud tenues valde haberet reditus, nihil tamen deerat timentibus Deum. Namque abundare noverat, & penuriam pati, flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus; in omnibus semper religionis honestate servata & gravitate, adeo ut non potuisset eum de nimio rigore, aut nimia relaxatione culpare. Quædam etiam serenitas ejus relucebat in facie, quæ hunc verum DEI servum ostendebat.

CAP. XV.

Quomodo à Deo precibus obtinuit modo mirabili absolvi à Prioratûs officio.

Dicto, quàm religiosè se habuerit in Prioratûs officio, nunc succinctè videamus, quomodo ab ipso Prioratu absolvi orationibus impetraverit. Optabat vir Dei ex magna cordis humilitate, ut eum Patres à Prælatione absolverent, magis ministrare desiderans, quàm ministrari, & obedire, quàm præcipere. Proinde annuatim tempore Capituli Generalis humilibus instabat precibus, ut huic voto suo annuere dignarentur. Patres verò scientes eum virum sanctum, & hujusmodi prælatione dignum, gratum illum inter Prælatos habebant. Cernens ergò vir Dei se fraudari desiderio suo, suamque nihil prævalere industriam, ad consueta arma cucurrit, Deum scilicet deprecans, ut, si suæ non est contrarium Majestati, Patrum mentes convertat, quatenus ei exorabiles sint. Ad quod obtinendum se devotè commendavit beatæ Ursulæ, sociabusque ejus (etenim omnes sacras virgines in magna habebat veneratione) ad quarum honorem dixit undecies mille Pater noster, & totidem Ave Maria, fiduciam habens in Domino, ut, quod ipse à Patribus obtinere non poterat, meritis sacrarum Virginum imperraret, sicut & factum est.

Tempore igitur suo cùm ad capitulum generale, quod tunc temporis celebrandum erat Florentiis, iturus esset, navem conscendit, ut Pisas peteret. Sed nutu Dei ingens maris tempestas orta est adeo, ut Januæ portum navis redire cogeretur. Intelligens vir Dei ulteriùs non esse tentandum, revertitur ad suum monasterium Buschetti. Cùm verò Patres capituli ad provisionem monasterii Buschetti pervenissent, omnes uno voto, unoque consensu D. Nicolaum dignum Prioratu asserebant, sed cùm ad electionem veniebant,

bant, non absque grandi admiratione A. mente mutabantur, & alligabantur. Hoc dum pluries attentassent (mira res est atque stupenda) quamquam ad invicem conferentes eodem essent proposito, in ipsa tamen electione, quo pacto nescientes: alium proponebant. Ignorabant, quoniam Deus servi sui causam agebat, nec non quòd sacræ Virgines intercedebant pro suo devoto. Altero igitur die electo Priore ipse Dei servus in eodem Monasterio remansit Decanus usque ad obitum suum.

Cum autem (ut moris est) venissent B. visitatores ad dictum monasterium, unus eorum, qui fuerat definitor advocans D. Nicolaum ait ei: quid est Pater, quod in isto elapso capitulo cupientes vos in Prioratu eligere, nescio, qualiter evenerit? quid egistis? Ille paululum subridens: cognoscite, inquit, Patres, hanc esse Domini voluntatem. Nihil tamen, quomodo egerit, aperuit ei. Et ego hoc ipsum ex ore ejus audivi, dum esset proximus morti, qua ex re notabile, ut mihi videtur, nobis reliquit humilitatis atque obedientiæ exemplum. Nam & humilitate indignum se reputabat, & immeritum Prioratûs officio; & ne inobedientiæ no- C. tam incurreret, quod à Patribus obtinere non potuit, oratione impetrare curavit. Non sic hodie non sic. Vixit, postquam absolutus fuit à Prioratu, annos ferme quindecim orationi, & sacris meditationibus vacans.

CAP. XVI.

Quomodo à tentatione liberatur auxilio S. Dorotheæ.

NOlo silentio præterire, quòd homo D. Dei quadam vice mihi narravit. Habebat, ut superiùs dixi, sacras virgines in magna veneratione, ac devotione, & præcipuè S. Dorotheam virginem & Martyrem, de qua quotidie specialem faciebat commemorationem, ac annuatim in die Natalis ejus die sexta Februarii Missam in honorem ipsius celebrabat. Accidit autem, ut Sathan ei quandoque tentationem quamdam incuteret importunam, videlicet ut de quodam suo iudicaret Prælato, cui etsi minimè consentiret, mentem nihilominus ejus inquietabat. Propter quod Deum exorabat assiduè, & sanctos. Et cùm nequaquam exaudiretur, cogitavit intra se, quòd non merebatur, à magnis sanctis exaudiri. Convertens se ad S. Dorotheam oravit, ut per ejus intercessionem ab illa mereretur tentatione liberari. Erat tunc in cella: oratione completa à diabolo protinùs ingenti strepitu facto super cancello ab illa molestia remansit totaliter liber.

CAP. XVII

De uno miraculo supradictæ sanctæ Dorotheæ.

MEritis etiam hujus sacræ Virginis, soror mea, nomine Maria, prægnans cum pariendi tempus advenisset, & per multos dies cruciata doloribus parere non valeret, dictum sibi fuit, ut beatæ se commendaret Dorotheæ; quo facto, antequam nuntius, qui pro obstetrice iverat, limen domûs pertransisset, illa peperit.

CAP. XVIII.

De obitu B. Nicolai.

INterea dum adhuc in terris corpore peregrinaretur, mente tamen in cœlestibus habitabat, & illa ineffabili dulcedine (quantum fas est mortalibus) pascebatur. Quis enim explicare sufficiat, quibus anhelabat ad cœlestia votis, quibus trahebatur suspiriis, quibusve ardebat desideriis, cupiens esse cum Christo, ut quem in terris oculis viderat, cerneret in sua majestate regnantem? Imminente denique tempore, quo beatus ipse ab hac luce subtrahi deberet, consummatis vitæ suæ diebus, annis videlicet circiter LXXVII. idque sancto sibi revelante Spiritu cognosceret; feria sexta Missa sua illa sancta devotione celebrata me duxit in cellam suam: & dum pariter sederemus, aliqua, inquit, vobis dicturus sum, quæ nemini unquam reseravi, sed quia appropinquavit finis vitæ meæ, pro Dei honore, & vestra consolatione statui nunc ea vobis nota facere, ad hoc me sancta exhortante scriptura: quæ ait: secretum Regis abscondere bonum est: magnalia autem Dei revelare mirificum est. Sed oro, nemini me vivente dicatis. Tunc nar-

rare cæpit, quando in S. Justina in exordio suæ conversionis magna fuit â Domino dulcedinis benedictione præventus, & demum in bonis actibus se exercens sibi apparuit Dominus, prout superius latiùs adnotavi, similiter & de alia visione habita in S. Georgio Majori, subsequenter de liberatione â dæmone, de Angelorum visione in dormitorio; de absolutione ab officio Prioratûs oratione obtentâ, & de reliquis quæ superiùs pleniùs explicavi.

Tunc cœpit infirmitate illa opprimi, B. quam medici pleuriticam vocant, & febri nihilominùs correptus, debilia membra quieti tradens, alia, inquit, vice altera reserabo. Sequenti verò die eum reperi ab illa ægritudine valde prægravatum, adeò ut vix posset verba depromere, ex quo ego mæstus effectus sum. Verebar enim, quod accidit, videlicet, ne ob nimiam ejus debilitatem privarer ejus promisso. Rogare tamen eum cæpi, ut, quæ hesterno die recitare spoponderat, perficere vellet. At ille, ut poterat: eu, ait, deficio, loqui ultrà non queo, parcite mihi, hoc unum scitote, quòd innume- C. rabiles visiones in cella habui. Quod audiens vehementi cæpi mærore affici, quòd ex tantis visionibus vel unam audire non meruerim. Sed quia Dei nutu cuncta disponuntur, consideravi postmodum, quòd ideo fortè non fuit nobis permissum visiones illas audire, ne illarum imitatores esse cuperemus, potiùs autem viam regiam sequentes, humilitatem videlicèt, obedientiam, patientiam, charitatem, quibus vir Dei præditus erat. Præstolabar nihilominùs, si eum respirare viderem, cupidus ab eo audire aliqua Dei dona. Demum paululùm aperiens ocu- D. los, cùm eum, ut loqueretur, exorarem, hoc tantùm submissâ voce respondit: dtem hominis nunquam desideravi, quo dicto eum ulteriùs loquentem non audivi. Hinc animadvertite, quæso, quantæ perfectionis fuit vir iste beatus, ut dictum istud Hieremiæ Prophetæ sibi potuerit applicare. Quid enim his verbis aliud dixisse videtur, nisi quod prospera sæculi hujus nunquam desideravit, vel quia in hoc mundo non appetiit aliquid delectabile, aut quod carnem demulceat, minimè concupivi, vel quia mihi mundus crucifixus est, & ego mundo? ô per omnia laudabilem virum, qui & vivens & A. moriens tanta nobis reliquit sanctitatis, & perfectionis exempla! Hinc te obsecramus dilectissime Pater memento nostri nunc, quum benè tibi est, ut suggeras de nobis æterno Regi, quòd concessâ veniâ peccatorum per humilitatis, & obedientiæ viam incedentes ad portum salutis se deprecante securi pervenire mereamur.

Tertia denique sequenti feria sanctissima illa anima omnibus adornata virtutibus, supernorum civium agminibus sociata migravit ad Christum, sepultus in medio Ecclesiæ S. Nicolai de Buschetto extra civitatem Januæ Anno salutis MCDLVI. die vigesima tertia Februarii. Paucis inde elapsis diebus Matronæ quædam ex Janua ad dictam Ecclesiam venientes, & juxta locum, ubi vir Dei humatus est, in oratione procumbentes, ignorantes tamen illius obitum, quandam ibi senserunt odoris fragrantiam, & inde exurgentes mutuò loquebantur (me audiente, qui tunc in Ecclesia aderam) ô quantus violarum odor in loco isto!

CAP. XIX.

De miraculis factis post obitum B. Nicolai.

Jam verò quis dignè narrare sufficiat, quanta omnipotens Deus post obitum servi sui D. Nicolai miracula ostendere dignatus est in curandis ægritudinibus? Pauca enim de multis, quæ ipse Deo teste cognovi pro Dei honore, & proximorum ædificatione veraciter explicabo.

CAP. XX.

De Muliere ab ægritudine liberata.

Non longè ab ipso monasterio Buschetti mulier quædam jacebat ægra in lectulo, & manibus nihilominus laborabat. Ad hanc cum misisset Vestiarius Monasterii tunicam beati viri, quam mihi aptari cupiebam (nam ille statura magnus erat) quamque pro devotione tanti viri portare qnandoque decreveram. Mulier illa (licèt servi Dei nondum fuissent ei mirabilia nota, vicini tamen illum in virum sanctum semper haberent) apprehensa magna cum devotione tunica illa,

illa, se in ea revolvens ait: O vir sanctæ A.
D. Nicolae credo, te ad cælestem Patriam conscendisse, adjuva me, te deprecor, in hac infirmitate constitutam. Mira res! dictis his verbis Mulier illa sana surrexit. Quod factum habitatores illius vici audientes plurimùm admirati sunt. Sed & ipsa mulier eodem die ad monasterium veniens Deo, ac Beatæ Virgini pro recepto beneficio gratias retulit. Cumque me tunicam illam induissem, & Florentiam ad capitulum generale perexissem, rogatus à Monachus Abbatiæ illius, B
ibi eam dimisi.

CAP. XXI.

De puerò illuminato.

Accidit non multò post, quòd filius Sororis meæ ex quodam humore capitis uno oculo cœcus factus est, ipsoque humore crescente alterum indubitanter amissurus. Ex quo mater pueri, cùm plurimùm mœsta esset, ad eam consolandam accessi, & inter loquendum Monachus, qui mecum aderat, mihi dixit apud se habere unum ex dentibus viri Dei, quem, dum viveret, barbitonsor extra- C.
xerat, illum colligens reservavit. Accipiensergo illum tetigi oculos pueri: deinde ad collum ejus eum appendens recessi. Sequenti verò manè redii, ut dentem acciperem. Veritatem dico, & non mentior; inveni puerum ambos oculos lucidos, & immaculatos habentem, ac si nunquam mali aliquid perpessus fuisset. Exinde virtus beati viri cæpit divulgari, pervenitque hæc fama ad notitiam Monialium S. Mariæ de Gratia, inter quas erat dictæ Sororis filia: & quia ipsius Mo- D.
nasterii Priorissa infirmabatur, ei contigit miraculum, quod sequitur relatione dignum.

CAP. XXII.

De Moniali à Fluxu Sanguinis liberata.

Priorissa Monasterii S. Mariæ de Gratia, quæ est sub cura Canonicorum Regularium, annis quatuordecim fluxum sanguinis passa fuerat, nullaque potuerat arte medicorum curari, audito miraculo supradicti Pueri illuminati, misit ad monasterium nostrum rogans, ut ex pannis B. Viri aliquid sibi pro devotione mitteremus, cui ex tunicæ extremitate, de qua supra mentionem feci, modicum misi, quo accepto, cum magno Dei fervore se in oratione prostravit, & ut mihi retulit, his verbis usa est: Domine JESU Christe, si vera sunt, quæ de hoc tuo servo D. Nicolao dicuntur, per ejus merita, & intercessionem, te deprecor, ut ab infirmitate hac me liberare digneris. Miranda res, & Apostolorum adscribenda temporibus! Oratione completa statim restituta est sanitati. Quod factum sicut mirabile, ita nec fuit occultum.

CAP. XXIII.

Alienatus penitùs à sensu suo ad pristinum reparatur intellectum.

Aliud per idem ferè tempus contigit mirabile dictu. Quidam vir Nobilis de Domo Italiana, Nicolaus nomine, dives mercator, cum esset in partibus Orientalibus in civitate Chii, dictum ei fuit, quòd navis germani sui, in qua bonâm partem habebat substantiæ suæ, casu combusta erat, quod verum non erat. Quo ille audito tanto fuit mærore percussus, quòd Dei judicio infatuatus est, & ita alienatus à sensu, ut quamvis ad eum venisset frater ejus, cuius erat navis, dixissetque nihil adversi contigisse, minimè eum cognosceret. Hoc tantum ei versabatur in ore: Heu quia destructus sum, ad ultimam deveni calamitatem; ibo ad hospitale! Denique cum dicta navi eum sic mente captum Januam conducerunt, sperantes aliqua posse medicorum cura juvari. Cumque ad propria pervenissent, ducunt eum in domum suam, ubi aderant uxor & filii, quos tamen nequaquam cognovit.

Adhibita proinde est omnis illius civitatis industria medicorum. Quin etiam, ad vicinas provincias pro peritis mittunt, medicis. Sed incassum laborant omnes, quia Dominus banc reservabat victoriam servo suo Nicolao. Triennio sic alienatùs permansit adeò viribus destitutus, ut pro majori parte lecto decumberet. Adibant ad eum multi religiosi, ut ad confessionem illum adducerent: sed frustrà nitebantur, quia non erat rationis capax:

ad

ad quem viſitandum ego plerumque acceſſi, quia mihi notiſſimus fuerat. Et demum tantæ calamitati compaſſus, cernens quod humana induſtria nihil proficiebat, confiſus de Domini bonitate, ac meritis beati viri Nicolai, cujus biretum apud me habebam, tradidi illud uxori ipſius, ut ſuper caput ejus poneret. Quod cùm feciſſet (ô mirabilis Deus, ô magna clementia noſtri Salvatoris!) illico accepto in capite bireto è lecto conſurgens in thalami pavimento flexis genibus ſe ponit, ibique ubertim flebat, gratias Deo referens, quia videbat ſe in ſenſu priſtino reſtitutum. Flebant & ſui omnes, & pro admiratione miraculi, & pro lætitia viro reſtitutæ ſanitatis. Vidimus eum poſtmodum ita benè ſenſatum, ut ad digniora Reipublicæ officia promoveretur.

Audivi à quodam fide digno, quòd, dum coram Antianis quamdam ſuam litem prudentiſſimè defenderet, adverſarius ejus ſtomachatus, quia ſuis confundebatur rationibus, maledictus, inquit, ſit, qui biretum tibi illud in capite poſuit.

CAP. XXIV.

De Muliere ex gravi infirmitate curata.

IN vico, qui dicitur S. Petrus de Arena, vidua quædam ex gravi infirmitate fuerat penè à medicis deſperata. Auditâ fama miraculorum B. viri, avidè cupiebat habere aliquid ex his, quæ fuerant hominis Dei, fidem habens, quòd ex eorum tactu ſanaretur. Cumque nihil habere potuiſſet (nam hoc idem ob varias infirmitates multi poſtulabant) ad orationem converſa dixit: O beate Nicolae, ex quo de veſtimentis tuis aliquid habere non poſſum; ſcio, quia in Paradiſo conſtitutus es, melius me juvare vales; ſuccurre, quæſo, mihi in hac neceſſitate poſitæ. Nocte verò ſequenti dum dormiret, videbatur ſibi quemdam videre monachum dicentem ſibi: Vis ſana fieri? quæ reſpondit: O utinam! Inquit ille: fides tua te ſanam fecit. Manè facto Mulier ſurrexit incolumis. Quod factum, cùm à multis intellexiſſem, nihilominus tranſiens ego

A. poſtmodum per vicum illum, hoc ipſum ex ore ejus audivi.

CAP. XXV.

De puero ex gravi febre in extremis laborante.

PUer quidam de nobili domo Auria vicinus dicto Monaſterio acerrimâ vexabatur febri, cujus mater nimiùm mærens, eò maximè quia Pater ejus Johan-

B. nes nomine, abſens erat, ſatagebat, quibus poterat modis, ne deficeret. At invaleſcente febre, cùm ſpes modica eſſet de ſalute pueri, ut breviter dicamus, ad tactum panni, quem vir Dei geſtabat in pectore, puer incolumis effectus eſt: in cujus miraculi argumentum ſequenti manè cereum magnum ad eccleſiam jam dictam miſerunt.

CAP. XXVI.

C. *Quidam Nobilis ad tactum bireti B. viri à quartana liberatur, & ſpiritu quoque convaluit.*

SI vellem cuncta narrare, quæ Deus per ſervum ſuum Nicolaum mira oſtendere dignatus eſt, prolixior nimis eſſem. Nam profectò plura ſunt, quæ in Janueſi regione demonſtrata cognoſcuntur, ac etiam alibi, quæ brevitatis gratiâ omitto. Verùm tacere non debeo, quod unus ex Patribus mi-

D. hi retulit, qui in dicti Monaſterii Prioratu mihi ſucceſſit, cuique pro ſui integritate compellor credere. Narrabat dictus Pater, quòd quidam Nobilis de domo Catbanea, Chriſtianus nomine, ex partibus Orientalibus Januam rediens, febre quartana ex multo tempore laborabat, nec ullo valebat medicamine liberari: cui aït ſoror ejus: his præteritis annis in Monaſterio Buſchetti defunctus eſt unus Monachus, cujus veſtimenta cùm ponuntur ſuper infirmos, curantur plurimi. Iſte verò, quia talia non credebat, ejus non acquievit dictis. Sed

quia

quia plerumque vexatio dat intellectum A.
auditui, cernens hic, quod hæc sua febris trahebatur in longum, eumque tempore paroxismi vehementissimè conquassabat, sororis voluit suasionibus acquiescere, & ut virtutem hominis Dei experiretur, biretum ejus ea tantùm hora sibi voluit exhiberi, quando tam acritet vexabatur. Quod cum factum fuisset, repentè fuit à febre dimissus, & totus tranquillus effectus, neque distulit ad Monasterium accedere, & accersito Priore, B.
rem gestam ei aperuit, petivitque, ut B. Nicolai Missa sibi diceretur: quo respondente non posse fieri, eò quòd nondum esset ab Ecclesia canonizatus: & ego, inquit ille, credo, quòd sit sanctus, sicut canonizari, quia sanum me fecit, & corpore & spiritu.

CAP. XXVII.

De Hydropico, & Muto Veronæ liberato.

NOn est silentio prætereundum, quod me commorante Veronæ contigit. Quidam ex Parochia S. Nazarii admodum pauper habebat filium annorum circiter quindecim hydropicum, qui multo tempore in lecto jacuerat. Pro quo curando illud modicum, quod habebat, expóstuerat, & ad cumulum suæ calamitatis infirmus ipse, jam duo fluxerant menses, quod loquendi usum amiserat. Quadam igitur die cùm pater de hac sua ipsa miseria conferret cum ostiario Monasterii, ait illi: Audivi ab Abbate nostro de quodam sancto viro nostræ congregationis, quòd multa miracula fecerit, cujus biretum D.
apud se tenet: bonum est, ut cum eo loquaris. Quid plura superflua prædicamus? Positum fuit biretum super caput pueri, qui illinc ad duos dies ad Ecclesiam veniens, dum essemus in choro ad horam Primam Die Dominico, me fixis oculis aspiciebat. Hæsitabam ego autem, an esset ille, quem videram? Et eum ad me vocans, subitò me præveniens, benè sum, inquit ille, quem pridie visitâstis: en gratia Dei sanus factus sum! tunc Deo gratias egi, quòd servum suum Nicolaum sic mirificavit.

CAP. XXVIII.

De Monacho à doloribus liberato ad tactum Bireti.

QUid verò memorem de eo, quod accidit in Monasterio S. Felicis extra Vincentiam? Erat ibi D. Benedictus Veronensis in lecto jacens, qui per omnia corporis membra immoderatis affligebatur doloribus, adeò ùt se movere non posset. Quadam die cùm acrioribus doloribus opprimeretur, ibique adessem, ajebat mihi: tam vehementer me comprimunt, atque excruciant isti dolores, quòd nisi mihi citò subveniatur, deficiam. Ingens tunc de cœlo pluvia descendebat, ita, ut extra exire nemo potuisset. Erat res compassione digna, videre afflictum hominem, nec præstare posse subsidium. Ex quo, ajo, nunc sumus humano auxilio destituti, si ad Deum cum devotione recurramus, potens est per merita servi sui Nicolai subvenire tibi. Suscepto itaque C.
pso bireto in capite, illico exiit à doloribus liber, & membra cæperunt officium suum exercere. Adhuc superest Monachus ille, qui magna cum devotione hoc consuevit referre miraculum, & pro accepto beneficio quotidie (ut mihi retulit) commemorationem facit de B. Nicolao.

CAP. XXIX.

De Matrona ab ingenti capitis dolore liberata.

PRocessu temporis cùm essem Gajetæ, Uxor Castellani illius civitatis, nobilis Matrona, ac servorum Dei devotissima, & præsertim illius nostri Monasterii S. Angeli, dum nimio capitis dolore cruciaretur, nec ullâ posset Medicorum curâ dolor ille mitigari, ad dictum monasterium misit rogans, ut eam in tantâ afflictione constitutam visitare vellem. At quia advesperascebat, respondi nuntio, ut me illi excusatum faceret. Sed illa excusationem non admittens, alium destinavit nuntium, qui asserebat illam tanto capitis dolore vexari, ut se nocte illa crederet

deret esse morituram, & propterea ut adirem, iterum deprecabatur. Ego qui statueram propter loci distantiam serò illo extra Monasterium non egredi, & cupiens vel ex parte eam consolari, accersito Fratre Luca commisso, bonæ conditionis Religioso, ei tradidi biretum S. Nicolai dicens: perge ad castellum cum nuntio isto, & postquam me illi Dominæ excusaveris, ei dimitte biretum dicens, ut illud sibi in capite ponat, & quod sequenti mane eam visitabo. Ad quam cùm ivissem, læta me fronte suscipiens ajebat: scito Pater, quia quamprimùm Biretum hoc mihi in capite posui, omnis subitò dolor abscessit. Gloria, laus, & honor tibi sit Christe Redemptor, qui omnia quæcunque vis, facis in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.

Ecce mi Pater observande, ut tuæ Paternitati morem gererem, tuoque desiderio facerem satis, & ego quoque meum persolverem debitum, quæ de B. vestro A. Nicolao cognovi, sicut pollicitus fueram, & prout potui, & scivi, veraciter descripsi; quamquam, ùt præfatus sum, omiserim plura, ne prolixior essem. Hæc ergo pauca de multis dicta sufficiant, ut legentes intelligant, quantæ sanctitatis fuerit vir iste beatus, dum viveret, & Dominus etiam post mortem dignatus est miraculis evidentissimis ejus sanctitatem comprobare. Neque enim putet aliquis me ob viri amorem aliquid hic scripsisse, quod careat veritate; cum non ignorem, quòd os, quod mentitur, occidit animam. Sed neque vir sanctus opus habet meo mendacio, nec falso eget honore. Tantùm studiosè curemus, ejus sacra vestigia sequi, ut Deo adjuvante ad ejus mereamur pervenire consortium, cui est gloria, laus & imperium in sæcula sæculorum.

Amen.

ANO.

ANONYMI
EPISTOLA HISTORICA DE EVENTIBUS, ET REBUS PER EUROPAM GESTIS
ANNO DOMINI MCCCCLVI.

Eruta ex Cod. MS. Inclytæ Carthusiæ Gemnicensis in Austria à Ven. D. P. Leopoldo Wydemann, ejusdem loci Presbytero, & Bibliothecario.

ANONYMI EPISTOLA HISTORICA DE EVENTIBUS, ET REBUS PER EUROPAM GESTIS ANNO DOMINI MCCCCLVI. SCRIPTA AD HEINRICUM DE ECKENFELDT, UT VIDETUR, CARTHUSIANUM GEMNICENSEM IN AUSTRIA.

IN Chriſto JESU omnium A. miſeratore, Frater & Amice dilecte. Longa abierunt tempora, quo ad te de admirandis currentis hujus anni rebus, tanquàm ad virum contemplationi divinæ vacantem, ſcribere ſtatueram: hac permotus ratione; ut, dum tanquam mundialem, curis temporalibus & tempeſtatibus his immerſum me noſſes, tu quaſi dormiens à ſoporis excitatus dulcedine, ad Deum etiam pro me ſupplicares. Sed revera ultra quàm volui, & contra deſideria ex multis continuo negotiis, quæ ex arce metropolitica B. & republica, cui præſum, ſurgunt, ad id usque in præſens faciendum retardatus & retractus ſum. Nuncque vix pauliſper reſpirans manu currenti ſaltem nil ad te ſcribere nolui.

Audi igitur, quid his in rebus menti inſideat, aut quo ducar miro. Cœli plagas quatuor revolvi, & illas per annum hunc ſentio non niſi mœrore plenas. In orbe nil penitus, me judice, cernitur: quod turbatione aut quiete inſolita non moveatur Ad ſublevantem enim, id eſt, orientem in exordio primùm cogitatus tollens, in capite anni præſagus ille mihi occurr[illegible] Cometa: qui nedum mihi, ſed & aliis multis (dum circa proximum Joannis Baptiſtæ feſtum, ſereniſſimi Domini Impeuatoris me curia in nova civitate teneret) in ſignis vernalibus apparuit. Certiſſimè res nova fuit, non communis, ſed rara. A ſtrato ſæpiùs hora matutinali tunc abſceſſi; in tenebris aliquando noctis cum gentibus ivi, interdum etiam armatis. Tanta novitas æſtimata fu[illegible] ut nemo eſſet, quin ſurgeret ad id videndum portentum; per totius civitatis angulos, per vicos & per mœnia pariter & plateas coacervatim homines ſtabant. Unaquæque turba cometam illum aliquorum præſagum eſſe dicebat. Tandem autem in hoc ſolo una cunctorum conformis erat ſententia: quod ipſius Cometæ cauda Hungariam atque Sclavoniam ſignaret, futuraque malà aliqua in his finibus fore ventura.

Ego dum in dicta Domini Cæſaris civitate ſtarem, & hæc intuitus, eſſem demiratus: tunc intrò apud me ſilui, & dixi mecum: Quid hi ſibi volunt ſermones? aut quid ex his futurus tandem conflabit eventus? Verùm paucis lapſis tunc diebus, & necdum Cometa diſparuerat, quotidianas Reverendiſſimi Patris Domini Cardinalis Legati literas (ab qui Apoſtolica ſede ad Hungariam miſſus fuerat; & in quibus contra tyrannum; turcarum Imperatorem, auxilium expetiit) vidi, & perſenſi. Sed dum nulli, aut pauciſſimi, tunc Catholicæ ſubvenirent fidei, auctor conditionis Chriſtianæ fidem ſuam, prout plasmati ſuo debitor fuit, perire aut deficere noluit: C. ſicut nec deficere poterit in æternum.

Cum paucis igitur cruce ſignatis in Nauder albam adveniens apparatus, ſine omni Chriſtiani exercitus Capitaneo, ſine omni dato ſignorum ordine, ſine formatis aciebus & armorum clangoribus, turci armatas naves, & ipſius gentes, belo & victoria glorioſa, diſperſit, concuſſit, & contrivit: ipſumque turcam, vulnerilus con-

confusum, abscedere compulit, & A. fugavit.

Credere securè poteris, quod eo amore, quô fides, quam verbis profitemur, apud nos colitur: si ejusdem fidei nostræ dator sua potentia & miseratione, turci sagittas & arma à mœnibus non pepulisset: omnis nunc nostra patria ab ejus tyrannide sopita esset atque destructa. Sed quid multa? Deo auspice, cui perennis sit laus in excelsis, data est contra fidei infidum victoria; in fugam conversus est Christianæ religionis persecutor. Quo facto, resonuit otiùs illa fidelium habita pugna ad aulas principum, ad castra nobilium, ad domos, tuguria, & casas om- B. nium.

Sed rogo te, mi Heinrice, ut per conscientiæ tuæ edicas scrupulum; si ab aliquo major, usque in præsens, sit suscepta de male actis pœnitentia? Si Deus ex post de alicujus assumpta placatus sit devotione? Aut si non major, omnis indies creverit, crescatque hominum malitia? Non est in orbe status Ecclesiasticus, neque gladii potestas; quæ non peccatum quotidie suo superaggreget peccato. Etsi Deum pro omnibus nobis suo adjutorio pugnâsse sensimus, nullos tamen edicendæ expeditionis apparatus ex post contra Turcam ab hoc prædarari videmus. C.

Deus ergo noster à sæculo, nostram intuens negligentiam, humanæque conditionis & anni præsentis malitiam præsciens, religiosum illum fratrem Joannem de Capistrano, multo divino dogmate ignitaque semper devotione præclarum, post multos in fide labores, postque vitam Christianæ congregationis victoriam ab hujus seculi medio ad cœlorum rapuit, ut piè creditur, suprema. O quantis in orbe frater ille sæpè clamavit vocibus! O quan- D. tis, ut in Deum iremus, conabatur excitare homines suis sermonibus! sed vi sui verbi facer non tanta facere potuit, quanta voluit & cupivit. Abiit ergo longè, & procul à nobis usque ad superos; ne mala ejus mortem secuta, & in quibus tanquam inter tempestates & procellas navigamus, videret in diebus suis super terram.

Sed quid ago? Fratrem illum in sancta sua sepultum dimittam requie, quoniam multa adhuc ad te hujus anni mihi dicenda portenta supersunt. Dicam de homine illo armato, magnifico Joanne de Hunyad Comite Bistriciensi, Regni Hungariæ Gubernatore. Quantis, credis, ille suis diebus fulserit victoriis? Quantis contra infideles concertaverit bellis? Dispositio enim & campestria contra Saracenos & Asianos quo modo firmanda erant, ipso melius nemo scivit. Terror erat infidelium. Italia & Asia plus in hoc tibi testimonium sunt, quàm ædes nostræ. Rapuit etiam eum hoc anno ab humanis nostris obtutibus ipsa mors atrox, ivitque sepultus in terram alienam.

Sed nondum lacrymæ ab oculis eum lugentium absceserant; quinimo adhuc oculi quasi humentes erant: illustris ille Ciliæ Comes Ulricus in Nauder alba, in terra peregrina flebiliter hoc anno multis vulneribus occisus est. O mi frater, quis eidem Principi futuris non compatietur temporibus? Princeps magnanimus & potens fuit, plena in ædibus suis abundantia. Omitto conditiones, si quis eum exprobraverit. Hoc dico; relictis post tergum omnibus, conspicientibus oculis meis, ad Hunnos navigio descendit: scio, id fecit propter succursum fieri; & innocentem Ladislaum fecit Regem; sua dimisit palatia, opes & homines & comitatus. Unicum est: Regem reduxit Ladislaum in regnum suum, quod Rege suo per longum tempus fuit orbatum: Quod eum habere diutius desideravit. Regni igitur desiderio ut satisfaceret, se ipsum aquis contulit, & Regem in suum locavit regnum. Sed neque in medium solùm, sed & usque ad finitimos regni angulos ipsum tulit. Stetit intrepidus secum in regno; abire pro salute potuisset; sed à Regis latere nobilem Principem tale facere, id non decuit. Stetit igitur, & usque ad fusum sanguinem per multa vulnera in mortem mansit. Sed omitto, ulteriorique id transeo silentio, tanquam nulli incognitum.

Aliud tibi dicam hujus anni prodigium. Sed nunquid cruce signatos præteribo, & in eis non demirabor? Nequaquam. Audi. Vidisti aliàs, dum tecum colloqui cepissem, me demiratum: quod homines simplices, inarmati, pauperes, & rebus bellicis carentes, atque inexperti, ita advolarent, ita abirent per navigia. Nunc

autem admiratione ducor majori, tantum potuisse in hac re sacra incidere infortunium, tantam in finibus, in quibus fidei defensio uti eis debebat, obrepsisse segnitiem; ut absque fructu, absque utilitate, & cum solo dispendio, invisis etiam crucis hostibus, redierint ad propria. Hoc dico, præter eos, quos parvus non claudit numerus, & mors intempestiva in partibus illis à reditu absolvit: & illos & istos, quos aëris alteratio etiam in reditu propria contingere, & vivere non permisit.

Sed quid in latum progredior? dimittam homines istos plebejos, quibus pericula non rara sunt. Vadam, & deinde sub silentio de obitu Magnifici viri, Domini Heinrici de Rosis, Baronis Christianissimi (etsi etiam mors cum multa sua clientela ipsum absumpserit) nihil tamen dicam: ne verborum longitudine te provocem in tædium.

Reducam mirandum id tibi ad memoriam. Ladislaus de Hunyad, olim Gubernatoris filius, postquam vota regia omnisque regni potestas in ejus fuerant manibus, proximis diebus tam judicio, quàm jure, ùt ajunt qui præsentes fuerunt, convictus, & sententia capitis peremptus est. A multis dicitur, quod in sui errorem etiam plures alii tracti, aut prolapsi sint: qui quorundam adminiculo, ne pœnas luerent, carceres evaserunt. Nescio nunc, quid amplius futurum sit de eisdem.

Absumpsit & dira mors anno currenti Gregorium Rasciæ & Serviæ Despotum, hominem prudentissimum, Senem venerabilem, principem opulentum, & totum fidei sanctæ cultorem. O quot ille suis in diebus passus est injurias, qui ab eisdem non solùm terras suas & dominia prædari vidit & abstrahi: sed & filios ex se genitos oculis eorum privari. Sed dimitto nunc, quæ orientalis egit plaga, & accedo terras septentrioni subditas.

Quid tibi videtur, quæso; credis, quod in annis paucis natio Germanica, sive idioma teutonicum, periculum majus

A. passa sit, quàm in propulsione jam ordinis teutonicorum patiatur? Certissimum, nequaquam. Nil hoc ordine Alemania præclarius unquam habuit. Sed is infaustæ revolutionis annus est, qui hos suam terram, quàm quasi, ùt dicitur, quadringentis annis possederant, abnegare fecit. Quid hæreo? aut quid moror? Ipsi post multas mortes stragesque plurimas, relictâ hostibus suis propriâ patriâ, exilium subierunt: & peregrinas alienasque incolent terras. En absque perenni subsidio nemo miseretur eisdem.

B. Nemo quippe est, qui nostris in diebus Rempublicam debita defensione tueatur. Crede mihi, non est id parvum: Deus omnipotens, protector omnium, primum eis opem contulit, claram victoriam paucis apud eos contra multos dedit. Non vicit Polonum exercitus tunc terrenus; sed theotocos ipsa sancta, quæ & jam ultimò in hoc suam ostendit potentiam: quòd magnifici comites de Polonia (quibus aliàs, cùm dudum bello victi captique fuissent, dies pro libertate aliqui dati sunt) promiserint se ad deputata eis loca reddituros; sed obliti fidei & jurisjurandi comparere omiserunt. Ob C. quod forte pœnitentia ductus, jam proximis diebus alter & eorum major laqueo se suspendit.

Audi rem alteram Septentrionis iterum magnam. Rex Svvedorum à Rege Daciæ sub hoc solis anno confusus, à patria & regno ejectus, & in Brussiam propulsus est: exiensque ab aula regni ad fidei fragos divertit Bruthenos. Latitat in Dantzig, vim forte passus est, quam nunc à se, dum sensit, amovit.

D. Nunc ad Occiduas vadam partes. Sed antequam cogitatus illuc me vehat, venit obviam magnus ille olim princeps Jacobus Archiepiscopus Trevirensis: cujus tam profunda æstimata fuit prudentia, ut omnibus non solum timor, sed & admiratio in diebus suis foret. Hunc annus iste infestus à suis eripuit sedibus, & in monumento absconditum locavit.

Occurrit etiam, antequam partes Zephyri aggrediar, insignis ille Dominus

nus Balramus Westvalus, Monasteriensis Ecclesiæ electus: qui multis annis ad Ecclesiam eandem & suæ provisionis effectum venire non potuit. Multæ ob hoc lites sunt habitæ, plebes occisæ, & turbæ pleræque captæ. Sed abscessit etiam mortuus hoc anno, nulla suarum litium fruitus quiete.

Taceo de Trajectensi Episcopo, qui, ùt fertur, gaudens inthronizari debuit, & violenta temeritate, capite suo privatus est.

Episcopus verò Cutiensis longa pro eodem Episcopatu concertatione habita, dum jam possessionem Ecclesiæ recipere debuit, antequam limites Ecclesiæ foret ingressus, Spiritus ejus ab hoc migravit seculo.

Accedam solis occasum propiùs. Rex Navarræ Junior à regno & suo solio, quo diu insedit, & quo diu incubuit, à suo Patre propulsus est, & ejectus.

Rex Portugalliæ junior, in ultimis consistens terræ finibus, hoc anno, ultra solitum curis se in Africa cum infidelibus agitari cogitur & litibus. Et, ut de rei veritate, finium tam longorum, te certum reddam, à septa regni Africæ, militum unus, de fratribus meis charissimis, id mihi scripsit.

Omissa autem nunc parte occidua, ad austrum respiciens, video, quod non parùm me terret. Scio ad te dudum pervenisse horribilem illum terræ motum, quem annus terrens in terræ Neapolitanæ commovit visceribus. Ita relatum habuimus. Multarum interierunt animarum millia. Castra & civitates ruptæ sunt. Rex ipse solus, minus fuit tutus. O mi Heinrice, potest homo à tonitruo, fulmine & aura cœli, ad petrarum cavernas fugere: à terræ motu autem homo, quia terrenus est, stare cogitur, diffugere non potest. O misera peccatoris conditio! habet homo supra verticem Deum in nubibus cœli tonantem; habet sub pedibus terram miserè trementem: & inter hæc, aërem medium multis rebus

A. sæpe sæpius infectum. Nullibi igitur hominis conditio tuta est.

Adjiciam, quod proximis jam diebus ex Africæ partibus per literas mihi patuit. Quibus fertur, Regi juniori Portugallensi Regem Aragonum regnum Neapolitanum contra jura Renati veri hæredis resignare, aut renuntiare velle. Mihi vero simile est, si fiet, quod regnis lites erint immortales.

Nunc ad quatuor plagarum punctum medium me convertam. Dicam ti-
B. bi hic aliquid, quod silendum potiùs esset, quàm scribendum. Audire potuisti, quomodo certi ex nobilibus hoc anno, non tanti neque ex genere, nomine, aut potentia æstimati, terras & Dominia Majestatis Domini Friderici Cæsaris devastarunt? Ipsi, prout eis placuit, absque debellatione & litium inquiete in suis terris castra metati sunt. Non angulum, non vallem, quin aliquas ab eis prædarum pateretur injurias, in omnibus suis do-
C. miniis reliquerunt. Ita suam secura quiete exercuerunt tyrannidem, ut à nemine quasi conteri aut prostrari sint tentati.

Sed his terram depopulantibus excrevit quædam nova, ùt fama fert, apud principes Electores molestia. Nescio, si volvant vel tractent, quæ honorem ipsius fortè respiciant Majestatis Imperialis. Sed tractatu hujusmodi pendente, necdum illi rei fine impo-
D. sito, nescio quibus malis, influentibus astris, dum nuper Cæsarea majestas & ipsius Senatores se tutos in castris olim occisi comitis Ciliæ crederent: quidam Banniian Wicobitz intrepidus, nocte civitatem eandem ingrediens quosdam ipsius Senatores cepit, captivos abduxit, & omnia bona tam Imperatoris quàm suorum, cum suis complicibus in spolium traxit. Cæsar autem Serenissimus in castro stetit superiori, fortè non intrepidus inter hæc mala. Nescio quid Deus in rebus his omnibus præsagiet mundo.

Adji-

Adjiciam his hoc unum, quod la- A chrymis potiùs tibi quàm charta dicere vellem. Tantò in Diœcesi Saltzeburgensi, & circa partes illam respicientes Clerus contra humanitatem, tantò contra religionem opprimitur; ut multo major Judæorum Styriæ quam Clericorum & Spiritualium immunitas modò sit, sive libertas Utinam status ecclesiasticus, tanto, quanto Judaicus sub hebraica saltem salvaretur libertate? Nulla crederetur tunc quæstionis materia superesse. Sed audi rem insolentem. Clerus in dictis locis ad steuras pro stipendiariis & armata militia cæsaris exactionatus est; gentes has, ubi non sunt soluta stipendia, Ecclesiarum dotibus intrusit, prædandi usque ad solutionem non solum summæ capitalis, sed & damnorum eorundem in præliis aut extra perceptorum dedit (licentiam.)

Mi Heinrice, astra cœli, videntes demirandum hujus mundi cursum, etiam hoc anno in suis errare motibus ceperunt.

Mars dum hoc anno in cancro gradualiter ipsi Jovi secundùm peritorum in hac arte judicium conjungi debebat, multum à conjunctione prout vidi, distabat. Et exiens à cancro propter hujusmodi sui errorem vites & vina, flores & vitium fructus quasi in tota Alemania perire fecit. Neque id satis est, sed & pestes hodie influit quotidianas & mortalitates, pro tanto, ut quasi tota Italia in corporibus humanis videatur infecta.

Hæc sunt, quæ in genere tibi describere statui. Privata enim mala, & quæ solus ego patior, & forte non minus alii multi, tanta sunt: ut ad exigua scripta redigi non possint.

MONU-

MONUMENTA VETERA
RES
SANCTI SIMPERTI
EPISCOPI AUGUSTANI
ORD. S. BENED.
ILLUSTRANTIA,

Id eſt:

I. Adilberti Prioris S. Udalricani *Liber de Vita & Miraculis S. Simperti.*

II. S. Simperti Ep. Auguſtani *Regularia Statuta Monaſterii ſui Murbacenſis.*

III. Anonymi S. Udalricani *Liber Miraculorum S. Simperti ab Anno 1465. ad 1471.*

IV. Anonymi Udalricani *Liber Miraculorum S. Simperti ab Anno 1488. ad 1495.*

V. Anonymi S. Udalricani *Acta ſecundæ Inventionis & Translationis S. Simperti Anno 1491.*

VI. Anonymi Udalricani *Hiſtoria translationis tertiæ S. Simperti.*

VII. Friderici Ep. Auguſtani Decretum *De eadem translatione, & reliquiarum S. Simperti veneratione, ac conſervatione.*

Prodeunt in lucem primigenea phraſi ex Cod. MS. Inclyti & Imperialis Monaſterii S. Udalrici & Afræ Auguſt. Vindel. ſtudiô R. P. Henrici Pachſmid Benedictini Mellicenſis.

I.

ADILBERTI PRIORIS UDALRICANI LIBER DE VITA ET MIRACULIS S. SIMPERTI.

Incipit Præfatio in Vitam Sancti Simperti Episcopi.

Quia utile & necessarium est, ut in exordio & capite cujusque libri præfatio ponatur, per quam futuri operis materia, intentio scribentis, utilitas legentis sive qualitas indicetur: unde circa principium hujus libri hac de causa auctor necessariò debet præponi, ut lectores sciant, cujus dictis fidem adhibere debeant. Ego itaque *Adilbertus Prior Augustensis cœnobii* Ordinis divi Benedicti, quondam parvulorum pædagogus, vovi & proposui (quæ tandem in senectute complevi) coadunare & conscribere videlicet aliqua virtutum insignia Confessoris Christi Simperti Augustensis Episcopi, ad hoc inductus & illectus gratiæ suæ beneficio mihi ad sepulchrum illius collato in quadam incommoditate corporis, quâ laboravi tunc temporis.

Quia verò penè omnia ejus gesta per incuriam & negligentiam tunc viventium non sunt scripta, pauca tamen, quæ de eo scripta reperi, aut indagando cognovi, hic in unum coadunando descripsi. Cessant enim interdum à sanctis fieri mi- A. racula tam pro servitutis divinæ negligentia, quàm etiam pro incomparabili inhabitantium malitia. Cessant & idcirco, quia, cùm aliquando per intercessionem Sanctorum eveniunt, non solum laudes vel grates Deo debitæ sanctisque ejus minimè referuntur, sed nec memoriæ commendantur. Sed cur ego præcipuè aliqua requirendo de sanctitate illius sum sollicitus, quam in memetipso misericorditer sum expertus? Quis unquam debilium credulus ad tumulum ejus devenit, & non sanitatem meruit.

B. Ex frequentia itaque & usu illorum jam diu nulla notantur, nulla publicantur, nulla scribuntur, quia si quis ea hactenus scribere voluisset, jam dudum ingens volumen complesset. Pauca tamen, quæ de eo à veracibus viris sunt relata mihi, hic conscripsi, ne omnimodis sanctitatem illius tacuisse viderer. Ex paucis siquidem velut ex multis abundans Dei donum potest comprehendi, quia sanctitas non tantùm insignorum ostensione commendatur, quàm etiam in executione præceptorum Dei & vitæ ac conversationis puritate.

Explicit Præfatio.

Inci-

Incipit Vita Sancti Simperti Augustensis Episcopi.

CAP. I.

Sanctus Simpertus duodecimus Augustensis Ecclesiæ Episcopus favente Carolo M. constitutus. Ejus regia stirps &c.

BEatus igitur Simpertus omnium virtutum gratia à Deo decoratus, quibus pollere Episcopum debere describit Apostolus, à glorioso Francorum rege & Romanorum Imperatore, Domno Karolo, immò divinitus ad hoc prædestinatus, duodecimo ordinis loco à beato Dionysio Augustensi Ecclesiæ in Pontificem est prælatus: qui numerus duodecimus multis sacratus nominibus, & tam ex novi quàm veteris testamenti scriptis insignitus vocabulis ordinationi suæ per meritum vitæ non incongruè potest aptari, quæ ad eruditionem legentium vel audientium partim conquisita hic volumus recitari.

Sunt enim duodecim signa, duodecim menses, duodecim horæ diei, duodecim fontes in Elim, duodecim exploratores, duodecim Principes plebis Israël, duodecim lapides in rationali, duodecim lapides altaris, duodecim lapides de Jordane sublati, duodecim panes propositionum, duodecim boves sub æneo mari, duodecim stellæ in corona sponsæ, duodecim fundamenta, duodecim portæ civitatis, duodecim fructus ligni paradisi, duodecim millia in valle Salinarum, duodecim millia signati, duodecim Patriarchæ, duodecim Prophetæ, duodecim Apostoli, duodecim sedes. Per cujus numeri vocabula & proprietates Pater iste Simpertus suique similes sancti prædicatores figuraliter exprimuntur: quia in domo Dei, hoc est, in sancta Ecclesia per virtutum suarum operationes quasi signa mensium fulserunt in firmamento, & veluti stellæ in corona sponsæ, aut in rationali lapidum gemmæ, contra pericula mundi extiterunt fortes, ùt terræ promissionis exploratores, constantes ùt plebis Israel Duces, sive duodecim millium propugnatores in valle Salinarum. Doctores quoque erant virtutum A. & justitiæ ac præceptorum Dei ùt Patriarchæ, Prophetæ & Apostoli. De ejus itaque Simperti itaque parentum origine, suaque nativitate & infantia vel etiam pueritia, quia litteris nusquam aliquid declaratum est, etiam nos quidquam scribere non præsumimus. Id tamen de eo referimus, quod ex veridica seniorum nostrorum relatione, ex antiqua ad nos deducta traditione audivimus eum ex sorore nepotem Domni Karoli regis & imperatoris fuisse, & ex regia stirpe genealogiam duxisse. Ejus namque imitanda B. & laudanda opera quæ gessit, qualiter vixerit & docuerit, quomodo subditis præesse & prodesse studuerit, ex vitioso scriptorum neglectu in oblivionem posteris, ùt prædiximus, penè sunt tradita.

CAP. II.

Ecclesia Augustensis, & Monasterium Faucense à Simperto restituta.

EUm itaque angelicam vitam inter homines duxisse, & corporis castigatione se templum Spiritui Sancto exhi- C. buisse, & jugi sacri altaris oblatione se Deo hostiam vivam immolasse, post transitum ejus crebris signorum attestationibus probatur.

Constituto igitur eo à Domno Karolo ad Pontificatûs dignitatem præcepit, & ùt Dominus quandam Jeremiæ in principio suæ prophetiæ construere & reædificare cuncta, quæ ibi destructa & exusta reperisset. Quod ut possibilius perficere valeret, per Regiam auctoritatem dedit ad eadem loca cuncta, quæ à Domno Pipino patre suo & prædecessore in regno D. devotionis causâ illuc fuerant contradita, Ipse quoque eisdem donis non modica addidit dona imitatus Hiram regem Tyri, qui superaddidit dona sua donis David transmittens Salomoni ad ædificationem templi ligna cedrina & abiegna ad voluntatem ejus.

Vir autem Domini Simpertus, sicut ex mandato Domni Karoli Regis perceperat, veluti Judas Machabæus mortuo Antiocho recepta civitate & templo, diruta & exusta reædificavit, & altare novum de ignitis lapidibus fecit: sic ipse cœpit summa cum diligentia reædificare ec-

clesiam beatæ Afræ & cœnobium sancti A.
Magni in Faucibus, quæ sacra loca & alia perplura ex tyrannica seditione orta inter Utilonem Ducem Noricorum & Godfridum Ducem Alemannorum post obitum pii Regis Pipini concremata ac destructa erant. Quæ omnia pleniùs in vita beati Magni quisque scire volens legere potest: unde & nos hìc repetere propter fastidium nolumus.

CAP. III.

Alia in eandem Ecclesiam Simperti beneficia. Parochia Ducatus No- B. *rici & Alemannici unita. Anni regiminis ejusdem & pius obitus.*

IPse autem Augustensis Episcopatus, cujus regimen & curam susceperat, non adeò rebus temporalibus secundùm sæculi fastum, ùt nunc, tunc temporis pollebat, sed adhuc ùt in primitiva Ecclesia juxta præceptum Domini voluntariæ paupertati subjacebat, *nec quisquam in clero aliquid proprii possidebat, sed erant illis omnia communia*: quam vir Domini Simper- C.
tus omnimodis, prout facultas sibi expetebat, secundùm timorem Domini sublimare & ditare studebat.

Parochiam quoque in utraque parte Lemannicii fluvii, qui Lycus dicitur, quâ tunc primùm eadem Ecclesia augmentata est, auctoritate Domni Papæ Leonis tertii, nec non & consensu & confirmatione Domni Karoli jam facti Imperatoris annuente Deo in utroque ducatu, Noricorum videlicet & Alemannorum, coadunavit.

Rexit autem sanctus Simpertus Augu- D.
stensem Ecclesiam annis triginta secundum formam institutionis, quam beatus Paulus Apostolus Timotheo scribens sic
1. Timot. 4. 12. & seqq. indixit: *exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii. Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus, hoc enim faciens & te ipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt.* Quam formam vir Domini Simpertus plenariè executus, quæ subditis suis verbis divinæ prædicationis intimabat, exemplis virtutum in semet ostendendo confirmabat.

Bono itaque certamine cum vitiis & concupiscentiis certato, cursuque temporis sui in sanctitate & justitia consummato, cùm jam fide rectâ servata de reliquo reponenda esset sibi corona justitiæ, quam repromisit Deus diligentibus se, præsidente sanctæ Romanæ ecclesiæ Papa Leone tertio, Imperiali vero sceptro adhuc regente Karolo magno, trigesimo ordinationis suæ año corporis incommoditate cum ægritudine præventus, inter divina orationum colloquia quartò idus Octobris Spiritum cœlo reddidit, ad æthereasque mansiones Angelici deportatus officiis, sine fine possessurus intravit, lucemque hujus sæculi supernâ habitatione commutavit. Cujus sacrum corpus cum funeribus * exequiis in Ecclesiam sanctæ Affræ, quam ipse concrematam ac destructam reædificaverat, & delatum & honorificè, ùt condecens erat, in choro juxta gradus est humatum, quo in loco diversis incommoditatibus corporis laborantes, vota sua voventes & peragentes integerrimæ sanitati sunt restituti.

* f. leg. funebribus.

CAP. IV.

Ecclesia S. Afræ ab Hunnis vastata, & apparente S. Simperto a S. Udalrico contecta.

EVolutis itaque post transitum ejus centum sexaginta & eo amplius annorum curriculis, cùm beatus Udalricus, cujus nomen ex virtutum ejus fama celebre per totam Germaniam habebatur, Augustensi præesset Ecclesiæ, effera gens Hunnorum è finibus suis egressa, ripam Lyci fluminis transiens Ecclesiam beatæ Affræ secundariè exussit, totamque Alemanniam deprædando vastavit.

Cùm ergo aliquo tempore sine tecti operimento eadem Ecclesia remaneret, & sepulchrum beati Simperti in choro juxta gradus situm pluviarum imbribus, & nivium algoribus pateret, quadam nocte, dum vir Dei Udalricus lassis artubus aliquantulum sopori & requiei indulsisset, divinitùs in visione admonetur, ut tumulum sancti Simperti congruo procuraret tecto. Cui admonitioni vir Dei incun-

ctanter

tanter obtemperabat, lignisque firmio- A. ribus illud more operculi arcæ conjunctis ab imbribus protegebat.

Hinc liquidò cunctis patere poterit, quanti meriti hic vir beatus in conspectu Divinæ majestatis in hoc sæculo degens fuerit, cujus cineribus talis honor deferri jubetur divinitus, tanquam injustum foret, tam sancta membra pluviarum inundationi patere, cùm multi martyres & confessores sub divo videantur requiescere, & horam resurrectionis expectare. In hoc quoque sanctitatis ejus indicium comprobari potest, quod primitus vir Dei Udalricus de injuria tumuli ejus divinitùs describatur admoneri, cùm eadem B. basilica multa Sanctorum corpora, & præcipuè gloriosæ Christi martyris Affræ ejusdem loci matronæ, nec non puellarum ejus, videantur incunctanter conservata à populo venerari, quæ etiam basilica postmodum non dissimili revelationis admonitu ab eo jubetur reædificari.

CAP. V.

De prima inventione ac translatione sanctissimi Simperti Patroni nostri, Augustensis Ecclesiæ Episcopi Duodecimi.

Qualiter verò corpus ejus sit transpositum in eum, ubi nunc veneratur, locum paucis verbis insinuemus. Anno itaque primo ordinationis Embriconis Augustensis Episcopi, qui est ab incarnatione Domini millesimus quartus,* relictis ab antecessore suo quinquaginta talentis argenti, Ecclesia sanctæ Affræ, ùt hodie cernitur, à fundamentis construitur, & multa sanctorum corpora reperiuntur. Perfectâ itaque templi structura corporis ejus reliquiæ cum aliis sanctorum confessorum Wicterpi & Nicgarii & Adilberonis, ad australem partem basilicæ sub quodam fornice in eum, ubi nunc venerantur à populo, locum decenti honore sunt retumulatæ, ubi præstante gratiâ Christi, meritis Confessoris sui, cæcis visus, surdis auditus, claudis gressus redditur, & dæmoniaca violentia ab obsessis corporibus excluditur. Diversis quoque incommoditatibus corporis laborantes frequenter in visione nocturna admoniti, persæpè etiam spe confidentiæ adducti ac votis inibi peractis, pristinæ sanitati integerrimè sunt restituti. De quibus ejus insignibus ad eruditionem credentium incredulorum, ad confirmationem credentium dignum fore censemus aliqua hic inserere.

* *Cod. millesimo sexagesimo quarto.*

Anno itaque incarnationis Domini millesimo centesimo octogesimo ex improvisu quorumdam infelicium flamma exurgente, ædificia cuncta basilicæ & cœnobii sancti Udalrici & beatæ Affræ ex permissione divina in favillas cineris sunt redacta, ad cujus infortunii miseriam considerandam, & donis charitatis sublevandam, non modica turba ex vicinis civitatibus, oppidis & villis advenit.

Accidit autem die quadam, dum mulier quædam propè tumulum beati Simperti deambularet, ut ex in provisu in illud per foramen quoddam, quod ex nimietate flammarum ignis ibi fortè patebat, delapsa hæsisset, & aliquantulum de ipsius sancti Patris reliquiis contigisset, unde expergefacta, dum pedem inlapsum retraxit, eum subitò intumuisse conspexit. Quæ mox reatum suum voce lamentabili confessa, in sanctum Dei se peccâsse est conquesta. Quid post ageret, ignorabat: spem tamen suam in sancto Dei ponebat, & prece cum fletibus ad eum profusa, ab eo pristinæ sanitati C. sic est restituta.

Hoc quoque non silendum, sed relatione fore dignum reor, quod non sine parva admiratione seniorum nostrorum attestatio circa tumulum ejus divinâ providentiâ gestum cognovimus. Post exustionem ergo basilicæ aliquot dierum spatiis inubrium inundatione eadem Basilica aquis pluviarum adeò est repleta, ut ligna, quæ ab ignium flammis relicta fuerant, circumquaque per Ecclesiam supernatare vi- D. derentur, nec alicubi per siccũ introëundi cuiquam facultas daretur. Tumba verò Confessoris Christi Simperti, quæ nullo modo distabat è pavimento, sed adæquata erat solo, sic ex omni parte in circuitu ejus ab illa inundatione intacta & sicca permãsit, ac si firmioribus tectis in superficie operta fuisset: quod sanctitatis ejus indicium est æquiparandum revelationi præscriptæ, quæ beato Udalrico cœlitus indictum describitur fuisse, ut tumulum ejus defenderet ab imbrium effusione. Ex quibus etiam nobis nosse datur, quanta

dilectione ejus spiritûs in conspectu divinæ majestatis habeatur, cujus corpus in terra humatum sic assiduè cœlitus procuratur.

CAP. VI.

Miracula ad S. Simperti sepulchrum facta.

A. Quædam mulier honestæ vitæ cum sanctimoniali quadam, quæ in infirmitate sua votum fecerat, ad sepulchrum sancti Simperti veniens cereos, qui illic oblati erant, transportavit, & B alibi in eodem monasterio accensos ad memoriam Sanctorum collocavit. Inde domum tediens horribili cœpit dolore fatigari, ita ut penè totam noctem clamando transiret. Modicum interim soporata, videtur sibi se esse in Ecclesia sancti Udalrici & sanctæ Afræ, & ossa beati Simperti quasi neglecta & dispersa in pavimento jacere. Et dum staret super his attonita, audit vocem quasi de ossibus procedentem: quia mihi oblata transportâsti, & alibi collocâsti meritò torqueris: & nisi de his satisfacias Deo & C mihi, non liberaberis. Præterea dic Heinrico Priori, ut meliorem reverentiam ossibus meis statuat exhiberi, quia ego & sanctus Udalricus in conspectu Domini pro isto loco jugiter preces effundimus. Mulier expergefacta à somno, & ad sepulchrum tendens beati Simperti cum oblationibus oratione factâ sanitati restituta est.

Vir quidam de oppido Mendichingen morbo Swynanciæ subitò prægravatus, tumore & exteriùs ac interius urgente ità cœpit nocte quadam provocari, ut à D multis esset desperatus. Dum interim somno raptus, videt beatum Udalricum propè stantem infulatu, & ejus ora & gutter molliter tractantem & dicentem: vade ad sepulchrum beati Simperti, & illic tuas defer oblationes, ac pro sanitate corporis tui Deo & ipsi gratias age. Mirabile dictu! mox ut ille evigilavit, rupto tumore intrinsecus tantum saniei & cruoris evomuit, ut intuentibus stuporem faceret pariter & admirationem, & sic homo liberatus est. Veniens ergo ad memoriam beati Simperti gratias egit Deo, qui in sanctis suis semper est mirabilis. In hoc miraculo notandum est, quàm sancta & salutaria sint præcepta Apostolica, quæ etiam sancti post hanc vitam videntur adimplere, de quibus hoc: *honore invicem prævenientes*, videtur hic Rom. 12. 10. sanctus Udalricus complesse, dum per se describitur artus ægroti contrectâsse, ipsumque sanitatem recepisse, ac de hoc beato Simperto præcepit gratias referre, non dubium, quin fides ejusdem ægroti hæc obtinenda proposuisset à beato Simperto.

Eodem ferè tempore quendam à dæmonio vexatum audivimus ad memoriam ejus liberatum: sed qualiter hoc evenerit, aut unde idem homo fuerit, nescimus, quia tunc temporis vix duodennis fui, nec de his perquirere curavi.

Fuit quoque in oppido Nuvvenburg provinciæ Bavvariæ vir quidam divitiis hujus sæculi admodum præditus. Hic filium suum adolescentem nomine Chunradum jumenta equorum quadam nocte circa tempus messis hordeaceæ depascendi causâ præcepit foras minare. Qui obtemperans jussionibus patris in dotem frugum triticeæ messis cujusdam Ecclesiæ sancti Stephani Protomartyris (sicut ejusdem satellitum vulgi moris est) fraudulentet equos induxit, cujus temeritatis mox pœnas exsolvit. Nam circa mediam noctem quodam territu expergefactus, in vesaniam mentis repentè est raptus. Qui ut domum delatus est, pater cœpit ab eo percontari, unde sic cœpisset mente alienari. Ille autem ad interrogata non respondit, sed tantùm verba blasphemiæ & gestus suæ protulit vesaniæ. In tantam quoque amentiam devenit, ut semjusta vel ambusta manibus ligna à foco arriperet, & ex æde secum commorantes propelleret. Quid plura? Ad loca Sanctorum circumquoque sanitatis gratiâ à propinquis cum muneribus deducitur: sed minimè sanitatis dono potitur. Tandem à quodam fratre converso nomine Adilberone propinquo suo est delatus Augustam, & in monasterium sancti Udalrici sospitatis gratiâ est præsentatus. Peractô autem ad reliquias corporis beati Udalrici cum muneribus votô, non est potitus ibi sanitatis dono.

De hinc ad tumulum beati Simperti simili modo cum oblatione defertur, ut

vel

vel ibi sospitatem consequeretur. Ex- A pletisque ritè votis, ùt se ab oratione à tumulo erexit, extenta cervice more dementium eum furibundo visu caput gyrando circumferre cœpit. Quod ut frater jam dictus conspexit, elevatis oculis ac manibus in cœlum suspirare cœpit. Cui ille demens: quid sic, inquit, ex imo cordis ingemuisti? Qui respondens ait: nobis meritò est dolendum & gemendum, qui tantum sensûs tui conspicimus defectum. At ille demisso vultu: ne doleas gemendo, inquit, de cætero; quia me B per merita Sancti Simperti curatum sentio. Tunc omnes simul adstantes manus utrasque ad cœlum levantes Deum omnipotentem laudabant, qui non derelinquit sperantes in se, qui per merita sancti Confessoris hunc sui pristinæ restituit sanitati. Ille verò, unde venerat, reductus in brevi viribus totius corporis est integerrimè restitutus. Postea pro satisfactione peccatorum suorum Jerosolymitanam expeditionem profectus in terra peregrinationis feliciter est defunctus & sepultus.

CAP. VII.

Alia miracula ejusdem Sancti ope ac intercessione patrata.

IN superiori regione fuit quædam fœmina magnæ devotionis operibus intenta, quæ sanctitate sancti Simperti cognita frequenter Augustam devenit ad tumulum ejus orandi causâ. Huic quoque parvulus infans erat, quem materno affectu nutriebat, qui die quadam à domo aliquantulum digressus, à lupo ibi D deambulante est raptus, & in sylvam deportatus. Mater verò misera, ubi se orbatam prole sua vidit, voce lamentabili pectus tundendo pugnis ibat, quidve ageret, nesciebat. Spem tamen suam in Deo, & patrocinio sancti Simperti ponebat, talique modo orabat: O sancte Simperte! ne despicias me miseram, sed in gratiam tuam prolem meam habeto commendatam: interventu tuo divinam clementiam credo pro peccatis meis posse placari, & à te mihi dilectam prolem meam confido illæsam repræsentari. His similibus peroratis damna suæ conquerebatur calamitatis.

Exactis ergo aliquantis horarum spatiis illa crudelissima bellua, &, ùt ita dixerim, quodammodò generi humano inimica, cum prædicto infantulo, quem ad ingluviem suæ voracitatis reprimendam rapuerat, accurrit, & in eadem, quo hunc sustulit, loco illæsum deponit, sylvarumque latibula non sine trepidatione revisit. Quem mater summa cum exultatione susceptum Augustam deambulando ulnis secum deferebat, cunctisque, qualiter hunc per merita sancti Simperti redivivum à lupo recepisset, intimavit, votisque cum gratiarum actionibus Deo ac beato Simperto ad tumulum ejus exactis, ad declarandam hujus miraculi magnitudinem factum ex cera lupum portantem in ore puerum inibi suspendit, qui deinceps tempore multo ad confirmationem hujus facti ante cunctorum advenientium obtutus ibi pependit.

Ex oppido quodam Noricorum * Mamendorf dicto, fuit quædam pauper muliercula, quæ inter alios corporis defectus officio brachii unius ac manus per aliquos annos caruerat. Hæc Augustam cum quibusdam aliis comprovincialibus suis aggressa, tumulum Christi Confessoris Simperti sospitaris adiit causâ. Ubi ad gratiam sui cum gemitibus prece effusa, non est ab eo illic sanitatem consecuta. At tamen confidentiæ suæ, quam in Deo & meritis sancti Simperti posuerat, non relicta, domum sine sanitate est reversa. Quò dum pervenit, his similibus miseriam suam deflendo orare cœpit: O sancte Simperte, qui multis in Ecclesia tua * in necessitatibus suis petentibus larga ostendisti, cur non mihi eadem pietatis gratia subvenisti, misertus meæ paupertatis, qua multis afflig or annis? His similibus voce lachrimabili expletis compago illa artuum brachii & manus, quæ ex longinquitate incurvata aruerat, meritis sancti Simperti ita repentè resolvi cœperat, ut deinceps non sine admiratione multorum, quibus calamitas sua fuerat nota, ad cujusvis operis officium eis uteretur. Voti itaque sui cum sospitate compos effecta, Augustam est læta bunda reversa, tumulumque sancti Simperti adiit, & Deo ac Confessori suo pro sanitate recepta laudes exsolvit, & brachium cereum ad indicium sanitatis suæ

* forte legend. in Amendorf.

* Cod. Ecclesiam tuam.

fuæ ibi reliquit. Hujus miraculi factum multis illic commanentibus ab ea est patefactum, quod & nos, sicut ex veridica relatione cujusdam æditui nostri, cui providentia ejusdem sepulchri erat commissa, ibi simul adstante cognovimus, huic paginæ ad notitiam posterorum inseruimus.

CAP. VIII.

Alia beneficia per B. Simpertum divinitus obtenta.

Multus quidam serviens erat cujusdam cultoris prædii unius, in villa Chennehausen dicta, sacristam Ecclesiæ sancti Udalrici & beatæ Afræ attingentis, qui pro absolutione scelerum suorum & restitutione loquelæ duobus circulis obligaverat se ferreis, cum qua satisfactione habitu suscepto peregrini iter aggressus est sancti Ægidii, cujus intercessione & meritis coartatione unius circuli meruit liberari. Dehinc dive sa regionum loca deambulando circuivit, ac sanctorum patrocinia quæsivit. Sicque famâ compertâ de sacrosancto corporis Domini mysterio & permutatione in Augusta facta, cum frequentia populari eandem civitatem est aggressus, omnipotentis Dei misericordiam quæsiturus. Sed ipse, qui constrictas mutorum reserat linguas, & infantium linguas facit disertas, privatum diu, per gratiam suam hunc ditavit loquendi usu.

Dehinc orandi causâ basilicam beati Udalrici adiit, & Sanctorum illic quiescentium patrocinia quæsivit. Ad tumulum quoque sancti Simperti frequenter veniens oraturus ejusque auxilium non frustra implorabat. Nam die quodam cum se genuflexo super tumbam ejus in orationem decliuasset, gravi illo, quo adhuc coartabatur, circulo ferri meruit absolvi. Ad cujus confractionis sonitum frater ille conversus (de quo etiam supra mentionem fecimus) comminùs assistens aliquantulum expergefactus mirari cœpit, quidnam clangoris auribus ejus insonuerit: adpropiansque illi ait: quid nam hic est ferri, cujus confractionis sonitum aure percepi? Ille verò gratiam à sancto Dei sibi collatam dissimulare volens: nihil, inquit. Frater itaque extracto brachio illius, ut locum circuli vidit, sic illum increpando dixit: quid miser agere voluisti? Cur donum Dei celare proposuisti? Ne occultando dissimules, quod ad laudem Dei propalari decet, & ad corroborationem fidelium in publico commemorari debet. Grates refer Deo ac beato Simperto, ob cujus meritum tibi est collatum hoc beneficium, & noveris te per suffragia ejus ab his flagitiorum criminibus absolutum, pro quibus te sic istis ferreis circulis voluisti esse constrictum. Qui referens Deo & sancto ejus confessori gratiarum actiones, ibi idem ferrum reliquit suspensum ad hujus facti indicium, ut cunctis advenientibus liquidò pateret, quanto patrocinio angustiatis hic vir sanctus apud Omnipotentem subvenire valeret.

Per idem tempus adductus est in carro Augustam paralyticus quidam, qui multis annis nulla arte medicinali à sui incommoditate corporis poterat liberari. Hic in Ecclesiam sanctæ Crucis cùm fuisset delatus, ac per triduum in ea vigiliis & obsecrationibus Dei clementiam pro sospitate esset precatus, non est illic quod petebat assecutus. Dehinc qui eum adduxerant, spiritu consilii instructi, eum in Ecclesiam sancti Udalrici & beatæ Afræ ad Sanctorum ibi quiescentium patrocinia implorandaa decreverunt adduci. Qui fores ejusdem ecclesiæ dum fuissent ingressi, ab eo, quem ægrotum in gestatorio deferebant, sunt præmoniti: primùm deferte me ad hoc sepulchrum, quod oppositum obtutibus cetvicis nostri populari frequentia obsitum. Stabant itaque ad tumulum beati Simperti utriusque sexûs advenientium perplures, indicia signorum illic dependentia considerantes, & clementiam Dei laudantes. Cumque eum coram tumulo deposuissent, &

& per aliquod horæ spatium juvamen Christi Confessoris impoloràssent, cœpit repentè quidam sanitatis vigor per omnes artus ægroti morosè reptando diffundi, ita ut procul dubio ei daretur intelligi, quòd per merita Sancti Simperti ab incommodita te corporis sui meruisset liberari, dixitque comitibus suis: confido Charissimi Omnipotentem Deum per interventum Confessoris sui paupertatem meam ad Salvationem mei respexisse, quia sentio artus meos aliquantulum vigoris recepisse; Removete itaque ista infelicitatis meæ indicia, méque in jam diu desiderata sinite vobiscum in nomine Christi, quoque modo potero, reptare terra. Qui mox eum inter manus & brachia tollentes, circumquaque illum per ejusdem Basilicæ orationum loca ducebant gaudentes, ejúsque pristinæ sanitati per Sancti Simperti merita plurimùm adplaudentes. Sícque factum est, ut qui multo tempore per alios in gestatorio ferebatur, integerrimæ restitutus sanitati per se deambulando eosdem, quocúnque licuisset, absolutè sequeretur.

CAP. IX.

Visus cecæ restitutus, & contractæ usus membrorum.

Alio quoque tempore ex oppido, Mazensieleren dicto, quidam orationis causâ Augustam diverterunt. Hi secum eadem devotionis causâ Augustam diverteruot. Hi secum eadem devotionis intentione mulierem per quadriennium oculorum visu Divina permissione orbatam adducebant, quam simul secum circumquaque orationum loca deambulando pro restauratione luminis, baculo regente gressum, ferebant. Ad tumbam itaque Christi Confessoris Sintperti dum pervenerunt, eam illic orantem, ejúsque patrocinium invocantem reliquerunt. Post biduum verò, unde venerant, dum redire proposuissent, ac eandem mulierculam, quam adduxerant, se comitari præcepissent: illa omnimodis renuit, quia spem salutis suæ in Sancto Dei posuit. Tandem increpatione verborum coacta, non voluntariè illos est secuta. Factúmque est, dum contra mansionem suam tenderent, & mens illius in compunctione posita in Sancto Dei hæreret, Deus, qui corda humilium respicit, de alto prospectans deprecationem ejus exaudivit, & cæcitatis ejus miseriam per suffragia sancti Confessoris sui taliter amovit.

Cùm itaque eos, cum quibus venerat, invita sequeretur, ac baculo, quem manu gestabat, vestigia perscrutaretur, subitò incalescentibus oculis post confricationem palpebrarum cœperunt aliquantulum protractam recedente caligine illustrari lumine, adeo ut sine conductu alicujus incederet, & circumquaque posita clarè videret. Illa itaque, ubi se voluntatis suæ compotem per merita Sancti Sintperti vidit effectam, & ab opprobrio cœcitatis dono Dei salvatam, dixit comitibus suis: procedite, quia domum ad præsens non comitabor vos, sed Augustam revertar sancto Sintperto pro sanitate mihi collata gratiarum actiones reddıtura. Cujus dictis illi assensum non præbebant, sed eam, quia villæ propè erant, ad quam tendebant, secum progredi compellebant.

Ita verò quia voluntati eorum resisti non poterat, consentiens cum illis villam intrabat. Jamque advesperascente, dum lassata membra sopori collocâsset, nullam corpori suo poterat accommodare quietem, & eandem noctem penè totam duxit insomnem. Mane autem facto Augustam rediit, & Christi Confessori pro viso recepto grates exsolvit, ipsiúsque Ecclesiæ custodibus intimavit, qualiter per meritum sancti Sintperti in reditu lumen diu perditum recepit. Ad tumulum itaque ejus per triduum in oratione excubiis celebratis cum gaudio domum est reversa.

Fuit etiam in civitate Augusta quidam, qui acus pellificibus faciebat nobis benè notus, qui in obsequio suo quandam stultam habebat fœminam. Hæc quodam sabbato vespertinali tempore transacto, ùt moris est infronitarum mulierum, ad diem Dominicum vel alium festivum pexis & ornatis capillis lota & illita facie operibus diabolicæ deceptionis cœpit insister. Moxque ultio & correptio Divina super eam devenit, & arefacto brachio dextro & incurvata manu contorti * in volam digitis, iniquitatis suæ vindictam recepit. In tantam etiam repentè conversa fuit ipsa manus scabiem, ut intuentibus horribilem præberet stuporem.

* Cod. contortam.

Per aliquos ergo dies hoc flagello castigata, & vitâ pristinâ in melius commutatâ vigiliis, jejuniis & orationibus intenta rea-

copiis authenticis tanquam Rotulæ originali (A) coram quibuscunque personis cujuscunque status sive * præeminentiæ extiterint, stetur & credatur.

* Cod. status sui praem.

Quam quidem Rotulam sive Cartam pergamenam vetusta littera exaratam recepimus, vidi ac de verbo ad verbum transsumpsi, transscripsi, & copiari debita cum collatione per me cum eisdem facta feci, nihil addito vel mutato, quod facti mutet substantiam aut variet intellectum, ipsamque Cartam sive Rotulam Regularia Statuta sancti Simperti continentem de verbo ad verbum satis alta, clara, & intelligibili voce testibus astantibus perlegi, (B) tenorem, qui sequitur continentem.

REGULARIA DECRETA A SANCTA SYNODO IN FRANCIA JUSSU KAROLI MAGNI PATRICII ET REGIS ROMANORUM CELEBRATA, AD MEMORIAM VERBO ET SCRIPTO PRÆSENTIBUS FRATRIBUS MONASTERII MURBACENSIS PATEFACTA PER SIMPERTUM ABBATEM EJUSDEM LOCI ET EPISCOPI AUGU- (C) STENSIS CUI SYNODO INTERFUIT PERSONALITER.

AD memoriam vestram Fratres karissimi revocare scripto decrevimus ea, quæ verbis & capitulis proximè à sancta Synodo auribus vestris intimavimus, & in singulis capitulis, quæ ibi digesta sunt, quasi recapitulationem facientes possibilitatis & necessitatis in eis comoda requisivimus, quia quædam ibi secundùm auctoritatem Regulæ, quædam verò usu & consuetudine prolata sunt: quæ consuetudo, si aliquo vitio corrupta (D) non fuerit, pro lege regulari inculpatè retineri poterit.

Primo enim Capitulo denuntiatum est, ut, cùm Abbates ad propria loca remeassent, Regulam per singula discutientes relegerent & adimplerent, quod à nobis in discussione verborum juxta modulum intelligentiæ nostræ actum est. Illa verò adimpletio non in spatio temporis sicut illa interpretatio, sed in cursu totius vitæ nostræ ponenda est duobus modis, aut adimplendo Domino adjuvante sponsionem nostram: aut si peccatis surripientibus prævaricatores sanctæ Regulæ existimus, emendando regularibus disciplinis.

Secundo, ut, qui possunt, Regulam memoriter discerent. Ubi jungendum putavimus, ut, cùm ex corde recitanda dicitur, à dictatoribus ordinatis distantibus interpretetur. Quosdam verò totam per ordinem memoriæ commendare jussimus, qui descripti in nostro Catalogo continentur, quorum numerus usque ad triginta sex excrescit. Quibusdam verò capitula decem ex eadem Regula denominata discenda injunximus, qui simili modo descripti noscuntur, nisi fortè ætatis aut visus impedimentum ad discendum obstiterit: saltim hæc clauso codice ex corde possunt proferre. Qui verò nec ex integro nec ex parte ista percurrere nequierint, audiendæ sententiæ singulorum penetrent & menti reponant, in quo se participes cæteris, si opere audita probaverint, esse non dubitent. Ubi etiam addendum est, ut nullus fratrum prætermittatur, qui in aliqua meditatione lectionis Divinæ tempore ordinato occupatus non sit, verbi gratia, ut Scholastici, postquam psalmi, cantica, & hymni memoriæ commendata fuerint, Regula post Regulæ textum committi, interim verò historiam Divinæ auctoritatis & expositores ejus, nec non & Collationes Patrum & Vitas eorum legendo, Magistris eorum audientibus percurrant. Postquam verò in istis probabiliter educati fuerint, ad artem litteraturæ & spiritales se transferant flores. Qui verò de habitu sæculari conversi notitia litterarum indigent, post earum cognitionem Orationem Dominicam & Symbolum, & sic deinceps pœnitentium psalmos, post hæc reliquos, usque dum vita & virtus suppetit, discere non desinant.

Tertio: ut omnes Officium sancti Benedicti faciant. Quod Capitulum illis observandum convenit, qui hactenus Romanæ Ecclesiæ Officio sub Monachico habitu degentes usi sunt. Nos verò, qui ab ipsis penè cunabulis à majoribus nostris eruditi in eadem dispositione viximus, quidquid menti occurrit, quod negligentia prætermisit, emendatio supplere debebit, id est: ut omnes horæ Canonicæ tam ad nocturnas vigilias, quàm ad diurnas horas

horas excepto Completorio Antiphonis terminentur. Hebdomadarii legentes in Refectorio lectiones per singulas horas Canonicas unicuique tempori congruentes, in Ecclesia recitant, quas per ordinem memoriæ commendent. Similiter & eas, quæ tempore æstivo ex Prophetis ad nocturnos decantandæ sunt, pronuntiationes in choro per tres horas Canonicas, id est: ad nocturnos, Matutinis & Vespertinis convenribus sine intermissione fiant. Psalmi ordinatè absque ulla festinatione divisionibus in versibus custoditis psallantur, orationes quæ à Sacerdote recitantur, usque ad divisionem versuum ab eodem Sacerdote dicantur, ac deinde subsequentia congregatio respondeat. Quinquagesimus sine confusione alicujus præcipitationis choris alternantibus dicatur: Kyrie eleyson in ordine suo simul stando ordinatè decantent. Ea verò, quæ in regulari distributione psalmorum de usu Romanæ Ecclesiæ addita sunt, & in quibusdam Cœnobiis in usu non habentur, adhuc nobis retinenda censuimus, donec consultu meliorum aut dimittantur, aut tenendum certiora reddantur.

Quarto: ut Abbates communes esse debeant ejus Monachis in manducando, in bibendo, in dormiendo, seu in cæteris quibuslibet causis. In hoc quippe negotio uti regulari potestate volo, cui non præjudicat alicujus novæ constitutionis censura. Sive enim communi victu, seu in abstinentia singulari, quilibet rumore vulgi respergi poterit, quod & exemplo Salvatoris & ejus præcursoris factum dignoscitur. Nos verò sicut in conventu fratrum infirmitates corporis nostri exposuimus, non in tantum obtemperando gullæ illecebris, quantum consulendo necessitatibus corporis, sic victum nostrum Domino moderante disponere cupimus, ut & sustineat ad utilia, & non noceat ad adversa.

Quinto: ut fratres in coquina, in pistrino, & cæteris officiis artium propriis manibus laborent, & vestimenta sua lavent, in lavatione vestium antiqua consuetudo teneatur, ut, qui per se possunt, faciant: qui verò senio aut infirmitate deficiunt, curâ Præpositi ab aliis adjuti eorum necessitas expleatur. In calceamentis verò & vestimentis consuendis adhuc ordinatio nostra teneatur, ita ut qui per se hoc facere potuerint, faciant: quibus verò causa impossibilitatis supra descripta obstiterit, curâ Præpositi & Camerarii eorum necessitas sustenteur, ne ab aliis intus forisve solatio eis ad hoc quærendi necessitas incumbat. Interim verò, quo hæc taliter geruntur, instruendi sunt fullones, Sartores, Sutores non forinsecus sicut hactenus, sed intrinsecus, qui ista fratribus necessitatem habentibus faciant, quæ induciæ usque Calendas Septembres proximas dandæ sunt. In coquinandi verò & pistrinandi arte in commune ab omnibus adjuvetur, tam à Septemanariis, quam à reliquis omnibus, quibus solatio sint Novitii & pulsantes nostri ad hoc deputati, donec in supra dicto spatio temporis fratres ad hoc eligantur, qui hoc annuis temporibus excursis vicissim expleant, cæterorum omnium solatio, sicut hactenus, adjuti.

Sexto: de modo vigiliarum observando, sicut in illo capitulare continetur, sufficit nobis, id est: ut opus vigiliarum semper cum die finiatur, nisi fortè maturiùs contingat surgere, ubi necesse est, ut inbecillitas corporum somno refocilletur.

Septimò: ut à volatilibus omni tempore ab omnibus abstineatur, exceptâ causâ infirmitatis, licèt hoc Regulæ auctoritas non interdicat, sed quasi in arbitrio edendi aut abstinendi derelinquat. Decreverunt in præfata Synodo sancti Patres quia optioni nostræ relictum est, religiosioris vitæ sumere disciplinam, suóque præcepto firmaverunt, ut à tali edulio Monachi abstinentiæ fræno omni tempore cohiberentur, excepta causa necessitatis suprascripta.

Octavo & Nono: Capitulis, in quibus lavatio pedum in Quadragesima & Cœna Domini describitur, faciti ordine poterit observari, si Abbas præsens fuerit: si non; Præpositus, qui in vice ejus est sicut locum, ita officium compleat.

Decimo: ut Abbates frequenter villas non circumeant nisi causa necessitatis, nec fratribus illas custodiendas committant: ubi nostræ visitationis raritas urinam non noceat. Nam frequentationis circumitio inter villas ideo nunquam fit à nobis, quia aliud impedimentum nostræ occupationis nos fatigat, dum inter curas Episcopatus & Palatinas ordinationes nulla ad

la ad providendas possessiones nostras nobis licentia suppetit. Sed DEUS est testis, qui conscius est cordis, quòd in terrenis occupationibus non sponte sed invitus inhæreo, qui quandoque à tributis Cæsaris nos absolvat, quibus obnoxii sumus, ut securiùs, quæ DEI sunt, quandoque nobis agere liceat. Fratres verò, qui in diversis ministeriis foris occupati fuerant, medio Augusto, cùm mutatio facienda erit, sive de cellis seu de villis ad Cœnobium redeant, quod ante nullatenus fieri potest propter notitiam locorum, in quibus præsunt. Interim verò actores boni providendi sunt, qui prædicta loca inposterum provideant.

Undecimo: ut poma & lactucæ, nisi cùm alius cibus sumitur, non comedantur, quod statim adimpletum est.

Duodecimo verò capitulo: ut tempus phlebotomiæ certum non terminetur: nisi quando necessitas exposcit, concedatur. Ubi jungendum est, ut, qui tantummodo phlebotomantur, quadragesimali cibo recreentur: qui verò potionem pro certis aut denominatis passionibus biberint, esu volatilium reparentur. Et ideo volatilia, quæ de curtis nostris venire annuo tempore soliti fuerant, ad hoc reserventur: quæ verò ex acto * censu ab hominibus nostris veniebant, pensandum qualiter in fratrum necessaria utiliùs vertantur.

* Cod. exactè.

Tertiodecimo: ut mandatum post cœnam fiat, quod & antea similiter fecimus.

Quattodecimo: ut mediocra vestimenta dentur. Ubi jungendum, cœpetina vestimenta, seu fetico circumsuta omnino Monachis interdicta sunt. Si verò apud aliquem hujuscemodi vestimentum cum velocitate consumptum, aut mutatum, amplius caveatur, ne addatur.

Quintodecimo: Quod de numero vestimentorum seu calceamentorum dictum est, & de datione uncti & sapone, sicut hactenus à nobis observatum est, adhuc in antea teneatur: ut indigentibus vestimenta præbeantur, veteribus in præsenti redditis: quæ verò superabundant Priori reddantur propter pauperes consolandos. Corium verò confectum fratribus detur ad annum sicut ante, usque dum sutores nutriantur. Tunc calceamenta præbeantur, sicut in Synodo definitum est. Radendi verò usus, qui media quadragesima solebat fieri, in Sabbatum sancti paschæ differatur.

Sextodecimo verò & Decimoseptimo Capitulo nihil addendum est, quia sicut ante à nobis observatum est, sic in antea observabitur.

Decimooctavo Capitulo in quo carcer talis fieri jubetur, ut focus in eo fieri possit: iste quem hactenus habuimus sufficiat, usquedum plus necessaria ædificia, quæ igne consumpta sunt, restaurentur.

Decimonono Capitulo de Alleluja decantatione sicut in eadem Synodo definitum est, Romanæ Ecclesiæ concorditer ut in Septuagesima dimittatur.

Vicesimo Capitulo de susceptione Novitiorum sicut Regula docet, ita agatur. Tonsura verò eorum & mutatio vestimentorum postquam promissionem suam firmaverint, agatur. De Sacerdotibus verò vel Scholasticis suscipiendis præceptum Synodi non habemus, & ideo susceptio eorum regularis, quantum possibilitas sinit, habeatur, usque dum decretum manifestius inde audiatur.

Vicesimoprimo Capitulo usus balnei interdictus omnino est excepto quibus necessitas infirmitatis insistit. Unde nos considerantes infirmorum imbecillitates usque ad initium quadragesimæ scaphas balneum concedimus. Interim verò fiant copæ balneariæ abundanter Præpositi & Cellerarii ordinatione factæ, in quibus fratres singillatim, & non communiter, cùm necessitas exposcit, benedictione ante percepta lavare possint, invicem sibi solatia præbentibus sine accessu extraneorum. In hac dilatione non prævaricatores Synodi, quod absit, sumus, sed induciis factis, usque dum necessitas procuretur, ut illicitum cautiùs auferatur.

Vicesimosecundo Capitulo, in quo præcipitur, ut Abbas ad portam cum hospitibus non convivet, quod nos in usu nunquam habuimus. In auditorio verò, ubi Abbas legere solet & cum fratribus & cum hospitibus vicissim seu communiter colloquium habere solitus est, comedere cum hospitibus valdè rarò usi sumus. Quem usum, nisi certiùs interdicatur, habere volumus. Qui locus* in confinio claustri & januæ Monasterii situs est, ita ut fratres sine impedimento hospitum, & hospi-

hospites sine fratribus ad colloquium recipere possit.

Vicesimo Tertio Capitulo: ut hospitibus, quibus licentia intrandi est in refectorium, dignè administretur: Abba verò contentus sit cibo fratrum, quod facilè observabitur, ut & Abbati dignè administretur & hospitibus. Fratres etiam in adventu fratrum aliquatenus congaudeant & abstinentiæ frena relaxent.

Vicesimo Quarto & Quinto Capitulis, quæ de lectoris cibo & ministrorum refectione descripta sunt, statim observata sunt.

Ultima verò duo Capitula, quæ de prohibitione osculi fœminarum & ut monachi nudi non verberentur, istiusmodi usus apud nos nunquam fuit, nec Domino adjuvante in antea erit. De compotatione & Commatratione omnino caveatur, ne ab ullo monachorum aliqua occasione præsumatur, quia in veritate non expedit animabus eorum, & omnino alienum est à proposito eorum. Hactenus explicitis Capitulis, quæ proximè in sua Synodo gesta sunt, & à nobis recapitulatis supersunt aliqua, quæ illa Schola monachorum in usu habet juxta quorum exempla nos informandi sumus.

Duas etenim Silentij regulas custodiunt, unam nocturnam, alteram Diurnam. Illa cum nocturna à collatione vespertinali usque ad versum Capituli protrahitur: illa verò diurna à versu capituli usque ad supradictam vespertinam collationem. In illo enim nocturnali silentio penitus loquendi licentia interdicta est: in diurnali verò cùm alter alterum appellaverit, sive junior à seniore aliquid requisierit, silenter absque ullo strepitu vocis & humilis sit confabulatio, paucis valdè & rationabilibus verbis, nullàque eis aut simul standi aut consedendi aut coambulandi finitur mora excepto discendi aut cooperandi gratiâ, sed semper aut in lectione aut in opere manuum omnes horas diurnas consumant.

Intervallum, quod inter opus Dei & horam refectionis contigerit, aut orando aut legendo transigunt, excepto si ad necessitatem naturæ quis ire debeat. Ubicunque Gloria Sanctæ Trinitatis sive in Oratorio sive in quolibet loco insonuerit, si stantes sunt, propè usque ad humum prosternuntur usque dum Sancta Trini-

A. tas perdicatur. Si verò sederint, ab humo surgentes gloriam resurgendo & inclinando deferunt Sanctæ Trinitati.

Obviantes sibi juniores à prioribus usque ad genudeflexionem corpora humiliando petunt benedictionem. Cùm in domum quamlibet intraverint, ubi conventus fratrum esse debet, genuflexo & supplice dextera petunt benedictionem, crucem adorando & benedictionem postulando. In salutatione hospitum similiter & genuflectunt, & dexteram terratenus dimittunt.

B. Cùm tempus legendi est, nunquam sine lectorivo suo residere audent, sed singuli singulos habentes lectionem suam in eis memores * commendant, qui quomodo à nobis etiam facti fiant, à nobis ordinandum est. Jurandi usus apud eos penitùs non habetur, quòd Evangelicum mandatum cum omnibus Christianis interdicat: quantò magis his, qui cum nomine Christiano etiam sæculo abrenuntiaverunt.

*Cod. suam meis memoris com.

Usum Latinitatis potiùs quàm rusticitatis, qui inter eos Scholastici sunt, sequuntur. In tali etiam confabulatione

C. notitia Scripturarum aliquotiens magis quàm lectione penetratur, & dictandi usus discitur, & ad discendum sensus acuitur.

Hæc & alia similia his, quæ menti non occurrunt, in supra dictorum cœnobitarum conversationibus comperta habemus, ad quorum exempla informandos per universa regni sui cœnobia monachos decrevit Imperiali censura, ut uno modo ea, quæ ex auctoritate Regulæ, seu illa, quæ ex consuetudinum adinventione aguntur, in usu habeantur. Unde necessarium reor, si vestræ placet dilectioni, ut

D. in his ante præmoniti certamen habeatis, in his omnibus instrui, ut bonis & honestis moribus exculti non tantum coram Deo laudabiles, sed etiam coram hominibus - - - possit ad humilitatem & gratiarum actionem cæteros revocare. Interim providendi sunt unus aut duo, qui in unumquodlibet ex his cœnobiis mittantur ad speculandam vitam & habitum illorum, qui nos in omnibus, in quibus fortasse titubamus, certiores reddant, qui & illis boni exempli forma sint ad quos intraverint, & nobis sine zizaniis mixtum triti-

triticum reponendum in horrea reportant.

Super quibus omnibus & singulis dum Reverendi, honorabiles ac Religiosi viri Domini Waltherus de Wilsperg Abbas, Leonardus de Reichenstain Decanus, Capitulum seu Conventus Imperialis Monasterii Murbacensis sibi à me ùt publico Notario subscripto unum vel plura publicum seu publica fieri pecierunt tot, quot fuerint necessaria, instrumentum vel instrumenta.

Acta sunt hæc anno Indictione, die, mense dicti Maximiliani Romanorum Regis tempore, loco, & hora, quibus supra, præsentibus ibidem honorabili Domino, & discretis viris Joanne Ortt presbytero Capellano Murbacensi, & Richardo Muling atque Joanne de Wertheim ejusdem loci incolis laicis litteratis Basiliensis Diœcesis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et Ego Wilhelmus de Hohenhem &c. Laicus conjugatus, Constantiensis Doctor publicus Sacra Imperiali Auctoritate Notarius, quia dictæ Rotulæ pergamineæ vetustæ seu cartæ Statutorum ac Ceremoniarum Regularium tempore Sancti Simperti usitatorum, præsentationi receptioni requisitioni, transsumptioni, ac auscultationi omnibúsque aliis & singulis præmissis, dum, sicut præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eáque omnia & singula sic fieri vidi & audivi. Idcircò præsens publicum transsumpti instrumentum per me fideliter scriptum exinde confeci, subscripsi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, signóque & nomine meis solitis & consuetis signavi rogatus pariter & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum. Attamen ut veritas magis elucescat, & fides plena adhibeatur, Reverendus semper ac Colendus Domnus Waltherus sæpè dictus Abbas Murbacensis præsens publicum transsumpti instrumentum Sigilli ipsius appensione communiri fecit ac jussit.

III.
ANONYMI SANCT-UDALRICANI LIBER MIRACULORUM S. SIMPERTI
ab Anno 1465. ad 1471.

In Nomine Jesu ac ejus Præsulis Simperti incipit prologus in miracula ejusdem Sancti Simperti Episcopi.

NON mihi nunc per eloquentiæ prata ducendus est calamus, nec laborandum, ut tibi, optime pater, ostendam variorum pulchritudinem colorum, sed simplici, &, ut ita dicam, tumultuario stilo Sanctissimi Patroni Simperti summaricè narranda sunt miracula, ut lector videlicet & rem habeat, & fastidio non gravetur. Nam cùm tot quotidie fiant, ut nedum Scriptoris proprii officium, sed etiam notarii requirant: frustra laborem absumerem in texendo uno, ubi mox adest aliud æquè urgens. Omittam igitur aliquando nomina personarum, locorum cæterásque circumstantias, & quasi raptim carpens intentionem facti, eum, qui de aliis informari cupit, *ad longiorem annotationem*, *Vid. inf. Distinct. II. Marci.* *quæ apud vos est*, transmittens. Nam prio-

Sexti, & Conclusionem Distinctionis tertiæ.

priores loci sibi id officii semper assumpserunt, ut Simperti tui tumbam curæ haberent. Sic *Adalbero historiam & legendam compilando cum annexis miraculis*, sic Hainricus ejus apud Sedem Apostolicam Solicitator per Dominum Cardinalem venerationem procuravit, sic tu nunc quóque religiosè ac devotè facis. Taceo de antecessore tuo, qui maximam spem in Sancto Simperto repositam habuit, dum pro fabricæ inceptione laboraret; Vetera igitur pro nunc omittens sua facta, qualiter videlicet in Monasterio Morbacensi, cui primus Sanctus Pirminius præfuit, ipse Quartus Abbas laudabiliter vixerit ac ex post gubernavit, qualiter Augustæ prælatus fuerit, tantùm ea, ut quidem pauca narrabimus facta, quæ nostra ætate gesta sunt, & hoc in Christi nomine, incipimus à gratiæ anno 1465.

Prima Distinctio.

Primum Miraculum.

PUer pridie natus sua primordia rupturæ defectu, quem carbunculum vocant medici, erga testes deformat. Physici cum suo Avicenna, Chirurgici cum suis crudelibus instrumentis nec spem nec auxilium conferre se negant. Deficiente humano adest divinum per Sancti Simperti videlicet subsidium. Mater enim solicita eundem pulsat precibus, votóque preces cumulat, ad tumbam . . quartum mensem invalescente morbo puerum portat, salvúmque recepit.

Secundum miraculum.

Tumor mulieris guttur usque ad suffocationem per dies quatuordecim perstrinxerat, qui & famelicum reddebat stomachum, & strictum anhelitum. Extremis jam appropinquans votum Sancto emisit cum prece Simperto, in momentóque sanatur.

Tertium.

Gravabatur quædam bonæ famæ mulier stomachi doloribus, & quasi id parum esset, pungebatur erga pectoralia gravissimè. Invocabat sanctum Simpertum, sanitatíque restituitur, dum sacris adducitur reliquiis.

Quartum.

Parvulus necdum annum attigerat, & miserabile infelicitatis humanæ factus jam spectaculum, Thisiaca cum Spasmatica, vehementissimo dolore per multorum dierum spatia miserabiliter torquebatur, adeò, ut nedum matri sed & cæteris fieret dirum cernere. Sanctum Simpertum cum quadam fiducia gemebunda invocat mater, eúmque ad tumbam ejus transmittit. Receptum sanitatem accepisse lætata est.

Quintum.

Tussi cum præcordia honestæ matronæ per sex annos fatigantur, quod mortis solet esse præludium, cunctis reddita gravis ob sonitum, glebam * flexo poplite Sancti Simperti terit, vota exaggerat, sospitáque recedit. Nec minus vicina ejus, dum hæc percipiens, & dolore dentium in tertium mensem torqueretur, propositum sequitur, sanáque domum repedat.

* Cod. globam

Sextum.

Intercisionem vitalium, quam Syncopen Græci appellant, Virgo dum per quatuor annos patitur, cunctis de facie pallida, corpore attenuato, facta jam spectaculum votum cumulat, preces cum lachrimis fundit, & vigorosa à Sancti Simperti tumba revertitur. Sodalis ejus attracta exemplo, quæ infirmitate gravi circa pectoralia fatigabatur, similiter humi prosternitur ægra, sed per Sancti merita levatur sana.

Septimum.

Pleuresis latus mulieris invaserat simul destitutione virium in pedibus. Dum præsentes de funere clam tractant, ipsa salutis spem à Sancto Simperto corde postulat, mutatóque ejus miserabili statu se, ut votum persolvat, Ecclesiæ præsentare festinat. Concivis, quæ Lippientes jam oculos per triennium, horridos cæteris, sibi inutiles portaverat, exemplo tracta fidem pectore hausit, & similiter orat & impetrat.

Octavum.

Mulier fœtum jam ad solem secursus * naturæ suffragaretur, processurum portat, dum ultra mensem vitam an habeat hæsitat, & ob hoc percilitaretur, votum sanctissimo Udalrico & ejus antecessori Simperto uti hìc patronis & in patria concivibus emittit, vita jam quasi abortivo partúsque matri datur. Altera puerum surdum & monstrum penè naturæ offert Sancto, & sanum reportat. Et ut simplicis oviculæ * factum enarrem, & vaccam habuit

* Ita Cod.

* Cod. aviculæ

habuit & pueros. Hæc tota spes, omnes divitiæ ejus, vermem voraverat in gramine. Intumescit animal miserum, lamentatur vidua pro se suísque pueris lac defuturum, orphanorum & viduarum patronum invocat Simpertum. Vermis de animali per os egreditur, mulieri lamentanti spes cum effectu arrisit.

Nonum.

Cœcutiens mulier per decem jam annos & tantùm jubar quoddam ocellis hauriens, nimis rebus & corpore misera, dum non considerat Isaac se habere consortem, nec senescentis Jacob advertit cæcitatem, suis imputat plagam peccatis. Dum ea ad sancti deplangit Simperti tumbam cum spe veniæ, totum sentit suum hominem salvum. Altera dum periclitatur in partu, & fœtus, ut cunctis videbatur, tandem egreditur abortivus, & per duarum horarum spatia sine indicio vitæ permanet. Tandem oblatione ceræ & tritici promissa, non solùm simplicem vocem plangentis, ùt cuncti, sed etiam tubalem emittit.

Decimum.

Ex villa propinqua paupercula in puerperio hydroposim contraxerat - - * - - quiescerent, quæ à matre sua ad civitatem deducta, ut medicorum opem quæreret, dum hospitam suam ea de re alloquitur, audivit hæc verba: est in Ecclesia nostra sancti Udalrici medicus animarum & corporum, qui facto & verbo cunctis nunc suffragatur, sanctus videlicet Simpertus: hunc adite, & ei preces porrigite. Sequuntur consilium mater & filia, & ad tumbam quàm devotissimè orant. En subitò filia matrem advocans ait: Sentio quoddam in me intestinum mater ruptum. Unde, ut ad hospitium eamus, propera. Quò pervenientes filia se sanam reperit, cibum sumpsit, reversa post ad tumbam cum testibus gratias egit.

* Ita Cod.

Undecimum.

Alia pedibus ambobus clauda penè jam per biennium, tandem totaliter lecto decumbens ad spatium sex mensium paupertate ac infirmitate gravata, suspirabundè sanctum Simpertum invocat, & festum ejus se semper celebraturam & tumbam visitaturam spondet, insuper censum annualem in signum proprietatis porrecturam. Sentit auxilium, baculo innixa locum visitat, post in brevi sanctitati totaliter restituitur. Vicina ejus brachium habens saucium jam per triennium votum emittit, & gaudium cumulat. Dum tertia jam per decem septimanas destituta officio membrorum paralytica jacet, non inferiori fide opem postulat, ac impetrat.

Duodecimum.

Vicina quædam hic per triginta annos oculos lippos habens, deficiente acie volens per gradus in penu quodam descendere, labitur, testaque capitis lapidibus illisa vertiginem contraxit cum dispendio sensuum. Tandem ad sanctum Simpertum conversa cum precibus spopondit oblationem, & ut fit, mens immota manet, lacrimæ volvuntur inanes. Sanitati restituta, oblita est medici sui. Sed mox infirmitas gravior rediit, & dum tardat votum reddere, facta sunt novissima ejus pejora prioribus. Duplicat igitur vota & firmat propositum. Habebat autem adolescentem filium, qui horribilem fluxum per aurem unam egredientem patiebatur in capite. Confabulabantur igitur simul de multis miraculis, quæ quotidie fiebant ac promulgabantur publicè populo, & paulatim spem & devotionem elavabant in Sanctum. Spondent jam in proxima ejus festivitate, quæ appropinquabat, oblationem & preces porrecturos & ejus laudem coram cunctis mortalibus propalaturos. Adest mox sancti Simperti pietas, sanat, & educit ex suis cubiculis infirmos, stant ante sacram tumbam, rémque, ùt gesta erat, fratribus & aliis narrant, factáque oblatione læti ad propria sua redeunt. Strumosum nasum habens per multos annos & alia lepræ incurrebat suspicionem. Sanctum his provocata adiit, móxque tumore sedato curatam se lætatur.

Conclusio Præcedentium.

Videtur mihi quidam in aurem garrire, quod tot jam miracula de mulieribus recitaverim. Amen dico tibi, si Barach ire voluisset ad prælium, Delbora devictis hostibus non triumphasset. Jeremias carcere clauditur, & ad Prophetissam nuntii mittuntur. Sacerdotes & Pharisæi crucifigunt Filium DEI; & mulieres plorant. Magdalena confidit, dum Apostoli dubitant. Defecerant Saræ muliebria, & præcipitur Abraham, ut ei obediat. Re-

Rebecca pergit ad interrogandum,& con- A
digna haurit oracula. Maria Soror Moysi victorias Domino canit. Rachel Effratæ nomen nostræ dedit. Filiæ Salfaad hæreditatem inter fratres DEI accipiunt. Ruth, Hester, Judith sacris voluminibus nomina indiderunt. Anna Prophetissa generat Levitam propbetam, judicem, sacro crine venerabilem. Thecuites mulier David sanctissimum interrogatione, Ænigmate & exemplo concludit. Quid dicam de Regina Saba? Elisabeth utero prophetat & voce: Anna Filia Phanuelis in templo templum efficitur DEI. Sequuntur mulieres Salvatorem, & ei, qui B
de quinque panibus turbam satiat, ministrant. Cum Samaritana loquitur ad puteum, & ejus conversione saturatur. Sed hæc, ne tu glorieris in nomine tuo, nec mulieres pœniteat sexus, dicta sint. Nunc de S.mi Simperti meritis, qualiter viris etiam adjutorio extiterint, perstringamus.

Secunda Distinctio.

Miraculum Primum.

Epilentesi, * quæ etiam Comitialis morbus seu Herculeus dicitur (Nam Hercules ejus tædio affectus se combussit) quidam mihi etiam notus invaditur, C
præcépsque non semel sed repetitis vicibus pulsatur. Uxor gravissimo mœrore consternata, dum mariti miseriam deploràsset, vidit in somnis se constitutam juxta tumbam sancti Simperti cum imagine cerea & candela ad sacra Missarum apta, ex locellóque sancti procedere vocem bujuscemodi: vade, vir tuus restituetur sanitati. Evigilans mox viro retulit, sanctum invocat, spondet oblationem, & quia pauperculus erat, ostiatim à vicinis stipem mendicat, votum solvit. Restituuntur ei vires sensuum, quos morbi gravitas tulerat, & ultra pestis illa validissima D
ab eo aufugit.

* Cod. Epilentesis

Convicaneus ejus puerulum simili morbo præventum habens exemplo trahitur, nec minori patrocinio liberatur.

Pauper quidam etiam textoris servus, qui nuper advenerat, frequenter & pronuntiare miracula, & visitare sepulchrum solitus, in valetudinem gravem incidit. Sanctum verò nominare nesciens cùm implorabat, ut advenæ misereretur, pater pauperum mox eum de stratu levat ac sanum dimittit.

Secundum.

Pauper quidam ex Bajoriorum finibus ruptura admodùm rara præventus, debilitate ex hoc nimia laborabat, angustiabatúrque, si aliquando pro necessitate corporis sibi foret laborandum usque ad virium defectum. Sanctum Simpertum (cujus laus volitabat per ora cunctorum) invocat, & oblationem ad ejus tumbam laturum spondet. Mox intestinis suum in locum reversis caro resarcitur.

Hæc dum audiuntur, alter per decem annos brachii unius tortus passionibus acutis & eundem Sanctum inclamat, nec caret auxilio.

Tertium.

Vicinus quidam hujus Sanctissimi loci habuit filium octennem. Is contractus & claudis pedibus per tres menses cunctis medicis desperantibus, amicorum fide huc ad sanctum Simpertum delatus, medicum verum, & qui nescit longa molimina, expertus est. Alter inflatam manum ex venenifero tactu squalidámque gerens sanctæ Dignæ mausoleum & sancti Simperti tumbam adiit, sanitatémque pro fatigatione & fide recepit.

Quartum.

Honestus admodum vir ex Lechausen villa gravi dolore capitis longo tempore torquebatur, & (mira dicturus sum) Tantali pœnas ab inferis emersisse putares. Inflato subitò gutture abundantia cibi & potûs labra fruebantur, stomachus marcebat inedia, vigor unde & cæteris mox membris undecima jam die negabatur. Pulsatus homo fama sancti Simperti votum cum oblatione ceræ promittit. Mox sanitate tam capitis quàm gutturis perceptâ Priorem loci contestatur penes tumbam stantem, ne silentiò beneficium tegat. Et quasi hoc parùm esset, mox alium qui cœcutientibus oculis victum quærere vix laboribus suis valebat, sanitati restituit, qui duos oculos cereos attulerat, & duarum Missarum officia procuraverat.

Quintum.

Cunctis in monasterio notus, vicinus quidam ex illorum numero, qui miseris animalibus loris injectis currus ducunt, quos etiam vectores seu aurigas vocitant, invaditur subitò dolore magno in spina dorsi, lectóque decubuit supinus. Quem notus sibi visitat, consimilia se passum esse affir-

A affirmat, & sancti Simperti præsulis meritis sanatum post oblationem ad tumbam. Provocatur hoc exemplo æger, & quem cruciabat dolor, simúlque angustiabat equorum, qui eum, ùt quemdam apud gentiles canes sui, comedebant: oculos erigit, preces fundit, votum cum modio tritici ad tumbam spondet, levatur, & suis laboribus aptus restituitur.

Ne domum ejus egrediamur, & redeundum sit, uxor ejus periclitatur eodem anno in partu. Tandem puerum enixa mortuum, cùm jam projiciendum pene esset abortivum, votô emissô, ceræ videlicet imaginis cum modio tritici, puero B anima donata mox à cunctis circumstantibus cernitur.

Sextum.

Dum solemniter Festum sancti peragerctur Simperti, tot homines supervenerunt narrantes sancti Confessoris erga se pietatem, ut Prior loci cum aliis duobus fratribus occuparentur *in annotatione miraculorum.* Nam ùt idem mihi retulit, quòd ea die vix spatium ad necessarium cibum sumendum habuerit.

Advenit quidam ex parochia sancti Georgii dicens, se per viginti annos cruciatum torsionibus unius cruris cunctis C medicis desperatis, suam uxorem hesterno post vesperas audisse sermonem de sancti Simperti meritis simul & miraculorum promulgationem, suasisse, ut & ipse ex spe bona ad Sanctum confugiat: ego, inquam, verti me ad verba levia dicens: mulieres natura leves, ad credendum proclives. Tandem cùm lecto recubuissem, dolor vehementior solitus adest, per totam noctem, ùt timebam, me cruciaturus. Vexatus ergo intellexi tandem, quæ uxor dixerat. Lachrimis perfusus ad sancti Simperti pietatem conversus, cunctis diebus vitæ meæ Orationem Dominicam D ob ejus honorem bina vice me diuturnum promisi, festúmque ejus semper celebraturum. Et ecce inveteratus dolor subitò recessit, & coram vobis hìc adsto sanus, grates DEO, laudem sancto referens. Et quia vix fide dignus erat, Prior jussit memoriæ tradere, & cùm hoc à me nunc fieret, legens ita se habere affirmavit, séque ex ejus manu oblationem ceræ percepisse.

Septimum.

Convicaneus noster quidam gravi dissenteria per triennium laborabat. Res misera & horribilis, dum vix ingesta alvo, * rursus indigesta cum acerbissimo essent * dolore in secessu emittenda. Audiens hæc miracula devotissimè ad tumbam venit, orat, & oblationem pro posse spondet, domum revertitur. Et tanquam si periculosum esset, ut subitò staret fluxus, optimus medicus noster Simpertus paulatim morbum sanat, & in paucis diebus convalescit.

Homo pistrinæ artis nobis pro sua devotione valde gratus masculum habens, qui in Lycum fluvium ceciderat, & vix extractus, dum propter infrigidationem præcordialium tussi acriter laboraret, desperantibus aliis jam de vita ejus pater conscius sibi familiarium actionum (nam omni die tumbam sancti visitare consueverat) magnam fiduciam habuit: sanctô Simpertô invocatô, filio mox sanitatem impetravit.

Octavum.

Sed nec Sacerdotibus gemma Sacerdotum deest. Plebanus quidam ex villa Lankvvaid dum in sancti Patroni nostri Simperti festo ligna ad focum aptat, securi nodum pedis ex improvisò tam periculosè dividit, ut multi vitam, cæteri spem sanitatis omnino denegarent. Adstabant sibi sui subditi compatientes pastori, ac inter alia dum desperatio jam humani auxilii læderet, recitant sancti Simperti miracula, nescientes hunc fore ejus festivitatis diem. Presbyter rem considerat, alta mente votum ad altare ejus facit, & se ibidem Missam in honore ejus celebraturum spondet. Mox fluxus sanguinis stetit, dolor cessat, ac in brevi vulnus cicatrice tegitur, Monasterium adiit, votóque soluto fratribus sanus rem recitat, laus unde DEO solvitur.

Nonum.

Juvenis quidam, dum, ùt mos est huic ætati gaudere equis, caballum incircumspectè regit, ac se lætatur insidere sonipedi, ab eo excussus ac vehementissimè terræ illisus prosternitur, ita ut sine sensu, voce, anhelitu omninò judicaretur mortuus. Accurrunt vicini, & tandem superveniunt propinqui, clamor in cœlum levatur. Quibus mens altior fuit, eum cum voto & cera sancto offerendum spondent Simperto. Mox vita redit, sanus

* Cod. alveo.

nus assurgit, & fidejussores suos voto so-luto liberat.

Decimum.

Cui meritò flectitur omne genu, JEsus cuidam honesto apud sæculum viro dolorem immisit in junctura circa genu, ut non jam pes suum officium valeret exequi. Et ne fortuitum putares, duravit ea infirmitas per decem & octo annos, & non solum reddidit pedem gravem ad portandum, sed etiam dolore vehementi tædiosum. Audit homo sancti merita, locum adiit, orat, offert, seque totum Simperto committit Præsuli. Excipit Sanctus claudum, & ne cadat, in ambos pedes, erigit sanum.

Undecimum.

Medici, quos Græci vocant Chirurgicos, crudeles putantur & miseri. An non miseria alienis dolere vulneribus, & mortuas carnes inclementi secare ferro, non horrere curantem, quod horret ipse qui patitur? Ex bis quidam de oppido Landsperg dum putridam curat, patientis manum videt prævalere contra cauteria carnem. Desperat, veretur dispendium famæ ac rerum ob hoc incurrere. Juxta ergo Scripturam, quod ante medicinam facere debuit, Divinum videlicet invocare auxilium, tandem post facit, Augustam venit, sanctum Simpertum voto ac prece pulsat, ut, quod in se non videt possibile, jubeat auxilium DEI adimplere. Domum post preces revertitur in fide nil hæsitans, & se plus profecisse precibus apud Sanctum videt quàm arte. Rursus revertitur, misericordiam DEI apud tumbam collaudans.

Duodecimum.

Suadet nobis Divina Scriptura dicens: *ad aliquem Sanctorum convertere.* Cujus consilio inductus quidam Parochiæ nostræ civis, dum gravi angustiaretur in causa, & videret periculum, quod humana ratione non posset subterfugere, ad sanctum Simpertum confugit, & vovit se cunctis Dominicæ passioni ob ejus venerationem quinquies Dominicam Orationem persoluturum, liberatúrque mox ab angustia. Processu temporis alpium, quæ muri vice Italiam ambiunt, pro quibusdam suis causis partes adiit, & in latrones incidit, qui eum etiam à via interrupta petrarum ducentes bonis spoliant, manibus pedibúsque cum funibus ad arborem fortiter ligatum dimittunt. Qui totis viribus se, si posset, enodare tentat, sed frustra. Tandem viribus deficientibus lassus DEUM orat, & ecce subitò videtur sibi, quòd virum statura & vestibus venerabilem præsulem ante se videat sibi dicentem: jacta spem tuam in Domino, & ego preces tuas adjunctis meis sibi offeram, téque liberabo. Intellexit homo patronum suum adesse sibi sanctum Simpertum, clamat & petit, ut sibi vel semel adhuc sanctum locum sepulturæ ejus aspicere liceat. Funes à manibus solvuntur, pedes ipse extricat, & receptis ligaturis ad tumbam venit, & ibidem votis solutis ante oculos hominum suspendit.

Conclusio Præcedentium.

TEstes idcirco ad miracula non nominatim appono, quia viventes eos apud te, optime Pater, inveniunt, tum etiam, quia tibi fratribúsque omnia nota sunt, utpote pridie gesta, tum etiam, quia futuris nil ad fidem confert. Si enim mentiri me, quod professionem meam non decet, utique judicare voluerint, & testium nomina conficta judicare possunt. Duodecim itaque incisionum capitula de mulieribus priùs, nunc duodecim de viris habes, & in antiqua etiam legenda duodecim, ut senarius per se ductus ad perfectissimum numerum faciat: superest, ut uni quoque, qui hesterna legit scripta & conclusionem ejus laudaverat, ejusdem doctoris, cujus sunt verba, & hodie aliquid adjiciam. Samson Leone fortior, saxo durior, & qui unus & nudus mille est persecutus, in Dalilæ mollescit amplexibus. David secundùm cor Domini electus, postquam deambulans super tectum domus suæ Bethsabeæ captus est visione, adulterio junxit homicidium. Salomon, per quem se cecinit ipsa Sapientia, qui disputavit de cedro Libani usque ad Hysopum, qui egreditur de pariete, recessit à Domino, quia amator mulierum fuit. Et ne aliquis de sanguinis propinquitate confideret, in illicitum Thamar Sororis Amon Frater exarsit incendium. O super: quot hodie sidera superbus ponit Thronum suum? quot petras excavat, ut habitet coluber in foraminibus ipsarum? Istiusmodi sexus reprehensibilem facit Monachum, janua diaboli, via iniquitatis, Scorpionis aculeus, nocivúmque

que genus est fœminarum, flammigero igne percutit fœmina conscientiam pariter conversantis, exuritque fundamenta montium. Si cum viris fœminæ habitent, viscarium non deerit diabolo. Ferreas mentes libido domat. Benignus es? gaudeo. Pudicus es? falsum est. Si pudicitiam quæris, fœminam, quam videris benè conversantem, mente diligas, non corporali frequentes accessu. Memento semper, quòd paradisi colonum de paradiso fœmina ejecerit. Hæc præter ordinem rei: nunc ad communem omnium patronum sanctum Simpertum stilum vertamus, & mixtim de utroque sexu deinceps dicamus.

Tertia Distinctio.

Miraculum Primum.

Nil possidens misera villana præter miserias, tribulationem & angustias, dum filiam claudam pede uno ulceroso & fluente quotidie aspicit, & parvulum stranguinea laborantem: sed dum omne humanum cessat suffragium, adest miserorum patronus Simpertus, nec munera pensat, & ambobus subvenit. Nam dum pro filia se sancto annuatim spondet denarium præsentaturum ad tumbam, levatur. Pro parvulo dum oblationem ceræ facit, & ipse sanatur.

In consimili omnino casu ex Meringen mulier parvulum ejulantem ac clamantem propter urinæ detentionem adducit: sanus reportatur.

Claudus quoque ex Noricorum provincia biga impositus, dum equorum ministerio advehitur, in via sanatus pedibus locum visitat.

Secundum.

Hydropicus de Ginzburg adolescens turgentibus membris anhelitum vix jam ducens, dum jam extremum traheret Spiritum, à circumstantibus sancto commendatur Simperto cum voto. Mox Spiritu resumpto levatur ingenti per genitalia humore profluente.

Ruptura circa pudibunda miser pusio hic Augustæ percussus, dum parentes spondent se trina vice ad tumbam puerum allaturos cum orationibus & oblatione, sanatur.

Supervenerunt & tunc duæ mulieres, quælibet parvulum adducens, & quidem

A ex diversis locis, affirmantes se gravibus infirmitatibus simul & quemlibet parvulum liberatos.

Tertium.

Vesica pueri cujusdam duobus calculis sive lapidibus obstrusa, dum ob tenellam ætatem periculum esset scindendi, sancto Simperto invocato ambo per urinam citò projiciuntur.

Quidam etiam bonæ famæ Augustensis adducens suæ calamitatis testes, retulit, se in pueritia læsum in capite, unde semper gravi debilitate sensuum laborabat. Cùm autem Ecclesia ædificaretur,

B & sanctus Simpertus coruscaret miraculis, promisit sancto Udalrico ac sancto Simperto se laboraturum in propria persona per septimanam in opere fabricæ. Quarta die, dum sollicitus operi instaret, invasit eum acriter sua infirmitas, adeo ut sensu perdito aliena loqueretur. Reductus domum mox sensit caput insolita titillatione pulsari. Et ecce os quoddam miræ magnitudinis ex superiori parte in fauces cecidit, quod extrahens se sanum sensit.

Quartum.

Quidam rusticus vocatus Wilhalm

C Fistl de Schvvabchingen cum sua familia in fossam limi extra villam egressus, pro domo sua cœperunt limum fodere. Aliis igitur domum in vehiculo ferentibus, remansit unus sedecim annorum nomine Joannes, qui, dum fodiendo incautiùs locum excavaret, terra subsecuta eundem totaliter obruit. Et reversus deinde rusticus terram delapsam vidit, famulum quæsivit, & vix tandem unam manum erectam & extra terram protensam vidit. Acclamavit Divinam pietatem per sancti Simperti merita, & cum sex aliis personis & cereis eum ad tumbam ejus præsenta-

D turum pollicetur, terram removet, suffocatum extrahit, & manum ori applicat. Nec erat vox nec Spiritus. Rursus sanctum invocat, & oscitare cœpit juvenis, & ipse invocans sanctum Simpertum restitutus vitæ juxta votum octava abhinc die hic comparet, votóque satisfacit, humiliter supplicans, ut fratres mirabilia talia non celarent.

Quintum.

In Parochia sancti Georii quidam honestus vir dolore pedum sic affligebatur, ut nec se vertere in lecto posset, nisi ma-

nus pedes portarent in aliud latus. No-A. cte quadam audivit vocem corripientis: cur miser tædio desperationéque sepultus hìc jaces? Surge, Sanctóque Simperto votum cum precibus porrige, & ejus misericordiam experieris. Evigilans suspirando admonitioni satisfecit; ad sepulchrum, dum mane vellet se facere portari, sanum se reperit.

Mulier consimili infirmitate circumvallata, dum consideraret se de substantia viri sui non debere sine ejus consensu alienationem facere, virum advocat & consensu impetrato ceræ libras tres ad tumbam vovet, móxque sana ipsam illam B. præsentat.

Sextum.

Maniam medici vocant passiones cerebri, quam quidam incurrens per quindecim annos gravissimè laborabat, ita ut cunctis onerosus ea faceret, quæ non essent sani hominis, ipse non sanus juraret Orestes. Amicis sanctum Simpertum implorantibus ei subvenitur: ad tumbam adductus sensibus redditur.

Consimili dum quidam inciperet passione laborare, & pusillanimitati jam usque ad desperationem deditus, vix animo C. consisteret, votum Sancto faciens ab invasione liberatur, ac à periculo tantæ infirmitatis præservatur.

Quidam etiam vesania capitis laborans, dum triduo sic persisteret, ut quidam eum obsessum dæmone judicarent, votô pro eo factô adducitur, & sanus revertitur.

Septimum.

Ruptum & inane mulier quædam habens cerebrum, dum gravi laboraret insania, altero jam mense completo gravis facta hominibus, & dum deficeret eis utpo-D. te villanis locus, quo miseram includerent, tandem consilio inito comuni Sancto eam Simperto attentè committunt, & de substantiola pauperculæ tres libras ceræ spondent. Restituitur itaque sensibus, & per se votum factum pro se exequitur.

Alter dum tanto spatio temporis lumen oculorum amisisset, oblationem spopondit notabilem, móxque gratiam DEI meritis Sancti sensit, sanúsque ad locum sepulchri venit.

Octavum.

Advenerunt etiam simul multæ personæ literam credentialem desuper secum habentes à viro notabili & fide digno, ferentes singuli cereum unius libræ in manibus suis, qui fatebantur, se in sancti Simperti nomine à dolore oculorum cum ejus invocatione pristinæ sanitati restitutos.

Adolescens etiam quidam hectica præventus, dum singulis momentis viribus decresceret, & ut ita dicam, moreretur, voto emisso, ad sepulchrúmque deductus sanus repedavit ad propria.

Nonum.

Quidam vir honestæ famæ & vitæ fidéque dignus suis literis missis cum oblatione fratribus significavit, quòd ruptis intestinis circa verenda per annos viginti & ultra impediebatur & torquebatur doloribus. Percipiens tot quotidie sanctum Simpertum coruscare miraculis, cùm nulla ei omnino spes esset in homine, conversus toto corde ad DEUM petiit, ut, quod ejus peccatis exigentibus Divina justitia intulisset, meritis sancti Simperti removeret, voto etiam adjecto siliginis videlicet modicum cum cæteris oblationibus. Móxque misericordiam, quam sperando quæsierat, utiliter invenit. Nam non obstante tantæ infirmitatis periculosa longitudine, sanus evasit.

Juvenis etiam de villa Holzhaim consimili ruptura læsus à matre paupercula adducitur, & æquè sanitati restituitur.

Decimum.

Mulier quædam istius civitatis incola Parochiana sancti Udalrici torsionibus & quotidianis punctionibus per septem annos quotidie fatigata, nullo potuit medicorum suffragio curari. Dum omni festo die tot per ferias facta audiret publicari miracula, devotè ad Dominum conserva spem suam in sancto Simperto posuit, optimæ suæ tunicæ oblationem spopondit cum obligatione ad certas quotidie orationes. Mox sanitati restituitur: nec tamen citò miraculum manifestat, sed per mensem & ultra differens, tandem id publicè pronuntiare fecit.

Undecimum.

Paupercula quædam vidua multùm DEO devota in Parochia ista incidit in cami-

caminum dupliciter accenſum, videlicet paupertate & infirmitate. Nam per tres annos uſum pedum amiſit, & per ſex menſes paralytica facta, dum tantis doloribus miſeriſque affligitur, ad DEUM, qui pater pauperum, conſolator viduarum eſt, converſa, inter ſe ſuáque peccata Sancti Simperti merita prætendens lachrymas fudit, quæ aſcenderunt de genis ejus uſque ad deducentem eas. Acceſſit ſancti patrocinium, ſe elevat de grabato ſinéque adminiculo alicujus hominis vel ſuſtentaculi ſepulchrum viſitat, laudes DEO ac Sancto perſolvit.

Duodecimum.

In calce unum adjicimus, in quo præſertim ſanctus Simpertus clariùs quotidie ſua merita perhibetur oſtendere, videlicet circa rupturas & lapides veſicæ. Quidam Parochianus hujus Eccleſiæ adoleſcentem filium habuit tredecim annorum, qui graviſſimo clamore turbabat nedum parentes, ſed etiam vicinos, ſi quando natura urgente urina eſſet emittenda. Miſeri parentes quotidiano affligebantur dolore in filio, dum præſtare auxilium non valerent. Tandem crudelis adducitur chirurgicus, qui juxta morem ligato juvene inſcidit juvenem, & lapidem tam miræ magnitudinis, ut penè ovo gallinæ æquipareretur, cunctis ſtupentibus egerit. Quo viſo non appoſuit ultra quærere. Juvenis eodem ſerò incidit infirmitatem tam gravem, ut deſperarent de vita omnes. Mater verò ſingulari ſpe ſanctum Simpertum invocat lachrymis & precibus. Juvenis reſumpto Spiritu aliqualiter ſecretum petiit naturæ ſeceſſum. Mox de eo per ſeceſſum alius veſicæ lapis longior priori, qui aperta veſica exciſus fuerat, & penè tantæ ſpiſſitudinis egreditur. Res mira, & ſi non eſſet Omnipotens DEUS Lex naturæ, ſupra naturam! Puer ſanatur, lapides pro ſigno ad ſepulchrum tabulæ affixi ſuſpenduntur. Quæcunque facit DEUS, & ejus Præſul Simpertus facit, & majora, ſi noſtra exigunt merita facturus eſt.

Puer etiam alius emiſit per urinam duos lapides, mox ut Sanctus fuit invocatus. Alius ruptus mox reintegratur, ut oblatio fuit promiſſa. Ceſſandum eſt, & ſilentio potiùs lectori inſinuabimus ea, quæ reſtant quàm calamo.

Concluſio totius.

Hanc venerabilis Pater brevem lucubratiunculam celeri ſtilo lecto decumbens dictavi, volens deſiderio tuo & fratrum ſatisfacere, ſed non potui. Ecce enim affers ciſtam plenam cartulis, ex quibus verbi DEI declamator populo miracula ſancti publicavit Simperti, de quibus major erit difficultas eligendi, videlicet quæ dicenda, quàm electa, ſtilo qualiter commendentur. Alteri ergo etiam locum tribuens, quod potui, hoc feci, & ùt nôſti ſtatum mentis meæ, pro me aliis ſatisfacias, ut qui non ignoſcit ingenio, ignoſcat tempori, quia dies mali ſunt & amaritudine pleni. Vale ergo cum omnibus fratribus felix in Domino, & pro me peccatore orare ne ceſſes. Perpetrata ſunt hæc miracula inter alia excerpta ab Anno Domini 1465. uſque ad Septuageſimum primum, ſub Dominis Pio & Paulo Apoſtolicis, Friderico Imperatore, Domino Petro & Joanne Epiſcopis Auguſtenſis Eccleſiæ, & venerabili Abbate Melchior hujus Monaſterii & Priore Conrado. 1471.

IV.

IV.
ANONYMI UDALRICANI
LIBER
MIRACULORUM
S. SIMPERTI
ab Anno 1488. ad 1495.

SI miracla voles Simperti noscere Sancti,
Qui Præsul clarus Rethica in urbe fuit,
Scilicet Augustæ gestando corpore curas
Pro grege commisso nocte diéque vigil:
Ista legas, quæ quamvis simplicibus modò verbis
Est animi motus commemorare mei,'
Cum quibus omnipotens Genitor virtute superna
Consuevit Sanctum mirificare suum.
Attamen ut nihil intexam de stamine falsi,
Voce soluta eadem novo * referre tibi.
Nolo tamen credas me nunc describere cuncta,
Talis quando labor posse meum superat.
Imò supervacuum posuisse foret, quod in Afræ
Sanctæ Cœnobio Bibliotheca docet.
Hic ita libatis crassa tenuísque minerva
Sigismunde volo moriger esse tibi.
Multo nempe tuis satagam molimine votis
Implendis valeat qualiter esse locus.
Tamersi tremat ingenii exiguissima virtus
Quæ nullo (ceu nôsti) micat eloquio.
Unde minùs propriè si quando loquar, veniam des
Frater; sed scripta primitus aure nota.
Nam tua virtus, quin mihi permanifesta fides hunc
Sponte laborem me faxit obire gravem.
Fert animus etiam Conrado parere Priori
Morlin, qui mihi devinctus amore fuit:
Cujus honor meritus, & fama perennis in horas
Crescit, & is nec delebile nomen habet.
Propterea quamvis valde sim viribus impar,
Qualibet attento, Patre jubente meo.
Nam quia vestra nisi frater nunc jussa facessam,
Nominor impostor veridicúsque parùm.
Hinc opus aggredior rogitans, incepta secundes
Pneuma DEUS mihi Sanctum tribuendo tuum.

* *In Cod.*

CAP.

CAP. I.

Curru oppressus interventu S. Simperti sanitati redditus. Dolores calculi, herniæ &c. de diversis depulsi. Visus, auditus cæco ac surdo restitutus &c.

Circa Domini Annos Millesimum quadringentesimum octogesimum octavum, quinto Idus Julias Paulus Pistor pagi Dietingen suis duobus filiis (quorum major natu Joannes nomine undecimum attigerat annum, alter, cui nomen Paulus nonum vix attigit Annum) mandavit proxima è silvecula deducere ligna, qui patris paruerunt jussis. Casu biga super Joannem grandioris natu cadens, eum afflixit cruenter. Quod ipsius frater, Paulus videlicet, spectans, nec tamen adjumento huic esse valens perdoluit, horribilitérque clamitando cum luctu lares patris rapido petens cursu rem gestam illic certè Genitori, qui lanificio vacabat, obnuntiaturus. Quo audito valde obstupuit, ita ut præ dolore nesciret prorsus, quid factu opus foret. Sed paulò post in se reversus Sanctorum Antistitum Udalrici & Simperti patrocinia cordetenus magis quàm verbotenus flagitare occepit, ipsis magnopere proprium comendans natum, qui vel eorum meritis hunc superstitem videre commereretur, se se pollicens eundem ad Sanctorum Udalrici & Simperti tumbas argentea cum oblatione quàm primùm valeret, sistere velle.

Postea pervenit ad bigam, ubi filius oppressus semivivus jacebat, ac ratus eum jam mortuum, quoniam corporis nigredo speciem mortui hominis præferebat. Quem humi jacentem levans, humeris suis imposuit domúmque repedabat. Porrò circa undecimàm diei horam usque ad vesperem quispiam in ipso non quivit elicere vitæ signum. Vesperi autem interventu beatissimorum Confessorum Udalrici Simpertíque cœpit respirare, ac viribus pedetentim fortescere. Sanguinis nempe non parum duobus exibat è vulneribus. Demum (Deo suorum ob intercessionem Sanctorum, robur præstante) penitùs convaluit. Ea propter ejus genitor cum oblatione spoponsa, ac illo, qui convaluerat, ad præfatorum Sarcophagos Episcoporum Augustam pergens, miraculum cunctis ad Dei gloriam & suorum narravit Sanctorum, Domino Sigismundo Lang, ibidem tum temporis sacristando filium unà cum cicatricibus patefecit ingenti cum gratiarum relatione.

Petrus sartor in Pacis Monte seu Fridberg incola puerum nondum anniculum ingentes propter calculum dolores perpetentem habuit, quem conjux sua, videlicet mater pueri, ad sancti Simperti mausoleum cerea cum oblatione votivum facit, magno flagitans conatu, quatenus Pater sanctus infantulo veluti cæteris dignaretur in istis periculis fore adminiculo. Unde factum est, ut noctu (quod mirum profectò fuerit auditu) lapilli duo per urinæ fistulam sine quavis pueri læsione sancti Pontificis interventu exirent: & alter lapillorum erat in quantitate unius pisæ, quem posthac mulier ostendit Patri custodi ac præsentavit magna cum gratiarum actione.

Eadem tempestate cum quædam persona continuas tredecim hebdomadas & integro anno capitis dolore laboràsset, se divi Simperti diem quotannis festivaturam, ac unum cruciferum ad gazophylacium ejus posituram. Extemplò sanctissimi Patris opitulantia fuit sanata.

Puerulus quidam in uno digitorum usque eò susceperat læsionem, quò parentes sui omnimodam vererentur digitelli abscissionem. At postquam ipsum cereo cum digitulo & aliquibus oratiunculis ad sancti Simperti venerunt sepulchrum, sanitatem extemplò percepit omnimodam.

Mulier quædam molucrum, hoc est ventris dolorem patiens, propter ingentésque dolores duas circiter hebdomadas vel parumper plus quiescere neutiquam valuit: quæ tamen posteaquam beato ceream devoverat Simperto candelam, ventris habentem latitudinem, quàm mox profluvium ventris perinde dissolvitur, atque si laxandi ventris gratiâ pillulas percepisset, sicque sana effecta est.

Quidam & corporis & animæ discrimen incidens, nec illud à se humanitùs eximi spes sibi fuit ulla: quem tamen Deus (quia absque divino adminiculo nil usuvenit) ob sancti Simperti merita paucos intra dies, quàm fecit eidem sancto votum, ab hujusmodi periculo gratiosè liberavit.

Joannes Zeberlein de Kauffpeiren viginti quatuor septimanis oculis captus, id est oculorum usu privatus, se cum aliquibus orationibus & xeniis causâ recuperandi visûs ad sanctum devovit Simpertum, qui meritis ejusdem Sancti sanitas est sibi à Deo collata, unde coram pluribus Patri sacristæ viris narravit fide dignis.

Margaretha Widemennin Augustensis urbis indigena corporis debilitate ultra annum gravata, grossum unum, suis laboribus primò acquirendum, Sancto se spopondit percipiendæ sanitatis causâ Simperto sacrificaturam. Quare tali fuit exonerata morbo, nulli dubium, quin meritis ejusdem sancti.

Joannes Sibnacht de Silva surditatem incurrebat. Sancti Simperti (cui votum duobus cum nummis fecerat) intercessione prorsus fit exors surditatis.

Elisabeth Sweickerin quadam in ruptura plus quam sedecim annos laboraverat. Beati Patris precatu Simperti medetur, postquam libram ceræ, quam promiserat Sancto, exsolvit.

Ex apoplexia quidam Augustensis dextri pedis officium amissum post votum peractum beato Simperto indeptus est.

Anna Similiter Seigerin de Mittelstetten, quæ annos tredecim corporis languore fuerat gravata, post votum meritis beati Simperti fit incolumis.

Ottilia quoque Widemennin Augustensis urbis indigena beato Simperto suis opitulante precibus ibi se tris, id est: tres Rosarios secundùm ipsius tumbam geniculatim spopondit oraturam. A Deo, qui meritis quæque prædestinata disponit, in ruptura, quam duodecim circiter annos nequaquam ingentes citra cruciatus pertulerat, sanata fuit.

CAP. II.

Varij corporis morbi ac languores ablati Muto loquela reddita &c.

JOannes molendinarius in pago Inningen demorans, qui omnino expectabatur moriturus propter totius corporis exuberantiam, qua in mortem viginti hebdomadibus infirmabatur, similiter post votum beato Simperto emissum incolumitati restituitur.

Agneta Beirin de Augusta Vindelica A. mirum in modum corporis conflictata morbo, quæ etiam Ecclesiasticis præmuniebatur Sacramentis, ab omnipotenti Deo, qui omnibus dat esse & vivere, sanatur, beato Simperto cui propriam tunicam devoverat) suppetias ferente, id est: auxilia.

Balthasar Miller Zimmerman, quando primùm se se cum oblatione & oratione ad viri Dei scilicet Simperti vovit sepulchrum, de graviuscula corporis invaletudine, quam quatuor circiter annos toleraverat, liberatus est.

B. Per eandem tempestatem Margarethæ Probstin de Klain-Oettingen per semestrem oculi doluerunt in tantum, ut visum penè amitteret, tribus potissimùm hebdomadibus, in quibus omninò capta fuit oculis seu privata visu. Eapropter, ut istiusmodi à se cœcitatem sanctis deprecaretur precatibus divinum Simpertum adiit rogatura, pollicens annuatim, dum viveret, quartam siliginis metretæ partem sub ejus sacrificaturam honore, sicque voti compos effecta fuit.

Item aliud insuper miraculum constat esse factum per divum Simpertum, in Sixto videlicet Hass de Wertingen, qui C. totaliter loquelam ex apoplexia quatuor circiter annos emiserat. Verum enimvero conjunx sua postquam quot annis duobus cum nummis ipsum beato Confessori devovit, è vestigio fandi copiam divinitus accepit.

Mater familias quædam Augustensis oppidi inhabitatrix ubique terrarum famosissimi, fuit beato Simperto suppeditante ex perquam seu valde magnis & corporis & animæ turbis, quibus circumdata erat, liberata, postquam eidem sanD. cto fecit votum.

Item Joannes Meitting de Ostendorff Surdaster effectus postquam quartalæ ceræ ac lumen per caput Sancto devovit Simperto, mirabili quodam modo auditum recepit pristinum. Nam in auribus ejus, nescio, quid frangitur, & sic subitò favente Deo aures ejus apertæ sunt.

Mulieri cuidam erat infantulus eousque infirmus, ut emori propediem arbitraretur. Verùm illa sumpta fiducia votum Deo & sancto Simperto faciens, ut, si meritis ejus puer sanaretur, ceream se imaginem instar ipsius infantuli ad tumbam

bam velle Sancti offerre, mox incolumitate potitur puerulus.

Quidam paupereulus multos per annos defectum haud parvum in uno pedum habens, Sanctissimi Patris Simperti obnixiùs implorabat auxilium se juxta ipsius sepulchrum recipiendo, & duo rosaria gloriosissimæ Virgini Mariæ oraturum, nec non unam oblaturum candelam. Hinc contigit (quando ex animo dantis censetur munus magnum) ut pedis beato Pontifice suppetias ferente omnimodam perciperet sanitatem.

Honestissima quædam matrona mirabiliter debilitate corporis prægravata, sancto se Simperto multa cum instantia commendans, insuper promittens ceream candelam juxta corporis sui latitudinem ejus ad tumbam se exhibituram, ac statim sui voti efficitur compos.

Quidam puerulus perquam seu valde calculosus extitit, quem parentes sancto Simperto unacum denario votivum quotannis constituêre. Quo actum est Deo propter sui sancti merita Simperti propitiante [ut] illico ab eadem liberaretur * calculositatis infirmitate.

* Cod. liberatur

Materfamilias quædam pleuresim habens, votum Sancto dum emisit Simperto, medelam ipsius meritis è vestigio indepta fuit.

Item quædam alia persona honesta capitis dolorem pertulit vehementer ita dumtaxat, ut se maniam seu mentis alienationem propediem seu citò timeret incursuram. Quocirca beati Patris Simperti subsidium cœpit flagitare instantius, vovens se quotannis seu singulis annis dum viveret, sua de substantia justè parta sive acquisita quippiam sub ejus honore simul cum lumine oblaturam. Quid ampliùs? Mira res & à Deo facta! Omnis capitis dolor abscessit, nec ultra fatigat hominem, quem sancti Simperti oratio à tanto cruciatu fecit immunem.

Puella quædam nondum nubilis per quatuor annorum spatium nequiens retinere lotium seu urinam, ad sanctum fecit vota Simpertum. Illicò à tanta fuit exempta turpitudine.

Puerulus quidam ruptus ad sepulchrum venit Sancti cum oblatione Simperti. Redditur incolumis, Deo propter sui sancti Confessoris meritum propitiante.

A. Matrona quædam Augustensis urbis incola undecim circiter annos tantopere ac tam jugiter menses, id est: menstrua patiebatur, ut nulla ferè hora ipsam talis relinqueret fluxus; quin sæpè numero propter ipsum ad mortem usque periclitaretur. Postremùm verò, eùm humanis foret destituta auxilùs, sanctum pergit invocare Simpertum, spondens se, dum sanaretur, ipsius Sancti Patris tumbam indies, quoad superstes esset, semel accessuram, specialémque istic orationem dicturam. Nec spe sua frustratur, quia fluxus istiusmodi meritis propulsatur sui Con-

B. fessoris, nec eam postea aliquomodo, nisi fœminarum solito more molestavit.

Quidam virorum corporis infirmitate ad mortem usque gravatus: & voto emisso simul cum lumine per corpus ad beati Simperti tumbam obtinuit sospitatem optatam.

Quædam honesta persona, perquam caput dolens, lumen unum per capitulum mensum Sancto vovens Simperto recuperavit sanitatem pristinam.

Adolescens quidam capitis magnos tamdiu dolores sustinuit, donec sancto Simperto unum lumen per caput vovit,

C. & soluto voto posthac tali est levatus dolore.

Quædam matrona puerulum habens, nullum in XV. hebdomatibus cibum digerere valentem: quæ infirmitas meritis divi Simperti propulsatur, quando sibi devotatus fuit.

Pergraviter quidam puer totius corporis conflictatus doloribus ad beati Patris Simperti sarcophagum tribus cum orationibus ac totidem Rosariis beatæ Virginis ibidem dicendis devotatis ejusdem Sancti precatu sanitati restituitur.

Quædam magnæ honestatis Virgo

D. pleuresim patiens se promisit cum orationibus & lumine sui corporis longitudinem complectente sancti Simperti sepulchrum visitaturam, omnimodè fidens à Deo mederi ejus interventu, sicut & factum est. Nam magno cum mentis tripudio adiit æditúum nostrum referens, quomodo meritis beati Pontificis illorum exors facta fuisset cruciatuum.

Guttur cujusdam adolescentis in tantum intumuit, ut nil aliud quàm mors ipsius à parentibus in horas præstolabatur. Verùm posteaquam tertiò se cum lumi-

lumine ter latitudinem colli proprii complectente iturum ad tumbam viri Dei, ſcilicet Simperti ſpopondit, reſtitutus fuit ſanitati.

CAP. III.

Phrenetici, amentes &c. voto S. Simperto facto ſanati.

Honeſta pariter perſona graviſſimis doloribus aliquamdiu quatiebatur. Ea propter ſe pluries ſancto commendavit Simperto, ſupplicans ſibi inſtanter, auxilio foret ac medelam à ſuperis impetraret. Quare factum eſt, ut meritis ejus, quem invocârat dolores iſtiusmodi prorſus ab ea fuerint eliminati propitiante Deo glorioſo, qui ad melius cuncta dirigendo diſponit.

Quidam adoleſcens phreneſim incidens, quem majores ſui cum cera & candela ejus corporis longitudinem complectente ad ſanctum voverunt Simpertum, cujus & opitulatu ſoſpitatem nactus eſt. Sed quia id publicare ad gloriam DEI & ſancti Patris Simperti per presbyterum in cancellis neglexerant, in priſtinam recidivavit infirmitatem. Quare parentes majori quàm antea perculſi ſunt dolore, præcipuè cùm demirarentur ſive ignorarent, quid exinde opus facto eſſet, tametſi ſive quamvis jam dudum conceptam fiduciam ſuper viri DEI adjuvamine non usquequaque exuerent, quin magis ac magis rogitarent, quatenus puer veluti antehac ſuis medicaretur interceſſionibus, ſpondentes ſe in antea nullam commiſſuros negligentiam, imò acturos enixè, ut tale in cancellis publicaretur miraculum. Quare demum pro ſecundo Divo Confeſſore Simperto ſuppetias ſeu auxilium ferente percepit ſanitatem.

Adeò quædam perſona fuit gravata morbo ingenti, ut ſibi nil aliud præter mortem imminere videretur. Attamen nihilominùs pro ſanitate recuperanda votum emiſit, Sepulchrum Divi Simperti quibusdam cum oratiunculis accederet, ac unum ibidem nummum offerret, ſicque altiſſimo favente validitatem indepta eſt bonam.

Optimæ quidam converſationis adoleſcentulus per plures annos vertigine capitis graviter moleſtatus: Unde, poſtquam in honore Divi Patris Simperti ſe ſpecialem quotidie dicturum orationem promiſit, gratioſè liberatus fuit.

Guttur cujusdam perſonæ in tantum fuit tumefactum, ut quaſi mortis eſſet conſtituta in articulo. Voto autem per eam facto una cum oblatione nec non oratione beato ſcilicet Patri Simperto, ab iſtiusmodi ſe liberatam gaudebat diſcrimine.

Quidam puer tres circiter annos ſeu per tres annos gibbum admodum deformem habuit, qui tamen meritis beati Simperti ab eo ſublatus eſt, quoniam id à parentibus inſtantiſſimè poſtulatum fuit: cujus etiam causâ ad ſancti promiſerunt ipſum puerulum una per corpus cum lumine capellam ſiſtere velle, dum expers fieret iſtiusmodi deformitatis, ſicut poſtea contigit: nam priſtinam accepit ſanitatem.

Quædam perſona dorſi cruciatu graviter conflictata ſancti Simperti ſpopondit ſe una * cum cereo lumine mauſoleum inviſere velle, unde ejusdem opitulatione commeruit ſanatum iri.

Eodem tempore Petrus Weiſs de Meringen infantem calculoſum nondum ſemeſtrem habuit, cujus per tumbam meritis ſancti Simperti octo lapilluli quantitatis piſarum exivere (nam lapillos cuſtodi præſentavit) ac eos ſervatum iri valdè rogitans, ac publicè monſtrari cum maxima gratiarum actionum relatione.

Virgo quædam longo cæcutiens tempore ſancti Patris Simperti orationibus viſum obtinuit clarum, votô prius emiſſo, quòd apud ejus ſepulchrum beatæ Virgini MARIÆ unum oraret Roſarium.

In Finningen rureſtri Petrus Prunner cœcus fuit annis tribus in uno oculorum, cui tandem, ùt beato Simperto fecit votum, lumen ejusdem oculi reſtitutum eſt.

Puer cujusdam Matrisfamilias tam vehementer vermes habebat, ut mortis quaſi periculum incurreret. Poſtquam autem ad ſancti Simperti tumbam uno cum lumine cereo ſecundùm corpuſculi latitudinem fuit devotatus, ſtatim expectatam ſanitatem ſuſcepit.

Udalricus piſcator Auguſtenſis incola ruptus viginti annis fuit. Idcirco quàm maximè ſancti Simperti ſupplex petiit juvamen, ſéque cum media ceræ libra ad mauſoleum ejus devovit. Hinc DEUS, cui nihil eſt difficile, rupturam iſtiusmodi

* Cod. uno.

di ab eo meritis beati Simperti usquequa- A. que sustulit.

Dolor magnus caput cujusdam mulieris invaserat, qui tamen meritis sancti depellitur Simperti, voto postquàm se strinxit ejus sepulchrum visitaturam isthicque juxta capitis latitudinem ceream accensuram. Stephanus Werenhofer de Lantsperga puerum habuit phreneticum quem cerea cum effigie instar puerull plasmata sanctum ad Simpertum vovit, cujus & meritis sanitatem percepit.

Barbara Mayrin de Limershausen similiter intercessione Divi Simperti, cui fecerat votum, mederi à DEO meruit in B. ruptura, quam viginti quinque annos habuerat.

Eadem præterea tempestate Udalricus Tockler de Graben per semiannum ita morbo fuit affectus, ut è lecto & surgere & propriis non posset viribus, & ad cerebri tantam veniret exinanitionem, ut tum sensus tum rationis fieret expers, adeoque nullum agnosceret hominem. De quo conjunx ejus quàm plurimùm doluit, propemodum mariti solatio desolata: per aliquot dies lachrimas effudit abundè. Postremùm auditâ miraculorum fama, quæ fiebant ad beati Sim- C. perti sepulchrum, illuc & ipsum maritum recuperandæ sanitatis gratiâ lineis exutum ac discalceatum devovit. Quid plura dixerimus? Nam DEUS, à quo dependet Cœlum & terra, mirabilis in Sanctis suis existens interventu, ùt piè creditur, Divi Simperti intra quindecim dies tantum roboris viginti horis præfato dedit Udalrico, quo illa, quæ uxor voverat, ipsemet persolveret, ac quæque, ceu dicta sunt, custodi referre posset.

Habebat quædam persona in uno brachioru usque adeo crebras & magnas puncturas, ut quiescere nullo potuit tem- D. pore. Hæc sancti Antistitis Simperti implorabat juvamen dejurióque figens se, dum sanaretur, brachium cereum sub ipsius oblaturam bonore: quo peracto quivis dolor brachii opitulatu beati Simperti propulsatus est.

CAP. IV.

Ope S. Simperti hernia, paralysis, epilepsia &c. profligata.

Martino Stinger de Viscbach eatenus collum tumuit, ut nec comedendi gratiâ hiscere per aliquot tempus potuerit. Demum verò dum voto se astrinxit beato Patri Simperto, integram adeptus est sanitatem.

Persona quædam ingentes toto in corpore cruciatus perpetiens se ad sanctissimi Simperti mausoleum certis devotavit cum devotis oratiunculis, & sanata est.

Udalricus Eberlin ex Berckän puerum habens nondum binulum * existentem, qui admodum ruptus erat, posteaquam verò cum quartali ceræ ad sanctum devotarat Simpertum, è vestigio discrimen ruptionis elapsum est.

* *Ita Cod. f. l.* bimulum.

Quædam honesta mulier, cui nomen Magdalena Riederin de Purgen, per septennium existens paralytica, votum emittens, se quàm primùm ire posset, ad Divi Simperti honorem mediam ceræ libram sacraturam, sanitatis compos efficitur, & decima quarta die post votum ipsamet viri DEI tumbam accedens, quæ voverat, mancipavit effectui, gaudens sana domum repedavit.

Præterea Christoferi Franck filiolus gravi utique morbo laborans videlicet herculeo sive caduco, meritis sanctissimi Patris Simperti fit sanus, dum ad basilicam ejusdem Sancti unacum libatione devotatur.

Quædam mulier nomine Barbara Schulerin ex villa Purtenbach orta, per anni curriculum septem minus hebdomadibus valde gravi quassata morbo, præcipuè tamen tribus mensibus, in quibus totaliter clinica sive paralytica extitit, intercessione beati Patris jam dudum Episcopi Augustensis urbis sanitatem indipiscitur, quando Sancti se se promiserat invisere tumbam, atque illic libram ceræ nec non quadam alia velle ad bonorem DEI ac Divi Confessoris libatum ire.

Quidam nomine Magnus telarum orditor de Gesserhausen ultra triennium ruptus sumpta fiducia percipiendæ sanitatis per merita sancti Simperti semet ad ejus tumbam cum libra ceræ votivum reddidit. Nec id frustra fecit, quandoquidem usquequaque Divi Præsulis intercessione ruptura distollitur ab eo.

Honesta quædam persona in Augusta Retiæ, Ecclesiæ sancti Mauritii Parochiana puerulum solito more cum balnearet, subitò livescebat puer haud aliter, quàm mortuus foret. Quapropter nimis angusta-

guſtata neſciens prorſus, unde talis nigredo puero adveniſſet, Sanctum obnixè invocans Simpertum, infantulum quem quibusdam cum muneribus ei devoverat ſuppliciter commendans, ſicque puer poſt pauxilum temporis ſpatium reſpiravit, livórque paulatim priſtinum in candorem vertitur, ac medium circiter annum poſtea ſuperſtes fuit.

Mauritius inſtitor de Mindelhaym admodum quàm gravi menſibus decubuit tribus tali infirmitate, quam nec ulla quiverit levare medicina, quamquam ſæpiùs fruſtra phyſicorum adhibuiſſet operam. Quocirca (neceſſe quidem erat ad aliquem ut ſe, juxta quod in Job dicitur converteret Sanctorum) Divi Simperti quàm inſtantiſſimè flagitavit juvamen: votum faciens paulò mox convaluit. Nec illud certè puto prætereundem, quod mulier quædam duodecim propè annos rupturam perpetens, poſtquam annulum, quem habebat, argenteum ſe ſpopondit ſub honore præfati Confeſſoris oblatum ire, cunctipotentis gratiâ, qui cuncta reſtaurat verbo, ſanitatem percepit.

Job. 5. 1.

Alio ſimiliter tempore Divi Simperti declarata eſt Sanctitas. Nam Petrus Sartor de Kirchdorff puerum non adhuc bimatulum ſeu duorum annorum exiſtentem habuit, qui ſe bullienti jure ſive offa, quod ſuper ſe fuderat, eatenus læſit, ut nullam diéſque noctéſque voluerit habere quietudinem. Unde conſternatus animo præfatus Petrus obnixè ſanctum Simpertum, de cujus nunc miraculis audierat, rogitavit, puero ſuppeditare dignaretur, pollicens ipſum ſimul cum aliquo ponduſculo ceræ ad ejus tumulum, ſi mederetur, ſiſtendum eſſe. Miſericordia igitur Divina Sancti ſui precatu condeſcendens, puerulum à combuſtionis dolore prorſus liberum reddidit.

Fuit nuper fœmina, cui nomen Agnes Warhapperin, pagum Pergen habitans, quæ in uno brachiorum doloribus, quos ex quodam ſuſceperat caſu, cruciabatur magnis. Sed mox eam ipſam defecere dolores, ut beatiſſimo Simperto ſe oblaturam pollicebatur ferreum brachiolum, & ſic tandem melius habuit.

Quidam Auguſtenſis apoplexia dextri pedis & manus officium amiſit: poſt votum factum beato Simperto ſanus efficitur. Quædam fœminarum graviſſimas dorſi perpetens punctiones. Sed cùm ſe ad ſancti Simperti tumbam cerea cum imagine puerulum præſeferente votivam conſtituiſſet, omnimodam adepta eſt ſanitatem.

A

Auguſtenſis quidam Joannes Zolrer auriga exiſtens cùm una dierum ſua cum quadriga mercibus referta Nurnbergam verſus contenderet, onuſtum ſuper ipſum cecidit plauſtrum, ac uſque adeo quælibet ipſius membra comminuit, quò per triduum mutus omnino extiterit. Ad ſanctum verò Simpertum ubi cum libra ceræ votatus fuit, loquelam recepit.

B

Margaretha Stellin de Iglingen non longè ab oppido Landſperg diſtante cordis cruciatibus viginti circiter annos laboraverat adeò magnis, ut ferè poſt menſem vel ſex ſeptimanas Eccleſiaſticis præmuniretur Sacramentis (nam præ nimio dolore nonnunquam contingebat, quòd in inſtanti putaretur Spiritum efflatum ire) quæ tamen etiam ſancti juvamine Simperti non caruit, dum ipſius ad tumbam ſe cum lumine per corpus vovit, eò quòd tranſlationem ejus nec non miracula, quæ Deus mediante ipſo dignatus eſt operari, certo audiviſſet relatu.

C

Puer ſeptennis balneatoris, cui nomen Michael, in Margershauſen calculoſus in tantum extitit, ut ſæpenumero mortis ſubjaceret periculo. Pater autem ſe cum quinque perſonis pueri cauſâ ad ſancti Simperti tumbam vovente mox immodicus ſive magnus lapillus per ejus egreditur fiſtulam, quem poſtea cuſtodi porrexit, puellúmque mediante ſancti patris Simperti interventu ſanatum oſtendit.

Puella quædam nimia corporis infirmitate agitabatur eatenus, ut haud quidquam cibi deguſtare potens eſſet. Quare de ejus vita propemodum deſperabatur.

D

Verùm ea * Sancto ſe ſe devovit Simperto: bonam illicò valetudinem indepta fuit.

* *Cod. Verum is.*

Auguſtenſis quidam Joannes Purger vocitatus per biennium apprime capitis morbo, quem vertiginem indigitare ſolemus, laborans, votò factò beato Confeſſori Simperto una * cum cruciſero (pauper nempe fuit) uſquequaque dolor iſtiuſmodi tollitur ab eo.

Virgo quædam per ſemeſtrem ſanè quàm magnis in periculis ac tribulationibus extitit, ita ut nullo poſſet ſe remedio

ex

ex his evolvere turbis. Unde fiducialiter se sancto comendavit Simperto (qui certè fidelis, ceu propatulum est, in periculis existit assertor sive liberator) cujus etiam opitulamine liberata est.

CAP. V.

Oculi, dentes, caput, brachia &c. ope Sancti curata.

EOdem tempore Benedictus Roskopff ex Rain visus indipiscendi gratia (luscus siquidem in uno oculorum fuit) cum quartali ceræ sancto votum faciens Simperto, continuò Augustam versùs iter arripuit. Verùm in via (ut magis forsan sua probaretur constantia) tantos ventum ob validum tolerabat labores, (ut) aliquantisper, domumne repedaret, an prosequeretur iter, anceps esset. Parva nimirum spes sibi erat perveniendi ad limina. Postea verò in se reversus, DEIque ac Confessoris beati Simperti, cujus in honore viam ingressus fuerat, fretus auxilio proficiscitur ultra. Nec fides ejus nec tanti laboris fatigatio mercede justa frustratur. Sanctus enim Simpertus voti compotem suum faciens famulum: quoniam oculi acies perdita suis meritis, quando haud multùm longè progressus fuit, restituta est. Huic veluti duobus è fratribus in Divi Udalrici Monasterio professis die sequenti, postquam factum erat, in præsentiarum cujusdam viri perquàm honesti consanguinitate sibi devincti ipsemet magno cum gaudio ad DEI gloriam enarravit Confessorísque sui Simperti.

Quædam persona dolore dentium in tantùm affligebatur, ut nullam prorsus quietudinem habere posset. Invocato autem sancto Simperto ab ea, spopondit se quotannis ipsius profestum jejunaturam & candelam & dentes cereos ad ejus mausoleum oblaturam. E vestigio restituta est incolumitati.

Cuidam similiter virili personæ caput dolebat valde: qui tamen dolor beati Simperti meritis depellitur, quàm citò huic juxta capitis latitudinem unum lumen devovit.

Nec silendum reor, quod paucos ante dies quædam persona se ad quemdam hujus Monasterii veriloquum contulit, maximos se dolores in uno brachiorum se habuisse asseverans. Sed is suum beato Simperto polluxerat annulum, sanitatem omnimodam quàm primùm nactam fuisse. Cùm igitur votum, quemadmodum par fuit, persolvere vellet, alia supervenit persona rogitans sibi annullum vendi, pecuniámque eandem beato Simperto offerri. Hæc eadem itáque petitioni consentiente, statutóque die, qua pecuniam perciperet, cum concladium seu annulum dare vellet, mirum dictu! ipsum reperit fractum esse.

Fuit nuper Joannes Gremenbach in Memingen quindecim septimanis oculis captus, qui postmodum, sancto suppetias ferente Simperto, cui votum emiserat, illuminatum iri commeruit.

Anna Frein de Engelried oriunda in uno oculorum per biennium lusca fuit, quæ tandem beatissimi Patris Simperti opitulantia visum recepit facto priùs voto, quòd ipsius Sancti quotannis, id est: singulis annis inviseret tumbam.

Thomas Cerdo de Thonhausen omnibus in membris sanè quàm magnam per quadriennium sustinens debilitatem mediante Divo Simperto post votum factum meritis, vires eorundem percepit.

Fuit nuper magnæ honestatis persona, quæ duos se se cereos secundùm corporis & capitis sui latitudinem sanitatis impetrandæ gratia, (decem siquidem circiter hebdomadas graviter vexata fuerat infirmitate) ad sancti Simperti sepulchrum spopondit daturam, sícque suffragantibus beati Patris orationibus, quàm primum fuit potita corporis sanitate.

Contingit, quando DEUS etiam nobis in tribulatione existentibus nec supplicantibus suorum propter Sanctorum merita subvenire dignatur, ceu sanè quàm liquidò Lector quisque studiosus ex sequentibus dignoscere poterit. In loco enim quodam Hailbach nominato, vir, cui nomen Joannes Eberlin, degebat. Huic dormienti per somnium beatus est visus astitisse Simpertus: age verò, dicens, me invocato, tum (propria quippe domus sibi flammis exuri videbatur) ab incendio liberabere. Porrò visionem expergefactus flocci pendebat, potissimùm quia necdum quidpiam super Divi Patris acceperat sanctitate. Contigit autem non longo post tempore, (in sancta utpote vigilia paschæ) cùm intempesta nox esset, domunculam, ubi furnus erat, flagrare,

re, quibus ex flammis etiam stabulum cœpit [A] exuri. Neglecta nimirum solent incendia sumere vires. Tunc ubi expertectus talia videns, quid factu foret opus, omninò ignoravit, maximè quia magno ab hominibus segregatus fuit discrimine: domus enim ipsius seorsum in campo situabatur. Demum verò sibi, quam dudum dormiens habuerat, visio in mentem veniens lachrimabundus beati Patris flagitavit adjumenta: heu, heu! clamitans, destituor auxiliis, nec ab igne possessiunculam quivero tutare meam. Mi Patrum Sanctissime! quemadmodum noctu præcepisti mihi, præstes auxilia. Supplex [B] igitur tuum deposco subsidium, quævis tuæ recomendans fidei. Faxis proinde tuo nunc oramine hæc grassari cesset flamma, ulterius ne progredi ausit, ne per hanc omnis mea pessumeat substantiola. Mirum dictu! Vix in hunc modum finiebat verba, ignis quælibet dimisit ædificia, idque factum esse Divi Simperti meritis nemo fuerit, qui dubitet.

Agnes Stretlin de Dingna, quæ tribus annis paralysi decumbebat, sancti Simperti opitulatu fuit restituta valetudini, postquam se lumen per corpus & unum cruciferum in ejus honorem vovit offerre [C] velle.

Joannes Sutor de Suterzhoffen triennem habens filium. Is casu, nescio quo, . . . existens hebdomadarum in genitalibus rupturam suscepit. Qua de causa ipsum media cum libra ceræ ad sancti Confessoris Simperti devovit tumbam, sicque ejus meritis propitiante DEO, à quo omnis medela, sospitatem indeptus est.

Quædam persona maximè ultra rationem majorem in modum rupta, spondens se juxta sepulchrum sancti Simperti Dominicam orationem cum totidem salutationibus [D] Angelicis septuagies septies oraturam, nec non cereum illic oblaturam pergratiosè ab eadem liberatur ruptura.

Cuidam Augustensi, nomine Laurentio Winter, filiolus erat, qui matris ex utero digitellorum carebat articulis. Quocirca motus pater, haud secus quin nihilo eadē puero membra fuerunt, quàm mancus si extitisset, ipsum ad beatam Virginem in crypta, quæ in cœmeterio juxta Monasterium sancti Udalrici situatur, & ad sanctum Simpertum devovit, ipsorum pueri causâ magnopere flagitando suppetias seu auxilia, quæ postea fuerunt secutæ: quia digitorum & articulorum ac manuum officia precatu beatæ Virginis & Divi Antistitis Simperti usquequaque & ex toto sortitus est.

CAP. VI.

Plura ejusdem generis miracula.

Honesta quædam materfamilias multo jam tempore gravi afflicta morbo, ita ut physicorum eam medicari valeret nullus, cùm tamen multum studii operæque in quærendis remediis posuisset, cum cordis intenso affectu sancto se Simperto recommendavit, votum emittens de quibusdam implendis ad honorem Sancti, ut sanitatem indipisceretur. Unde factum est, quò beati Confessoris interventū talis morbus ab ea tolleretur.

Puerulus quidam eatenus gravi afficiebatur infirmitate, quò vel parentes de ipsius vita desperarent, quamquàm nihilominus beatum obnixe rogitarent Simpertum, quatenus puero dexteram daret seu auxilium præberet, spondentes se se ceream effigiem instar pueri sub ejus honore oblaturos. Quid plura? Vix votum emiserant, extemplò seu continuò puer meliùs cœpit habere, ac tandem Deo suffragante ob sancti Simperti merita omnimode convalescit.

Digitus cuidam mulieri ex Haimhofsen adeousque exuberavit, quò instar manûs quantitatem complecteretur. Huic memoriæ succurrit beati Simperti sanctitas & miraculorum gratia, quæ dicebatur de illo sumptâ fiduciâ recuperandæ sanitatis, sepulchrum ejus adiit, ac inter orandum digitulum purulentum seu sanie plenum super altare Confessoris posuit, qui parvum post intervallum medius crepuit, saniésque plurima ex illo mirificè fluitans voti compotem fecit mulierem.

Sixtus Hegeling in Fischach puerum habuit qui præ magna corporis infirmitate neutiquam stare vel aliquorsum transire valuit, ceu ejus loci Parochianis quibuslibet constat. Unde parentes ejus audientes miracula, quæ Divina misericordia per sanctum Simpertum patravit, ipsum puellum Sancti * commendaverunt fidei, votivúmque hunc constituentes

* Cod. Sanctæ.

tes obnixè postulârunt, sospitatem filiolo impetraret. Sequenti proinde luce surgebat è lecto, transiens, ubilibet locorum cupiebat. Simperti verò id meritis accidisse nullus est, qui deneget.

Persona quædam valdè honesta (prædestinati etiam aliquando testante Scriptura fornace Babylonica probantur acriùs) ingentibus tribulata tentationibus, per interventionem beati Simperti fuit ab eisdem liberata, postquam votum duabus cum Missis & annulo suo Antistiti fecit Sanctissimo, scilicet Simperto.

Accidit eadem tempestate, Petrum Has in Hirblingen habere puerum, qui duos circiter annos fluxu capitis admodum discriminoso fatigatus fuerat. Sed tandem quibusdam cum oblationibus ad viri DEI Simperti devotatus sepulchrum ad statim incolumitatem percepit.

Quædam matronarum malum habens pedem, aliquarum candelam librarum ad beati Simperti tumbam vovit: deinde illico sanitatem accepit.

Sympertus Sartor ex Hymelstetten per quadriennium uno in latere gravissimos eousque pertulit dolores, ut ipsum sæpenumero ex talibus propemodum mors sequeretur. Qui tandem sanitatis potiundæ gratiâ quartale unius libræ de cera recepit se se ad viri DEI tumbam Simperti oblaturum: sicque Divi interventu Simperti sospitati fuit restitutus.

Honestissima quædam mulierum, ùt puerum enixa fuerat, magnam incidit corporis infirmitatem, quæ tamen miraculosè propulsabatur ab ea meritis gloriosæ Mariæ Virginis nec non beati Pontificis Simperti, quorum narraverat patrocinium, dejurióque se adstrinxerat, duos beatæ Virginis Rosarios in prædicta animarum crypta se dicturam, unam insuper candelam per ventrem sua cum oblatione ad Divi Simperti capellam sacrificaturam.

Meritis sancti Simperti puer annorum tredecim calculosus existens, sanatus, priùs tamen per genitricem suam facto voto singulis, quoad viveret, annis duarum unciarum cereum sub honore beatissimi Patris offerret. Istiusmodi nempe voto emisso complusculi per virgam ipsius exivere lapilli. Id autem precatu Divi Confessoris fore factum reor subdubitare hominem saltem sanæ mentis neminem.

A. Contigit, quandam personam duris agitari adversitatibus (sæpè quidem numero DEUS quosdam remordet adversis, ne longa felicitate luxurient) quæ postremùm Divi Simperti opitulamine, cui se commendaverat, erepta fuit ab eisdem adversitatibus.

Michaël Tabernarius in Maningeria annis quatuordecim, quia calculosus, ingentes perferens dolores miracula, quæ DEUS suum per Sanctum, scilicet Simpertum, operabatur, vero accipiens relatu sanitatis percipiendæ gratiâ se monu-

B. mentum ipsius spopondit invisurum, & in quantum posset, propriis de rebus ibidem oblationem peracturum. Quibus magna cum fiducia & sancti Patris invocatione pollicens, magnæ quantitatis lapillus per tubum viri exivit, quem postea, dum promissa effectui manciparet, custodi consignavit.

Quædam familiaris in urbe Vindelica, quam etiam fortuna malefida compluribus aliis in rebus spernere solebat, menses sive menstrua citra consuetum morem quàm graviusculè patiebatur: quò fiebat, pauperiem tolleraret immodicam seu ma-

C. ximam. Etenim ancillari nequibat, quemadmodum par fuisset, cùm tamen aliunde non haberet, quibus vitam degeret. Hæc itaque Divi Simperti audiens miracula, cœpit ipsius maximopere rogitare juvamina pollicens sub honore ejus duo se daturam numismata viduam zelans Evangelicam, quæ duo æra minuta obtulit. Inde, quoniam DEUS non donum, sed bonam pensitat voluntatem, beato intercedente Confessore nunquam passa fuit tam graviter menstrua, ùt priùs.

Petro Sacerdoti de Engelsperg, qui ex

D. quàm maxima, qua sex laboraverat hebdomadibus, infirmitate factus fuerat menceps, tertiò divus apparuit Simpertus, adstruens, ipsum sanitati restituendum, cùm suum ad mausoleum faceret votum. Ex hoc itaque motus homo, præsertim quia jam ter hujusmodi visionem habuisset, dejurio decrevit se cum aliquantulo ceræ tumbam gloriosi Confessoris invisurum. Quod votum, compos animi posteaquam fiebat, interventu beati Patris Simperti complevit.

CAP. VII.

Puer calculi cruciatibus liberatus. Ab alio fascinum depulsum. Cinis non sine malo à Sancti tumulo ablatus &c.

SExto Calendarum Novembrium die Anno Domini 1491. quædam inprimis ac præcipuè magnæ bonestatis Materfamilias ex Gundelfingen se se una cum filiolo suo, tertium decimum agente annum, ad sanctissimi Patris Simperti jam olim Episcopi Augustensis Sepulchrum conferens: quæ suum perbibuit filium per aliquot calculosum extitisse annos, atque per quendam, ùt putabatur, Chyrurgicum, incidendo, quemadmodum tali morbo laborantibus mederi solet, hunc fuisse sanatum, sed haud longo post tempore in eandem recidivâsse infirmitatem: quapropter & se maritúmque suum super hoc admodum fuisse coangustiatos, nescientes, quid facto opus foret. Dehinc sibi (ceu matres facere consueverunt) diésque noctésque cogitanti, quonam modo mederetur filio, ad mentem veniebat se lineis exutam vestibus debere vovere peregraturam eodem cum nato ad præfati Pontificis tumbam. Quo scilicet voto emisso, mox noctu per ipsius tubum, id est urinæ fistulam, decem non parvæ quantitatis scrupi exivêre.

Bernardus Sutor ex Oberbalbach per quatuordecim hebdomadas in tantum & anxietatibus & curis, nescio, quibùs, apud semetipsum excruciabatur, quò diésque noctésque quiescere non valuit. Unde haud ab re seu ratione suspicabatur se fascinatum, præcipuè cum causam tantarum nesciret anxietatum. Hinc quoniam bumanum sibi conspicabatur deesse auxilium, vovit, se Montem Sanctum * ob bonorem gloriosæ Virginis MARIÆ invisurum, & Divi Simperti accessurum tumbam, istísque mediam ceræ libram oblaturum, quatenus vel eorum saltem patrocinio ab istiusmodi eximeretur molestiis, sicuti postea contigit. Nam breviter prorsus fuit liberatus ab eisdem vexationibus.

* *Id est: Monasterium Andecense in Bavaria.*

Pridie Calendas Decembris, sive in die sancti Andreæ Apostoli Anno Domini 1491. cùm Divi Simperti Augustensis jam olim Episcopi corpus secundariè fuit inventum, sanè miraculum notatu dignum

A. accidit. Mulier enim quædam nomine Agnes Peuterleini de Waltpach prædictæ intererat inventioni, quæ clanculò terræ aliquantulum, ubi sancti Confessoris requieverat corpus, rapiebat, suis confidens oculis, qui tum perdolebant sibi, restituí sanitatem, dum bosce terra deliniret illa. Verum longè aliter, quàm æstimaverat, usuvenit aut contigit: quandoquidem non post talem surreptionem tres boræ fuerant elapsæ, cùm terra istiusmodi convertebatur in lapides, tametsi seu quamvis nec si mulier pœnitentiam de furto, quamvis etiam pio, egit: quia tales secum

B. asportavit domum. Quò perventò gravissimum incidens morbum ac tantisper in bujusmodi ad mortem periclitabatur, sex scilicet bebdomadas, donec & sublata promisit se reportaturam, & ceram in satisfactionem vel potiùs in Sancti, quem læserat (ceu creditur) placationem ad ejus oblaturam tumbam. Posthac indies sibi corporis robur magis ac magis restituitur, usquequo sanitatem omnimodam percepit.

Puer puarundam personarum corporeis agitabatur morbis, & usque eò gravioribus, ut parentibus ipsis super vita ejus

C. spes esset nulla. Sed memoriæ eorum succurrebat subitò & sanctitas beati Simperti & miraculorum gratia, quæ passim & ubique de illo dicebantur. Sumpta fiducia, puerum cum quibusdam donationibus Sancto devinciunt & obligant, vitámque ejus fideliter petunt. Unde factum est, quòd haud longo post tempore sanctissimi Patris interventu pristinam recuperârit sanitatem.

Quædam persona, postquam gravibus circumdata cruciatibus, Divi Simperti meritis ab eis liberatur, quando se uno cum Rosario beatæ Virginis ad ipsius de-

D. vovit tumbam.

Adam Gietter de Thonbausen, cùm febriret seu febrem pateretur eatenus, ut animam propemodum exhalaret, sancti Simperti maximopere flagitavit juvamen spondens navare operam, una Missa sub honore Divi Antistitis diceretur, & quia oblationem possetenus tumbam ad ipsius Simperti offerret. Hinc continuò cùm invocaverat patrocinia, sanus evasit.

Conrado Zenhart ex Desingen, qui per triennium cœcus fuerat, beati Confessoris Simperti, cui votum emiserat, inter-

interventione visus sibi plenè restitutus est.

Quædam mulier gibbosum habens puellum, quem sancto commendavit Simperto: cujus patrocinio pauculos post dies fuit exemptus à tali prælibatæ corporis deformitate.

Capitis fluxus item meritis Divi Simperti à quodam depellitur puerulo, postquam parens ejus annulum suum in honorem viri DEI se vovit oblaturam.

Quædam mulier de Zuzmerhausen in die sancti Thomæ Apostoli venit Divi ad Monasterium Udalrici, quæ doloribus dorsi ac pedum usque eò per sedecim hebdomadas se perhibuit fuisse afflictam, ut neutiquam & nullo modo aliquo meare quiverit, donec ea ad sancti Simperti sepulchrum se transituram decreverit ac xeniolum in ejusdem Sancti honore oblaturam spoponderit, subitò pristinam se indeptam fuisse sanitatem.

Item puellus Petri Kugel de Gesserhausen meritis beati Simperti sortitur sanitatem (cùm tamen biennio debilitate corporis laboravisset) ubi ad sarcophagum sancti Patris cum lumine ac uno numismate votatus fuit.

Margaretha de Aix similiter sancti Patris Simperti interventu medetur ab infirmitate perquam magna, postquam se tumbam ejusdem Sancti cum quodam oblatione proposuit accessuram.

Joannes Kunig per trimestrem corporis & animi maximis circumdabatur anxietatibus, neque, saltem humanitus, faciliter talibus eximi potuit. Quocirca sancto Simperto vovit se quot annis unum oblaturum denarium, obnixè supplicans, ut suam dignaretur misereri ærumnam, & eam ipsam Sanctis orationibus eliminatum ire, quod & secutum est. Nam brevi postea utriusque hominis tranquillitatem plenam beati Patris interventu sortitus est.

Ingentes quædam persona capitis dolores per notabile tempus perpessa, sancti Simperti meritis sanitatem indipiscitur, votò antea emisso, quo duas (quoniam non attendit DEUS pretium muneris, sed devotionem offerentis) sub ipsius Sancti honore aures libraret cereas.

Puerulus Erhardi Steirer precatu sancti Simperti à gibbositate, quam per quinquennium habuit, eximitur, statim

A postquam cum oblatione Sancto devotatus fuit.

Cuidam personæ oculi diu cæcultabantur & adeò graviter, ut etiam hostiam sacram, dum à Sacerdote in ara sublevaretur, neutiquam contemplari posset. Quæ tandem postquam sancto Simperto duos vovit oculos, è vestigio lumen sat competens * oculorum meruit obtentum iri.

* Cod. competentem.

Joannes Ziegler de Herbersthofen item à DEO, qui cuncta solo verbo restaurat, quadam in ruptura mediante sancti Simperi meritis sanatur, postea-

B quam eidem Confessori mediam se libram ceræ daturum pollicitus est.

CAP. VIII.

Cordolium sanatum. Voti S. Simperto facti negligens punitus &c.

Persona quædam de Zusmerhausen ad beatissimi Antistitis Simperti Sarcophagum se contulit, quæ cordis dolore per mensem, ùt adstruebat, quàm gravissimè fuerat affecta. Verùm ubi se se promiserit, parúmque ceræ (parvos equidem parva decent) ad sancti Sepulchrum ob-

C laturam, pristinæ mox fuisse restitutam sanitati.

Joannes Currifex de Pibraco tres circiter annos surdaster existens. Cui, postquam pileum suum siligine fartum Divo pollicebatur Simperto, auditus est restitutus. Verùm (quia) in persolvendo non fidelem se gessit, nempe capellum haud quaquam semel, quod voverat, plenum obtulit, justo DEI judicio iterum obsurdescebat, quatenus experiretur superis infidelem non solum stultam seu temerariam displicere promissionem. Unde homo mirandum in modum concul-

D catus factæ fraudis pœnitens adhuc siligine plenius pileum beato devovit Antisti. Quod ubi mancipavit effectui, mediantibus precatibus, quem invocaverat, impetravit auditum.

Quædam persona perhonesta graves tantisper dolores sustulit cordis, donec vovit se navaturam, quòd una in honore sancti Simperti legeretur Missa & suum in gazophylacium eleemosynam poneret, quin & quindecies orationem dominicam cum totidem Angelicis salutationibus suam circa tumbam oraret. His omni-

bus nempe promiſſis, hujusmodi cordis dolores mox ab ea eliminantur.

Sanitas itidem cuidam puerulo divi Antiſtitis Simperti precatu reſtituitur, poſteaquam uno cum lumine ac denario nec non beatæ Virginis Roſario ejus ad ſepulchrum fuit devotatus.

Quædam perſona quatuor circiter annos erebras propter punctiones circa cor anhelitûs (quia orthonoica. id eſt ſuſpirioſa fuit) quàm maximas habens difficultates, patrocinio ſancti Antiſtitis Simperti reſtituitur ſanitati, poſtquam ſe decies quotidie ſub ejus honore cum totidem ave Maria dominicam promiſit ſe dicturam orationem.

Andreas cognomento Hierzog de Purtenbach triennem habuit filiolum, qui præ terroribus inter ſomniandum ſaltem ad tempuſculum dormire non potuit: Unde ipſum ad ſancti Simperti tumbam unacum libra ceræ pro liberatione ejus duxit eſſe ſiſtendum: quò ſuis ab hujusmodi nocturnis phantasmatibus puer beati confeſſoris interventu liberatur.

Item eadem tempeſtate fuit mulier quædam nomine Agathes Tagwerckerin ingenti plusquàm quinque annis morbo prædita, cui nullus, (tametſi complures haburrit Phyſicos ea propter conſultos) mederi potuit, ideò forſan ceu piò creditur, [ut] hominibus clareſceret, quanti ſanctus Simpertus apud Deum eſſet meriti, cujus poſtea interventu (nam fecerat ei votum conſequendæ ſanitatis gratiâ) corporis firmitudinem accepit.

Præterea ſub idem tempus in vigilia nativitatis Domini quidam virorum volens, neſcio, quorſum proficiſci. Porrò quia viæ neſcius per ſex fermè horulas cœpit ultro citróque ſeu huc atque illuc per campum palare & vagari, nec ullo quivit modo (quia nix terram operuerat) regiam invenire viam. Idcircò ſe vix citra periculum ſive absque diſcrimine ad hominum poſſe pervenire conſortium omnimodè deſperavit. Verùm enim verò ſimul atque cum tribus Roſariis orandis totidémque cum luminibus ſe divi confeſſoris Simperti ſpoponderat ſepulcbrum acceſſurum, per merita ejusdem Patris iſtiusmodi exoneratur diſcrimine, ac viâ debitâ pervenit, quò tendebat.

Quædam perſona pedem aliquandiu malum habens: & poſtquam ſe ſancto

A. Simperto conſtituit votivam, peduſculi omnimodam indepta eſt ſanitatem.

Etiam alia perſona graviuſculos in jugulo aliquandiu dolores perpetens, ſumpta fiducia recuperandæ ſanitatis quadrantem ceræ ſancto devovit Simperto, cujus & meritis gratiosè ab iſtiusmodi fuit liberata periculo. Nam * etiam cuidam puellæ oſſiculum inter comedendum ad guttur venerat, ídque integrum per diem, tametſi plurifaria quæritaret remedia, haudquaquam extrahere quivit. Quocirca vel quamobrem, quoniam quovis alio fuit deſtituta adminiculo, ſancti Patris Simper-

B. ti cœpit flagitare auxilium. Tunc pauló mox, id eſt: ſtatim cum parvo intervallo mirum dictu! ipſius meritis omnem citra dolorem oſſillum è gurgulio tranſivit.

* *Cod.* Nam atq; etiam cuidam &c.

Demum jam in calce ſcribendorum miraculorum haud omittam miraculum planè notatu dignum.

Monaſterium ſancti Martini Prenzenhauſen ordinis divi Benedicti Auguſtenſis diœceſis Oeconomum, quem Latinè diſpenſatorem ritè dixerimus, & nonnulli magiſtrum curiæ indigitant ſeu vocant, domus ſuæ, quam tunc in ſuburbio Gun-

C. delfingen poſſederat, habens, cui nomen Thomas Franck, qui per quatuor circiter ſeptimanas adeò gravibus omnium viſcerum ſtimulabatur doloribus, ut deſperatus propemodum ab omnibus fuerit. Nequibat enim vel cibi vel potûs pitiſſare quippiam. Omnia ſiquidem ſtomachabatur cibaria. Quo fiebat, ſibi aſſiſtentes nihil præter mortis horam in eo præſtolarentur. Subitò autem (nec dubium quin divinitus, quia ſine divino numine nil ſalutis inſpiratur homini) huic in mentem veniebant miracula, quibus confeſſor ſanctus certè Simpertus in Auguſta pollebat

D. Vindelica. Qua de re intimo ex corde flagitare ſanctum orſus eſt, quatenus & ſibi maxima in corporis debilitate conſtituto dignaretur ſuppeditare ſeu auxiliari, pollicens, dum convaleſceret, ipſius mauſoleum pariter cum conjuge ſua inviſurum, ac illic oblationem argenteam ſacrificaturum. Quid plura? Nondum infirmus plenè votum emiſerat, meritis ſæpè dicti Patris Simperti ſuffragantibus per Dei gratiam, à quo omnis medela, viribus forteſcere cœpit, ac priſtinæ tandem fuit reſtitulus valetudini. Fecit autem Deus, ſuis in ſanctis exiſtens mirabilis, hoc miraculum

lum per beati confessoris sui Simperti merita Anno Christi 1493.

Finiunt miracula, quorum laude coruscat &c.

CAP. IX.

Quibus miraculis Anno 1494. *Divinitas sanctum Præsulem clarum fecerit Simpertum, subinferam.* *

*Ita Cod.

Vir quidam discretus & ætate ac moribus fidem dictorum præferens, Joannes Gros dictus, de oppido Weringen nuncupato, per viginti circiter annos pedis unius inflatione adeò gravatus, ut ad opera, per quæ sibi victus necessaria acquirenda erant, plerúmque prorsus invalidus redderetur, votis hic Sancto Pontifici cum oblatione emissis, meliùs mox dum habere inceperat, atque morbo dietim penitùs recedente, sui benefactoris oblitus, dum per eum vota reddere, atque ad sepulchrum viri sancti se præsentare differret, morbo redeunte priores dolores cum pœnitudine dilati voti gemere cœpit, & lamentabiliter sancto unam libram ceræ offerens, veniam postulans. Quid autem huic viro post hoc contigerit, & utrumne postea priora beneficia sanitatis per intercessionem Confessoris Divinitas in eum iterum contulerit, mihi non constat.

Quædam honesta mulier Anna Wagnerin dicta de villa Fischbach mirabilia de sancto Patrono nostro retulit Simperto. Hæc enim per duos integros annos brachium dextrum adeò per vehementissimos dolores sibi inutile redditum ait, ut non solùm ad ullos labores inutile* sibi fuisse, sed & ex vehementia doloris plerúmque in furiam se penè versam adstruebat. Ego porrò ex clara ejus narratione maleficiis eam adactam fuisse æstimo. Hæc igitur dum vi doloris in diversum cogitabunda, utrum de cætero posset reconvalere, si sancto Simperto se devoveret, imaginaretur, nec tamen votum voveret deliberata, subito ignotum sanitatis vigorem brachio infundi, morbúmque sensim recedere advertit, quæ nil certiùs, quàm à sancto Pontifice Simperto hoc sibi donum sanitatis collatum, quod animo revolverat votum, mox opere cum oblatione complevit, veniénsque in die Sancti Augustini anno 1494. ad sepulchrum octavam partem libræ ceræ laude cum eximia afferens.

*Codex inutilem.

Puellus triennis dum lapillo urinæ vetante meatum nimiis doloribus ad extrema penè venisset, parens ejus colonus villæ, dictæ Arlosried provinciæ, dictæ Reifschensw, dictus Michaël Gleich, dum filio misertus sancto Simperto cum oblatione ceræ votum vovisset, mox sequenti nocte puerulo dormiente lapillis absque dolore decedentibus integram recepit sanitatem.

Addidit præterea beatus Pontifex Simpertus suam magnificare gratiam cum viro prædicto. Nam filia ejus puella duodennis, dum ùt solet, foris domum cum pueris luderet, fortuitu equi ibidem decurrentis impulsu in terram collisa átque altero brachiolo graviter læsa graodi parentes perculsit mærore. Qui dum inter angustias deprehensi patrocinium sancti aoustitis, de cujus fama plura audierunt, cum voto & oblatione explevissent, mox ejus beneficium in sanitate filiæ magnificè suot experti, quod humiliter ac devotè petierunt.

Michael Stosser nostræ Ecclesiæ parochianus, dum subitò rupturam passus intestinis defluentibus ad omnem laborem inutilis redderetur, calamitatem suam granditer ingemisceret, tandem meritis sancti Pontificis Simperti adjutus. Nam voto supplici emisso omni scilicet die vitæ suæ specialem depromere orationem, nec non singulis diebus dominicis oblationem offerre, extemplò deinde curatus non frustra se tanti Patroni opem implorâsse gavisus est.

Quædam honesta mulier Anna Huberin de Mindelsbaim in partu anxia [cùm] periclitaretur, voto & ipsa cum oblatione pepli, quo caput ornare consueverat atq; ceræ partem à partu præproperè liberata, Salvatori suo ac almo Pontifici Simperto gratias ingentes reddidit.

Bartholomæus de Czusenalthaim dum puerum suum tenellum quiddam in degluttiendo adeò propemodum suffocatum, ut facies ejus jam ad instar carbonum denigraretur, sancto Pontifici pro ope devovisset se aliquid oblaturum mox præter æstimationem liberatum incolumen cum eximia gratiarum actione & lætitia suscepit.

Inflatum dum habuit os Appollonia Kezin

Kezin de Hasselbach mulier perquàm honesta atque eousque turgentibus per colla venis per quatuor hebdomadas tumidum, ut jam nil certiùs quàm defluente ad præcordia sanie mortem inferre existimares, facto votô Præsuli cum ceræ oblatione sanitatem recepit integram magno cum jubilo cordis.

Leonardus Küng de oppido Echingen, dum quatuor annorum filium diris per tres continuos dies clamoribus ex dolore calculi cunctos inquietantem Sancto Simperto cum oblatione ceræ devovet, lapillo ultrò progrediente præter spem subitò quietum atque ab omni dolore liberatum puerulum amplectitur.

Anna Prunaweini de villa Lechausen per quatuor continuos annos ventris & præcipuè fœminarum continuis gravissimisque doloribus defatigata, ita ut plerúmque ad omne opus redderetur inutilis, dum se sancto devovisset Simperto, sanata est profectò.

Civis quidam hujus civitatis vir inter præcipuos non mediocris, & se per quatuor continuas septimanas ad capitis doloribus & ventris vehementissimis torsionibus vexatum, dum beatæ Mariæ Virgini in crypta mortuorum ac sancto Præsuli Simperto vovisset votum, misericorditer ac integrè se sanatum retulit.

Mulier quædam honesta vidua pauper de Radawcastro in die Assumptionis Mariæ puellum unum cum munere octavæ partis talenti ceræ sancto Simperto obtulit. Hic dum ante paucos dies phrenesi terribiliter adeò agitaretur, ut vitam jam eum vel modicam habere diffiderent omnes, votis cum supplici prece sancto Pontifici à matre ipsius, quam ampliùs pueri arctabant discrimina, oblatis, mox puer à phrenesi liberatur. Intumuerat præterea testiculus pueri unus vehementer, qui liberatus à phrenesi, & ab hoc dolore eum posse liberari matri spes erat in sanctum Simpertum plurima, devovit Sancto, solvit sponsa, & integram à Deo meritis sancti Simperti obtinuit sanitatem.

Quidam Andreas nomine ex prioribus hujus civitatis dolore capitis ventrisque per quatuor septimanas defatigatus, dum se beatæ Virgini in crypta mortuorum ac sancto Simperto cum oblatione devovisset, morbo abeunte statim se sensit sanatum.

Anna Prumillerin de Meringen in puerperio molestissima infirmitate adeò gravata, ut tribus continuis diebus clamoribus cunctis secum manentibus requiem omnem negaret, dum sancto Simperto cum oblatione devoveretur, dolore sedato sibi aliísque quietem concessit.

CAP. X.

De miraculis, qui anno 1495. ope S. Simperti patrata sunt.

ANno 1495. vir quidam inter primos hujus civitatis cives haud infimus asserebat, quia, cùm jam ante paucos dies ad thermas perrexisset una cum uxore sua seu ad balneum naturale, & jam media via occulto Dei judicio comitantem uxorem alienationem mentis omnimodam incurrisse [cerneret] quis inde dolor pudorque virum hunc tenuerit honestum, dicat qui potest? Anxius itaque & omni humano nudatus auxilio, Deo sanctísque ejus supplices dedit preces. Denique inter omnes alios Sanctos, quos precibus votísque interpellabat, sancto Simperto peculiariter causam commisit uxoris. Mira res! Nulla intercedente temporis mora uxor ad mensam reversa paucos intra dies omnino convalescens Deo sanctísque ejus, ac præcipuè beato Simperto cum voti solutione debitas pro beneficio tanto retulit gratiarum actiones.

Margaretha porrò Diettrichin dicta vulnere periculosissimè passa, ut anhelitu jam propè intercepto, vitam etiam ipsam se amissuram trepidaret, dum cum voto ad sancti Præsulis auxilium confugit, mox periculo omni abeunte frustra se id nequaquam fecisse sensit.

Quidam Colonus de oppido Inningen referens, quia, cùm dimidio propè anno elapso filium pestilentia mortaliter percussum, sancto Simperto cum media libra ceræ pro vita impetranda devovisset, atque statim puero sanato votum reddere distulisset, apparuisse sibi in somnis visibiliter sanctos Udalricum & Simpertum, & sancto Simperto quidem quasi indignabundo pro voti dilatione atque comminando abire disponente, sanctum autem Udalricum perstitisse, atque ut votum statim redderet, ne indignationem & vindictam sancti Simperti incurreret, persuadentem.

Elisabeth Rymlin de oppido Bobingen

gen tantis capitis doloribus per septem A. defatigata hebdomadibus, ut vi doloris auditûs usu perdito, rationis quoque officium jam jam amissuram timeret, dum se inter angustias apprehensa sancto Simperto cum oblatione & sacri Sepulchri ejus visitatione devovet, sana in paucis illico diebus effecta votum cum gaudio reddens, benefactoris sui Simperti laudes extulit.

Bernardus Stolz de Betmüs Servus strenui militis Domini Georgii Gumpergers, dum quadam adversitate adeò mente gravatus atque conturbatus esset, ut tribus continuis horis absque sensu omni B. atque loquela velut moriturus jacuisset, dum per anxiam nimirum atque contristatam suam uxorem sancto Simperto cum cerea imagine atque visitatione ejus sepulchri devovetur, statim sensu loqueláque receptis patroni sui Simperti ipse gaudens circa ejus sepulchrum cum uxore pariter comitante retulit.

Inflata erat facies mulieris cujusdam ex Parochia nostra, Dietpurgis nomine, vehementer adeóque in pejus proficiens intumuit, ut communem flatum cum vita mox eam amissuram nemo hæsitaret. Denique tanta ejus faciem deformitas ob- C. duxerat, ut aspicientibus, non hominis sed larvæ species appareret. Cùm igitur ad extremam jam defunctionem devenisset, sancti Confessoris miserorum consolatoris Simperti recordata vovit, ut eum oblatione octavæ partis talenti ceræ . . . Quo facto mox mirum in modum sub unius horæ spatio inflatio in putredinem versa sanè per buccam copiosissimè defluente mulier sanitati pristinæ eximio gaudio restituitur.

Vir quidam honestus Joannes Balneatoris dictus de villa Ostendorff propè Kaffbeirn integro anno vehementissimis D. absque interpolatione ventris doloribus agitatus ad cunctos penè labores invalidus, dum se sancto Simperto devovet atque cum oblatione ejus sepulcbrum nudis pedibus visitare promittit, mox sequenti die morbo ex integro recedente ad diu sibi insuetos labores impiger progreditur.

Mira dicturus sum. Accessit ad tumbam sancti Simperti quædam mulier Elisabeth Narcissin dicta de villa Pucbel gaudio ipso ac gratiarum actione. Narrabat quippe, quia duæ filiæ ejus puellæ (una quidem duodecim erat annorum, altera verò minorennis) dum per dimidium anni curriculi absque omni auditus usu surdæ mansissent, voto per anxiam ipsam matrem cum oblatione ac sepulchri visitatione emisso, auditu in paucis diebus recedente tinnulas gratiosè receperint aures.

Vir quidam agricola de oppido Graben Bartholomæus nomine . . . . sensimque per dies dolor invalescebat, ut nil jam certiùs quàm vel mortem vel vitam ipsam amissurum æstimares. Verùm cùm, ùt miseri solent, querulas ingeminaret voces, aucta sibi potiùs fuit calamitas (æstimo, ut major in eum sancti Patris Simperti collata gratia enitesceret.) Nempe dum uxor ejus Margaretha cum filia Anna lachrymosis vigiliis ejus lamentabatur miseriam & ipsæ haud minori capitis dolore pervasæ, & quæ priùs viri, nunc suam deflebat miseriam. Verùm (cùm) de humano desperantes præsidio, ad almi Præsulis patrocinium spem erigentes supplici prece cum voto oblationis ac sui sepulebri visitationi ejus opem implorâssent, sancta Trinitas unus DEUS per suum servum Simpertum tres ipsos homines unico dolore laborantes (curavit.) Et ne fortuitò id contigisse videretur, subitò sanas se fore senserunt, votum factum ad tumbam redimentes cum oblationibus certis cum maximo gaudio, DEI opera magnifica narraverunt nobis. Acta sunt hæc 1495.

Miranda demum succedunt miris. Puer quidam alterius dimidii anni, cujus nomen erat Alexander, nomen Patris Jeorius Bader, matris verò ejus Anna, aviæ autem Elisabeth de oppido Graben sito propè * Lantspergam. Omnes votum fecerunt ex parte pueruli Alexandri ad tumbam sancti Præsulis una eum oblationibus tam argenti quàm & ceræ. Nam idem puellus per septemdecim hebdomadas phrenesi molestabatur, & hac in tantùm vexatus est infirmitate, ut hominibus stupor esset, tantis repulsibus animam è corpore haud excuti. Nam in tantum torquebatur, ut spumam pariter cum sanguine ex ore evomeret, oculi verò inversi alteram sui partem protenderent. Quid plura? voverunt parentes absque effectu ad multorum suffragia San-

* Cod. Graben omnes sitam propè &c.

Sanctorum. Tandem quorundam persuasu & animo sedit eorum, ut in nomine aliquorum trium Sanctorum tria ejusdem ponderis & longitudinis * cereas accendentes, cujus nominis citiùs combureretur cereus, ipse Sanctus pueruli patronus fieret, crederetur inhæsitanter etiam eundem ab omni liberaturum infirmitate. Miranda res! cerei tres pariter accensi mirabili in æqualitate ardere cœperunt. Nam postquam reliqui duo ad mediam sui partem descendissent, tertius, qui nomine sancti Simperti accensus fuerat, flammis voracibus ex integro absumptus est. Accessit hinc parentibus major in sancti Dei Simperti fiducialis amor, ac instantiùs ejus patrocinium cum pueri oblationis voto cerei invocare cœperunt. Et ecce propemodum dimidiam horam, acerbior solitò morbus invadens puellum, & adeò torquere cœpit, ut nil jam quàm animam exituram parentes sperarent. Hac igitur ultima vexatione morbus puero valedicens discessit, nec ultra rediit, & præsentatum à parentibus puerum ad sancti Simperti mausoleum, vidi puellum sanum, speciosum, ridentem atque gaudiosum, nec minùs parentes in omni jubilo gaudebant cordis, ac demum gratiarum actiones coram multis hominibus, qui simul aderant, Deo sanctisque ejus, & præcipuè gloriosissimo Præsuli Simperto referentes. Unde benedictus Deus, qui est mirabilis in sanctis suis.

1495.

* Cod. longitudinem

V.

ANONYMI SANCT-UDALRICANI ACTA SECUNDÆ INVENTIONIS ET TRANSLATIONIS SANCTI SIMPERTI EPISCOPI AUGUSTANI.

Incipit Præfatio ac Prologus de Secundaria Corporis S. Patroni nostri Episcopi Augustensis Simperti Inventione, quæ facta est in isto sacro loco Anno Incarnationis Majoris numeri Millesimo Quadringentesimo Octogesimo nono * *die S. Andreæ Apostoli.*

* Ita Cod. leg. 1491.

Ad individuæ Trinitatis gloriam & laudem de beati Præsulis Augustensis Simperti secundaria inventione tractare, Sancti Spiritûs gratiam, qui etiam in rebus minimis implorandus est, invocamus, ut qui eum in contempta sæculi, & in sui ipsius abnegatione prævenit & secutus est, ipse nos quóque in hac retractatione prævenire dignetur ac sub sequi, & efficiat idoneos tantæ magnificæ inventionis relatores. Nihil enim dignum Deo dicitur sine eo, neque etiam ipse sine se invocatur, cujus nimirum dona sunt, si quis mereatur Omnipotentis opera demonstrare & denuntiare, & ipsum Deum in sanctis suis magni-

magnificare. Et primùm quidem DEI dilectum exemplar vobis ac speculum proponamus, & formam in eo Apostolicam, & vitam in terris veneremur Angelicam, atque, in quantum possibile est, boni æmulatores id ipsum imitemur. Cùm enim magnum sit & valde bonum Sanctorum merita prædicare, & extollere virtutes ipsas, atque imitando amhire acquirere revera optimum est & præcellens: utrúmque tamen & cælitùs datur, & divinitus inspiratur, ejusque administratio est gratis. Qui gratiarum distributor dat ex eis, quibus vult, & dividit singulis, prout vult. Nunc igitur quæ ad communem ædificationem pertinent, quæque devotis auditorum animis prodesse ad immi- A. tationem possunt, de secundaria tanti Patroni nostri corporis inventione tanquam gloriosi principis aggrediamur. Cætera quæ mundi fuerunt gesta, videlicet ad sæcularem dignitatem spectantia, quamvis relatu digna in memoria æterna, nos tamen omni silentio præterire decrevimus, gestis tantùm spiritalibus ex parte recitandis calamum applicantes. Et jam nunc ad ea, quæ religio boni viri & sanctitas expostulat, manus laborare incipiat, ac stilum de ipsius secundaria corporis inventione vertamus, quod etiam de sanctis magnísque viris plerúmque requiritur, pro virium nostrarum facultate prænotabimus.

Finit prologus.

Incipit Processus de Sancti Simperti Reliquiis nuper secundariè inventis.

UNiversis in mari hujus mundi pro fidei Catholicæ mercimoniis naviгantibus cujuscúnque status, gradus, dignitatis, conditionis aut eminentiæ exstiterint, Nos Joannes divina patientia Monasterij Sanctorum Udalrici & Affræ in Augusta Rhetiæ divi Ordinis Benedicti Abbas, utinam benè meritus, in præsenti scripto singulis patefacimus ubilibet etiam constitutis, quòd Sanctus Simpertus Episcopus Augustensis duodecimus, à Leone Papa hujus nominis tertio, & Imperatore Carolo magno pientissimi Pipini Regis Franciæ filio in præsulatûs dignitate hujus civitatis est sublimatus anno Domini 736.

Qui cùm laudabiliter Augustensem rexisset Ecclesiam annis triginta, defunctus est, & in Ecclesia Sanctæ Affræ martyris suis certis cum antecessoribus ac sanctis Pontificibus Augustensibus honorificè sepultus, ubi usque hodie eorundem monstrantur sepulchra, ac omni decenti prosequuntur honore ab omnibus Christi fidelibus. Sed omnibus semotis ambiguis, ut nos ac successores nostri de sancti Simperti patroni hujus loci corpore & reliquiis efficeremur magis certiores, & ut præfati Episcopi veneratio augmentaretur & cresceret dietim, Nos prælibatus Abbas unà cum Patribus ac fratribus hujus Monasterij professoribus devotione maxima permoti, tractare cœpimus de ejusdem Præsulis honore, laude, dignitate, B. nec non de secundaria reliquiarum ipsius inventione, in simul concludentes, freti auctoritate superiorum ac ordinariis, de ipsius sepulchi apertione fienda, unanimes in domo Domini omnes consensum dedimus, & nacta temporis opportunitate processus talis fuit, ut sequitur.

Divinâ favente clementiâ dies inveniendarum Sancti Simperti præfigitur reliquiarum. Unde ad taliusmodi negotium expediendum Domnus Reverendus Abbas Joannes de Giltlingen quatuor de C. conventu designavit fratres fide dignos: Et cùm illud laboriosum nimis foret opus, idem Domnus Prælatus eisdem addidit adminiculum, videlicet quatuor honestos viros hujus imperialis civitatis concives, utpote fabricæ nostræ magistrum nomine Burchardum, Georgium Seld aurifabrum, & duos Cœmentarios scilicet Sifridum & Conradum cognomento Bierschenk. Hi octo præfati tam spirituales quam etiam sæculares petitâ à Domno D. Abbate licentiâ ac gratiosè obtentâ (priùs tamen juxta vires valde ad hoc erant dispositi tum peccatorum attritione & contritione, tum eorundem confessione, nec non cum satisfaciendi humili proposito) post se clausis ecclesiæ nostræ firmissimis seris propagulis atque pessulis, de sero circa horum septimam crepusculi obedientiæ opus maximum humeris ac cervicibus eorundem impositum, cum indici-

bili gaudio atque spe firma sunt aggressi. Et intrantes ecclesiam, solotenus illico prostrati, Deum verum, qui omnia concedere potest salubria, adoraturi: & sic præmissis devotarum orationum præludiis (ùt decuit) post hoc humiliter istum adiêre sanctissimum locum, ubi reliquiæ nostri sancti quiescebant Simperti. Illic forti manu fodere cœperunt, & singulis explicitis priùs à Domino Prælato Reverendo exhortationibus ac imperatis, circa decimam seu undecimam vel paulò plus inter laborandum lapidem reperière quemdam, qui superpositus erat sancti Simperti sarcophago, in quo corpus almi Pontificis sancti Simperti per multos quievit annos, qui nunc in Capitulo nostro sub altari positus & locatus, ab omnibus videri poterit. Quo invento ipsum lapidem minimè deposuerunt, seu movere præsumpserunt.

Qui ardore cœlitùs inflammati laborantes, diligentiùs cum linceis, ut ita dixerim, ocellis lapidem inspexerunt, & in una ipsius lapidis parte rimulam invenerunt, sive fracturam parvam, & iterum se ad orationes dederunt humo prostrati consuetas, ac lumine priùs per foramen imposito, magno suffusi gaudio tunc genibus flexis devotione maxima omnes per lapidem introspexerunt. Quid plura? gaudium enimverò additur gaudio, cùm omnes liberè absque humo in medio lapidei sarcophagi jacentia in patulo conspexère ossa sanctissima Patroni nostri Simperti. Quibus visis ac tripudio cordium haud modicè refecti de tantis mirificis exhilerati sunt reliquiis. Gaudiosa perculsi erant formidine ignorantes plus quid facto opus esset. Tamen fortificati; & viribus factitandi reassumptis Dominum Prælatum in nocte per medios advocantes nuntios, quid actum fuerit declaraturi de elaboratis.

Porrò Dominus Abbas ex inprovisu excitatus, & propemodum è somno experectus festinato gressu veniens attonitus, priùs tamen maximo cum suspiramine peccata propria ad dies vitæ suæ perpetrata detestans ac confessione & contritione purgatus una cum proposito se emendandi. Deinde cum cæteris octo istis divinis interessentibus negotiis ad cordialem dedit se orationem, accessurus ad ipsius sancti Simperti tumbam.

A Quo perveniente ad informationem cæterorum per lapidis fracturam etiam & ipse introspexit. Qui cùm ossa sancti Simperti Patroni nostri fidissimi intuitus fuisset, globatim in sarcopbagi medio ordinatissimè locata, in amarissimas prorumpens lacbrymas, licèt maximo tripudio aspersas, quid tam diceret, aut quorsum se verteret prorsus ignorabat. Tamen secum existentium fretus consilio, statim totam vocari fecit Congregationem ad DEI dona contemplandum nostri sancti Simperti ossa sacerrima. Qui omnes ùt veri obedientes mandatis ad

B statim suorum paruerunt superiorum, ac regulariter congregati, sub intervallo unanimes post sinaxim matutinale advenientes magna cum formidulositate, majori cum reverentia, & maxima cum devotione nostri desiderârunt Patroni videlicet Simperti invisere mausoleum seu tumbam, & à Domino Prælato permissi sunt, ut juxta sepulchrum per quandam lapidis introspicerent rimam. Et ædificatoria loquar: cum præsentes de gremio Monasterii facta intuiti fuissent sancti Simperti corporis pignora, & reliquias conspexere, licèt maximo cum gaudio respersas, emi-

C serunt lacbrymas, cogitantes intra se atque cordialiter clamitantes: O DEUS Omnipotens! nos miseri peccatores, hujus regii Monasterii Alumni, tuæ divinissimæ regratiamur majestati pro eo munere, quo nos indignos vernaculos tuos ad hoc divinissimum vocari dignatus es arduum opus, ut ante obitum nostrum ac carnis nostræ tributum corporalibus ossa nostri Patroni cerneremus obtutibus. Et sic omnes spirituali refocillati gaudio, omnes simul in cordium jubilo laudabant DEUM Psalmis, Hymnis, Orationibus atque speculativis contemplationibus

D pro inventione Sanctarum Simperti corporis reliquiarum.

Demum his itaque singulis peractis mandato Domini Abbatis præfati sepulchrum sancti Præsulis à cæmentariis clauditur firmissimè, & terrâ superpositâ tumbæ, ossa sancti Patris nostri permanserunt infracta, illæsa ac integra, & nunc postremùm, completis ea reverentia ac devotione omnibus, quibus decet, Patres de Conventu venerabili ibant ad chorum sanctissimæ Martyris Affræ pro laudibus matutinalis officii inchoandis. Sed Patres

tres devoti de Congregatione, qui laboribus insudârunt, ad dilectas repedabant cellulas: Laici verò salvo cum conductu ad proprios ibant lares. Acta sunt hæc prælibata Anno à Christi Salvatoris nostri Incarnatione 1491. pridie Calendas Decembris. *

* *Ita Cod.*

Item notatu dignum est, Anno Domini 1491. à decimo Calendarum Aprilis usque ad Festum sancti Andreæ ejusdem Anni (hoc erat pridie Calendarum Decembris) opus istud de sancto Simperto magnificum propemodum permansit imperfectum ac inattentatum. Ratio, ut eò meliùs omnia ad taliusmodi solemnitatem spectantia per Dominum Abbatem possent commodosiùs in tempore semota dilatione disponi, sicut & seriosè factum fuit. Nam cunctis per patrem sacristam necessariis die præfixa subordinatis, ad sancti Simperti tumbam, actus iste divinus tali modo ut sequitur est inceptus.

Primo & antecedenter negotium illud de sancto Simperto in die sancti Andreæ fuit inceptum, sed priùs ubilibet hic Augustæ in ambone publicatum, ut Christi fideles se possent melius cum devotione ad interessendum prælibatis disponere. Quare præfata die primo pro Tertiis decantandis noster fiebat pulsus magna cum campana, & ad longum iste fuit protractus pulsus, tum ut eò faciliùs à Dominis venerandis de Capitulo majoris Ecclesiæ, & aliorum Spiritualium locorum possent se domi in divinis eò liberiùs explicare laudibus, & tunc maturis pedetentim eorum gressibus ad prædictum venire Monasterium: tum etiam pulsus protrahebatur tunc præfatus propter adventum hujus civitatis magistrorum civium ac totius communitatis, ut sic devota mente quilibet devotè ac morosè ad sursum veniendum absque legitima præpeditione posset venire ad istiusmodi spectaeula divina, nostro ævo nobis insueta, incognita inusitatáque. Et politia hujus Imperialis civitatis circa portas turrésque & ubique sagacissimè disposita, superiores tam Spiritualium quàm & Sæcularium personarum, una cum omni (ut ita dixerim) populo ad interessendum DEI mirabilibus venerunt, ac humo cordibus prostrati magno cum devotionis fervore ab exordio auscultantes usque in calcem divinarum exitum rerum, ut sic de visis atque auditis suis in ævum posteris acta possent relinquere scriptis veridicis, sicut absque ambiguo factum fuit &c.

De Processione in præfata die habitâ 1491.

Singulis jam jam ad processionem habendam per patrem custodem copiosè subordinatis, idem Sacrista singulis patribus ac fratribus Monasterii nostri ac aliorum Cœnobiorum in processione dicta euntibus, cereas accensas inter eosdem distribuit candelas, nec non certis aliis laicis hujus civitatis honestioribus ultra quinquaginta, qui suis candelis per custodes sibi datis circumdabant atque protegebant in ipso solenni actu sancti Simperti reliquias usque post Missæ officium. Ac sic inchoata fuit processio. Nam cantore principali incipiente responsorium: *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris &c.* Et cùm fuisset perventum illic, statio devota est habita. Unde finito Responsorio: *Sint lumbi &c.* cum versu ac *Gloria Patri &c.* nec non cum suis repetitionibus, tunc Dominus Abbas incepit versiculum: *Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu* cum Collecta: *Omnipotens sempiterne DEUS, dirige actus nostros in beneplacito dilecti Filii tui &c.* De post per cantorem principalem incepta est Antiphona: *Confirma hoc DEUS &c.* cum Versiculo: *Benedicamus Patrem & Filium &c.* una cum Collecta: *Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni &c.*

His devotissimè peractis Dominus Reverendus Abbas sæpè dictus cepit instrumentum ad hoc opus aptissimum scilicet cæmentariorum fossorium ferreum, faciens tres distinctos ictus. *In Nomine Patris † & Filii † & Spiritus † sancti Amen.* Deinde porrexit magistro fabricæ Ecclesiæ Burckhardo fossorium tribuens ei de vernaculis suis facultatem realiter fodiendi. Et inter fodiendum ab omnibus ibidem congregatis maximum fuit servatum silentium, cum orationibus interim effusis specialiter ad DEUM, quatenus istud nostris temporibus inauditum divinum negotium bonum sortiretur finem. Depost fuit mandatum Reverendissimi nostri Antistitis Augustensis publica-

licatum Friderici de Hochzolern per Fra- A trem de Conventu Fratrem Chonradum, domicellorum hujus civitatis prosapiæ haud minimum, videlicet de reliquiis sancti Simperti Patroni nostri, temerario nil omnino surripiendi ausu nec tollendi, nec vim loco ac patribus ibidem nigri Ordinis Divi Benedicti congregatis quomodolibet inferendi, & hoc sub excommunicationis lata Sententia pœnarum infligendarum.

Deinde postquam perventum ad sancti Simperti sarcophagum fuerat, sublato lapide supra posito incepit Pater Prior tunc temporis Gloriosissimum in Jubilo B cordis Hymnum *Te DEUM Laudamus*, cum totius Chori prosecutione virili (ut decuit) vocum consonantia, gaudiosis cum lachrymis, nec non cum formali omnium nostrarum campanarum compulsu. Quô auditô in tota civitate subordinatus fuit omnium Ecclesiarum pulsus in honorem & jubilum nostri Patroni sancti Simperti. Deinde finito Hymno Dominus Abbas incepit versiculum istum: *Gloriosus DEUS &c.* cum Collecta de sancto Simperto, scilicet: *DEUS qui nobis beati Simperti &c.* His expletis Dominus Abbas noster intravit mausoleum C sancti Simperti una cum Domino Prælato Cæsariensi, Domino scilicet Georgio ac Domino Decano de Hochrechberg Domino Udalrico, nec non cum certis aliis fide dignis, & ibidem congruis orationibus ac reverentiis factis ad sericos panniculos Dominus Abbas hujus loci cepit sancti Patroni nostri caput videlicet Simperti exiens de sepulchro subsequentibus aliis magna cum devotione, & cuidam patri de conventu tunc temporis prædictæ Chonrado Morlin injunxit in virtute sanctæ Obedientiæ ut ascenderet ambonem & sancti Simperti caput cunctis D utriúsque sexus hominibus ibidem interessentibus in propatulo ostenderet. Qui declamator verbi DEI in hoc paruit sui superioris præceptis omni revera, quâ decuit humilitate, devotione, ac reverentia locum ascendens eminentiorem, quodammodo consternatus ac tremebundus caput sancti Simperti populo ostensurus, ac omni serio promulganda expedivit. O quantus jubilus cordium ibidem manifestatus est omnium interessentium! DEUS novit. Ego tamen testor DEUM: vidi tunc plurimorum hominum lachrymas ex tripudio cordium effusas, & tali die tantus hominum concursus fuit ad nos, propter videre reliquias sancti Simperti, ut vix stat creditu. Et post ostensionem capitis sancti Patroni nostri populo, Dominus Abbas noster tunc temporis cum præfatis cæteris prælatis iterum in dictam intravit sancti Simperti foveam colligendarum sanctarum Reliquiarum causâ, ornando cuncta sacri corporis membra, imponentes ligneo sarcophago per custodem priùs ad hoc divinissimum opus subordinato, donec cupreum fieri jussit sarcophagum &c. Sic & fecit &c.

Et instructa processione Cantor Chori principalis incepit tubali voce Antiphonam: *Eja Præsul alme DEI, mundum replens gloria &c.* Et caput sancti portabatur in processione per egregium Dominum Doctorem ac nobilem Dominum Udalricum de Hochrechperg Cathedralis Augustensis Ecclesiæ Decanum prædignissimum, & cæteræ totius corporis partes reliquiarum sancti Simperti portabantur in sarcophago pulcherrimis tapetiis compto per venerabiles dominos nobiles de Capitulo majoris Ecclesiæ Beatæ Virginis Canonicos benè meritos videlicet per Dominum Ludovicum de Zilbart, per Dominum Georgium de Sthanberg, per Dominum Conradum de Harsther, & per Dominum Christophorum de Knöringen, qui maxima accensi devotione ac humilitate unà cum Domino Decano prælibato finita processione per Ecclesiam nostram posuêre totum Corpus sancti Simperti super Altare sancti Udalrici, & ad statim inceptum est Officium Missæ de sancto Simperto, scilicet: *Statuit ei &c.* quod solemniter fuit percantatum per Reverendum Dominum Abbatem nostrum tunc temporis, utpota Joannem de Giltingen nobilem, manentibus ibidem Domino Vicario in Spiritualibus Augustensis Ecclesiæ, scilicet Domino Heinrico de Liechtenau, una cum Dominis de Capitulo præfatis, & Domino honorando Cæsariensis Monasterii Prælato dignissimo, scilicet Domino Georgio, nec non plures alii utriúsque status Domini usque in calcem Officii in maximo Spiritus fervore manserunt.

De-

Demum officio de sancto Simperto Patrono nostro solemnissimè, ùt decuit, in jubilo cordium devotissimè sic percantato, & finitis gratiarum actionibus DEO ab omni populo congruis singuli transiêre ad propria alimenta sumpturi. Sed reliquiæ omnes manebant super Altare sancti Udalrici præfatum usque post Completorium illius diei benè custoditæ per duos devotos patres de Conventu, quibus per Dominum Abbatem associati sunt certi nostri Monasterii vernaculi armati pro reliquiarum custodia præfatarum, & peracto completorio iterum facta est processio. Nam Dominus Prælatus noster sæpè dictus indutus ornamentis cum patribus de conventu ac fratribus singulis processionaliter venit ad chorum sancti Udalrici finito Completorio præcedentibus faculis ac luminibus accensis, maximo cum serio & devotione, reliquias sancti Simperti recipientes de Altari sancti Udalrici portaturi ad Sacristiam Reliquiarum cum solemni de sancto Simperto Responsorio, ùt puta: *Sancte DEI Simperte virtutum gratia plene, spes miserorum, decus Ecclesiarum, intende preces populi supplicantis, ut impetres veniam pro delictis* ℣. *Ecce quia supra pauca fidelis extitisti, supra multa constitutus in gaudium DEI tui introisti: Intende*, adjicientes *Gloria Patri &c.* suis una cum repetitionibus scilicet: *Intende.*

Quibus finitis Dominus Abbas in præsentia totius Conventûs sarcophagum reliquiarum sancti Simperti suo sigillo munivit & clausit, ne fortè furtim aliquid subtrahi posset, sicut desuper in mandatis idem Dominus Abbas habuit à Reverendissimo nostro Augustensi usque ad lotionem ex optimo vino. Ubi sua Paternitas in aliquorum fratrum præsentia sigillum suum removens ad lotionem sanctarum Reliquiarum, ac diligentiùs postmodùm ad sarcophagum recolligens clausit, atque suo munivit sigillo. Et factis reverentiis solitis tam Dominus Abbas, quàm & Conventus exierunt de Sacristia ad quietem videlicet suarum habitationum, illic in Christo JESU pausaturi usque ad excitationem matutinalis officii. Hæc acta sunt die sancti Andreæ Apostoli Anno Domini 1491.

VI.

ANONYMI SANCT-UDALRICANI HISTORIA TRANSLATIONIS TERTIÆ S. SIMPERTI.

Incipit Prologus in translationem secundam S. Simperti Augustensis Episc. Patroni nostri gloriosissimi, quæ fuit facta Anni 1492. III. Feria Paschatis.

Scripturus secundam translationem beati Simperti Episcopi Augustensis grandi quidem affectu sed impari facultate materiam sacram aggredior duo hæc finaliter intendens, ut virtutum & meritorum ejus auctor DEus in illo glorificetur, & de lucerna in domo Domini sublimiter accensa pietatis ac devotionis lucem fideles accipiant: Christi enim bonus odor est in ipso, & in universa Eccle-

Ecclesia tanquam paranymphus & amicus ecclesia glorificetur: qui senescente jam sponsi fragrans & ipse unguentis optimis, unguento contritionis ac devotionis & in Deum ac proximum pretiosæ pietatis. Unguentum enim contriti cordis & humiliati tanquam pauper spiritu pedibus Domini suppliciter exbibuit apperiens os suum in oratione, & pro delictis suis jugiter interpellans: Unde & Christus purgavit peccata ipsius, & exaltavit in æternum cornu ipsius. Unguentum autem devotionis, in quo recordatio divinorum beneficiorum intelligitur, in obsequium divini cultus tanquam in caput redemptoris tam piè ac copiosè effudit, ut expresse de illo dictum videatur: *Et domus impleta est ex odore unguenti.* Non solùm enim in sua persona tanquam sacerdos & Pontifex exhibitionem cœlestium sacramentorum obtulit domino sacrificium justitiæ, oblationes & holocausta accedens per semetipsum ad Deum, sed etiam in diversis locis tam vicinis quàm & remotis grandi sumpter & labore Christo multas fundavit & restauravit ecclesias, in quibus miserationes Domini jugiter recolantur, & spiritualibus disciplinis ac divinis sacrificiis mors Domini annuntietur, donec veniat. Unguentum autem pietatis, quod de latissimo sinu charitatis ex omni spe misericordiæ tanquam ex aromatibus & omni pulvere pigmentario universo Christi corpori præparatur, quis abundantiùs membris Christi exhibuit? Taceo infinitas (ut ita dixerim) ejus expensas & miserationes, quas fecit in ecclesiis Domini coram Deo immortales: pertranseo eleemosinas illius, quas in locis definitis, in hospitalibus & mansionibus pauperum diligentissima cura instituit, redemptiones captivorum, quas non solùm in sua diœcesi, sed etiam in aliena loca extra episcopatum suum Augustensem mittendo erogavit, & immensam pecuniam, quam de manu ejus in cœlestes thesauros manus pauperum quotidie deportaverunt, quis enumerare sufficiat? Profectò miserationes ejus super omnia opera ejus.

Hæc idcirco brevi epilogo præmisi, ut quantus sit iste patronus noster Simpertus, de quo in processu dicendorum sermo de translatione habendus est, in capite libelli videatur, & de tanto pontifice ac novo hujus loci mirifico patrono non solùm nostra specialiter sed etiam omnis generaliter ecclesia glorificetur: qui senescente jam sæculo & ad occasum vergente secundum incrementa & consummationem perfectionis apparuit *quasi stella in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucens, & quasi sol refulgens*, sic Sanctus Simpertus refulsit in templo Dei, Romani Imperij ac Sacerdotij firmamentum, gemma sacerdotum, spiritualis ordinis decus & præsidium, prædicator veritatis & Doctor gentium, Martha frequens & fervens in obsequio Domini JEsu, Pater, Minister ac susceptor peregrinorum, captivorum & omnium membrorum Christi; Scripta sunt hæc in libro hoc, quæ* religiosi ac monasticæ vitæ viri probatissimi ab ipso gesta antecessores nostri semoto omni ambiguo ac fide digni legerunt, nec non ab antecessoribus suis experti sunt, & nobis posteris suis fideliter scriptis reliquerunt, ut sic (ùt profertur) in testimonio veritatis nihil privati amoris & gratiæ inseratur, sed opera ejus, quæ in Deo facta sunt, summa sinceritate & veritate in honorem Dei & utilitatem ecclesiæ proferantur.

* Cod. quam

Explicit prologus translationis ac vitæ sancti Simperti & Episcopi Augustensis duodecimi.

Relaturus jam jam modicum de secunda corporis Sancti Simperti translatione, & antequam incipiam de eadem quidpiam loqui, velim unumquemque hanc materiam lecturum, visurum, nec non auditurum non ignorare in præsentiarum quòd à tempore *secundæ inventionis* corporis sancti Simperti scilicet à festo sancti Andreæ Apostoli anni 1491. usque ad gaudiosa Paschatis festa translationis ejusdem, ùt puta tertia feria anni immediatè subsequentis scilicet 1492. à Domino Prælato tunc temporis loci præfati, & à Congregatione totali reliquiæ sancti Simperti in maxima sunt habita veneratione, ac maximo timore atque tremore in sacristia custoditæ. Etiam illico post hoc Dominus Abbas cæteros Patres sacræ religionis zelatores hujus loci substituit fide dignissimos, qui maxima cum devotione totius corporis reliquias in optimo laverunt vino, & finita meri pretiosi mundamine corporis sancti Simperti Patroni nostri, ex mandato Domini Prælati ac conventus adscitus & vocatus ad hoc est

est ordinarius noster Physicus tunc existens vocabulo Doctor Bartholomæus de Weilhaim ad interessendum ossium sancti Simperti lineamentali compositioni, sicut & idem præceptis nostris atque rogatis libens paruit. Namque optime qualificatus utpote de suis attritus ac contritus peccatis devota ac integra confessione facta eorundem, nec non bono satisfaciendi proposito pro illis, licentia à recipiendis Dominis accepta videlicet Ordinario Episcopatûs, nec non atque etiam à Domino hujus Monasterij Prælato benè merito tunc temporis Domino Joanne de Gilclingen nobilis prosapiæ, totum sancti patroni nostri corpus lineamentaliter maxima cum industria & labore composuit, & ordinatissimè compegit omninm nostrûm in præsentia, nec non aliorum plurimorum patrum de diversis Ordinibus & Observantiis, qui etiam his intererant sacri corporis compositionibus indicibili eum devotione tempore ordinandorum scilicet angariæ qui tunc temporis hospitalitatis causâ suam nobiscum traxerunt moram. Hæc cernentes mira, gavisi sunt tripudio magno in Domino Jesu ad propria abeuntes loca Deo laudes dederunt permaximas & sancto Simperto visa domi relaturi ac audita &c.

Etiam notum sit per præsentes omnibus subsequentibus nobis, quòd omnia ossa totius sancti Simperti corporis ibidem erant integro numero ducenta decem & novem, & triginta & duo dentes ex integrali numero, demptis duobus pro videri meo (ùt non mentiar) dentibus. His itaque peractis ac diligentiùs inspectis, reliquiæ sancti Simperti decenter ad sarcophagum cum mundissimis & pretiosis pannis sunt reclusæ, & per Dominum Abbatem nostra in præsentia suo sigillo iterum munitur, ùt priùs in sacristia post inventionem etiam factum fuit, sicuti per Dominum Episcopum nostrum Dominus Abbas & nos desuper habuimus mandatum.

Quare expletis istis narratis ad statim reliquiæ sancti Simperti per devotos de conventu patres ac fratres iterum omni honore prosequendo (ùt decuit) candelis & faculis præeuntibus portatæ sunt de aula Domini Abbatis in sacristiam. Et tunc de illis sacris negotiis nil plus in antea actum est à quoquam usque ad prælibata paschatis festa translationis secundæ fiendæ. Sed interim per Dominum Abbatem loci ac

A. suos omnia præparabantur necessaria ad istam translationem futuram fiendam atq; depositionem juxta omnium virium facultatulam suarum, præstolantes deinceps regiæ majestatis adventum, nec non aliorum plurimorum Imperij principum tam spiritualium, quàm & sæcularium ad hoc divinissimum opus peragendum adventandorum, qui & negotio isto interfuerunt devotissimè una cum utriúsque sexus populo, sicut latiùs Deo dante patefacturus sum in subsequentibus immediatè.

Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo indictione B. decima, vicesima tertia die mensis Aprilis, & fuit tertia feria Paschæ Innocentio Papa octavo naviculam Petri regente, sceptro imperiali Friderico tertio tenente, ac Maximiliano ejusdem Friderici filio Romanorum Rege cunctis imperante, sub Reverendo Patre & Domino Domino Friderico Secundo Episcopo Augustensi, ac huic cœnobio Domino Joanne de Gildingen Abbate Præsidente, sancti Simperti ossa de humo levata in hunc sarcophagum ac sepulturam hanc cum solemnitate decenti recondita sunt, ac, ut cernitur, reclusa, præsentibus invictissimo Rege Romanorum C. supra dicto, ac Episcopo & Abbate prædictis, assistentibus ac adjuvantibus eis Reverendis Patribus & Dominis, Domino Udalrico Episcopo Adrimitano, ejusdem Episcopi prædicti suffraganeo, ac Vicario in spiritualibus generali, Domino Bartholomæo Abbate Monasterij Sanctæ Crucis in Werdea, Domino Georgio Monasterij Cæsariensis Abbate, Domino Georgio Abbate Sancti Michaëlis in Fultenbach, Domino Udalrico de Hochenrechberg Decano majoris Ecclesiæ cum reverendis Dominis sui capituli ac toto clero civitatis Augustensis D. adjunctis eisdem principibꝰ Comitibus, Baronibus, Militibus, nobilibúsq; multis, cum magistris civium civitatis & populo multo.

Ista de secunda sancti Simperti translatione ac depositione novissima superficietenus & succinctè sint dicta ac compendiosissimè, sed de modo ac forma omnium actorum in ista translatione Deo duce ampliori stilo egent ut statim in sequentibus patefiet. Nam nostro in ævo talis solemnitas apud nos non est celebrata alicujus sancti reliquiarum inventarum iterum in eundem loceum licet aliquantulum altius depositarum sicut jam actum est &c.

VII.

VII.

Fridericus DEI & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Augustensis universis & singulis Christi fidelibus præsentibus & futuris salutem in Domino sempiternam cum notitia subscriptorum.

Gloriosus DEUS in Sanctis suis, A. & in majestate mirabilis, cujus ineffabilis altitudo prudentiæ nullis inclusa limitibus, nullis etiam terminis comprehensa recti censura judicii cœlestia pariter & terrena disponit, etsi cunctos ejus ministros magnificet, altis decoret honoribus, & cœlestis efficiat beatitudinis possessores: illos tamen, ut dignis digna rependat, potioribus attollit insigniis dignitatum, & præmiorum uberiori retributione prosequitur, quos digniores agnoscit & commendat ingentior excellentia meritorum. Præterea, si quisque multùm laborat ducem B. invenire, qui eum alicui mortali adducat, quantò magis duces generis humani, qui pro nobis hominibus ad DEUM interpellant, sunt honorandi, quorum Reliquias dominator Christus fontes nobis præbuit salutares, multiformia beneficia irrigantes? Illos enim honorando, in eis honoramus & mirabilem eum prædicamus, qui ipsos sanctificavit. Hinc est, quòd, cùm aliàs quondam bonæ memoriæ Dominus Petrus Cardinalis & Episcopus Augustensis prædecessor noster à quondam felicis recordationis Domino Nicolao Papa quinto indultum impetrâs- C. set & obtinuisset, quatenus divinum diurnum atque nocturnum officium de sancto Simperto Episcopo, qui in Monasterio sanctorum Udalrici & Affræ Ordinis sancti Benedicti Augustensi requievit tumulatus, per Abbatem & Conventum ejusdem Monasterii possent inibi peragi, ipséque sanctus Simpertus à Christi fidelibus de cætero pro Sancto nominari, revereri & venerari, serie litterarum præfati quondam Domini Petri Cardinalis desuper confectarum: Nos cupientes reliquias ejusdem sancti Simperti pro majori veneratione in lucem produci, ne lucerna accensa in absconso aut sub modio teneatur. Quocirca venerabili nobis in Christo dilecto Joanni de Gildingen Abbati dicti Monasterii concessimus facultatem, cujus prætextu ipse coassumptis pluribus Prælatis & egregiis personis tumulum sancti Simperti, qui ante Capellam ad Altare sub vocabulo suo consecratum, in Ecclesia dicti Monasterii situabatur, cum solemni Processione in conspectu multitudinis populi publicè accedens, reliquias suas in sarcophago ibidem contentas effodit, & ex eodem recepit, novo sarcophago ad hoc construendo, imponendas, prout hæc in litteris inde confectis limpidiùs clarent. Verùm facto in eodem loco pro ipsis reliquiis imponendis, & inibi conservandis novo mausoleo sive sarcophago super terram elevato, Nos Fridericus Episcopus præfatus volentes more vigilis pastoris, quòd dictæ sancti Simperti reliquiæ devotiùs venerentur, quò Dominus noster JESUS Christus ipsius intercessionibus vota dirigat fidelium, & ad gratiam exauditionis perducat, easdem reliquias debitis honore & reverentia suscipientes, caput videlicet ejusdem sancti Simperti adstante nobis & auxiliante Serenissimo & Invictissimo Principe & Domino Domino Maximiliano divina favente clementia Romanorum Rege primo semper Augusto, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Archiduce Austriæ, Duce Burgundiæ, Brittanniæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgiæ, Lucenburgiæ, & Geldriæ, Comite Flandriæ, Tyrolis, Arthesii, Burgundiæ, Palatino Hanoniæ, Hollandiæ, Zellandiæ, Namurci, Zutphaniæ & Mechliæ, sacríque Imperii Marchione ac Domino Frisiæ & Salinarum per nos, reliquas verò reliquias hujusmodi in quodam Sanctuario, per certos quos nobis duximus in hoc actu adjungendos, videlicet Reverendum in Christo Patrem & Dominum Dominum Udalricum dictâ gratiâ Episcopum Adrimitanum suffraganeum nostrum, & præfatum

fatum Joannem, dicti sanctorum Udalrici & Affræ Augustensis, venerabilésque in Christo nobis dilectos Bartholomæum sanctæ Crucis in Werd, Georgium in Fuldenbach præfati sancti Benedicti, & Georgium in Roggenburg Præmonstratensem nostræ Diœcesis Monasteriorum Ordinum Abbates, adstantibus eis & cooperantibus Illustribus & Generosis Principibus & Dominis Christophoro & Wolffgango Comitibus Palatinis Rheni, superioris & inferioris Bavariæ Ducibus, Rudolpho Principe in Anhalt, & Eberhardo juniore Comite de Wirtenberg, in Processione circumcirca septa ipsius Monasterii sanctorum Udalrici & Affræ cum clero & populo ad hoc congregatis & vocatis laudabiliter habita, usque ad novum mausoleum seu sarcophagum prædictum solemniter bajulatum, & bajulatas publicè JEsum proclamari & commendari fecimus, & servatis solemnitatibus singulis in his servari solitis capite ipsius sancti Simperti, ut in Monasterio sanctorum Udalrici & Affræ prædicto apud Thesaurum aliorum Reliquiarum Sanctorum inibi consistentium honorificè habeatur, per nos ordinato, atque una de costis ejusdem sancti Simperti sigillo dicti Altaris sub vocabulo suo per nos consecrati inclusa, nec non quadam ex eisdem reliquiis sancti Simperti particula unius pollicis ferè longitudinis & spissitudinis præfato Domino Maximiliano Regi id petenti tradito, & quædam alia minori earundem Reliquiarum particula pro nobis reservata & recepta: cæteras verò omnes & singulas sancti Simperti Reliquias ad novum sarcophagum supradictum posuimus, perpetuò inibi conservandas, eundem sarcophagum cum summa diligentia claudi jubendo & faciendo, assistentibus etiam nobis in præmissis Venerabilibus & honorabilibus nobis sincerè dilectis Laurentio Velmam sancti Georgii, Vito Fackler sanctæ Crucis Monasteriorum Ordinis sancti Augustini Canonicorum Regularium Præpositis, Jacobo Cönzelman Decano sancti Mauritii Augustensis, Heinrici de Liechtenau nostro in spiritualibus Vicario, Conrado Harscher Scholastico, Ludovico de Zullnhart, Burckhardo de Freiberg, Andrea in der Klingen, Christophoro de Knöringen, Georgio Schvvabsberg, Wolffgango de Züllnhart, & Conrado

A. Frölich Officiali nostræ Ecclesiæ majoris Canonicis, Joanne de Salinis decretorum Doctore, Sedis Apostolicæ Protonotario, nec non Religiosis fratribus sæpè dicti Monasterii sanctorum Udalrici & Affræ, videlicet Wilhelmo Ranger Priore, Joanne Stenglin Subpriore, Matthia Umhofer, Thoma Rieger, Wilhelmo Wittvver, Petro Conrado & Leonardo Wagner, Conrado Mörlin, Joanne Peurlin, Simone Weinhart, Balthasare Kramer, Joanne Griesher, Sigismundo Zymermann, Leonardo Weinlin, Heinrico Hayden, Sigismundo Lang, Stephano Thegen, Andrea Burg,
B. Leonardo Gregg, Udalrico Flechsenhar, Professis, Simone Ridler, Erasmo Hueber, Novitiis, Bernardo & Laurentio conversis. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum præsentes nostras litteras sive præsens publicum instrumentum exinde fieri & præfati Serenissimi Domini Regis Romanorum id mandantis, nostríque sigillorum unacum subscriptionibus Notariorum infrascriptorum jussimus & fecimus appensione communiri. Datum & Actum Augustæ in Monasterio ac locis supra dictis sub Anno à Nativitate Domini millesimo
C. quadringentesimo nonagesimo secundo, indictione decima, die verò Lunæ, vicesima tertia mensis Aprilis, quæ erat feria secunda Paschæ, Pontificatûs sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Innocentii Divinâ Providentiâ Papæ octavi Anno octavo, Regnantibus gloriosissimo & invictissimo Principe & Domino Domino Friderico dictâ favente Clementiâ Imperatore tertio, & præfato Serenissimo Domino Maximiliano Rege Romanorum ejus nato semper Augustis, præsentibus ibidem Generosis strenuis, nobilibus, spectabilibus & egregiis ac providis viris Do-
D. minis Magistro Francisco de Ponte Oratore & Cancellario Regis Angliæ, Francisco Wolffgango de Hohenzollern, Christophoro de Sunnenberg, Nicolao & Joanne Regni Croatiæ de Frankenham Comitibus, Christophoro de Limburg, Sacri Romani Imperii Pincerna, Martino & Echardo de Bolhain, Georgio von Stain in Gossen, Sigismundo de Rorbach, Georgio de Kastelwart, Leonardo de Fronberg vom Hag, Michaële de Eizingen, Georgio de Kalten Baronibus, Wilhelmo de Pappenham, Magno & Leonardo juniore de Ho-

Hohenreichen Sacri Imperii Marscalcis, A. Philippo Loit ex Burgundia magistro curiæ dicti Domini Regis Romanorum, Caspare Meck Camerario ejusdem Domini Regis, Ernesto de Welden, Diepoldo vom Stain, Jacobo de Landau Militibus, Wolfhardo de Knöringen, Paulo & Andrea de Gildlingen, Georgio Marschalco de Biberbach, Dietmaro de Liechtenau, Heinrico de Paulsweil, Petro de Frödenberg, Ulrico de Weichs, Georgio Buchbech, Georgio de Aw, Georgio de Lizelstain, Jacobo Geblin vom Pfird ex Sunco, Georgio de Lilberg ex Styria, Georgio de Liechtenstain, Wilhelmo Guss Armigeris Nobilibus, B. Wilhelmo Vorchtel, Secretario nostro & magistro, Jodoco Pflanzenman Curiæ nostræ Augustensis procuratore, dictorúmque Joannis Abbatis & Conventûs Syndico, atque Sigismundo Gossenprot, Joanne Langenmantel, Hilpoldo Ridler, Ludovico Hofer Magistris civium, Georgio Ott, Præfecto civitatis Augustensis, Bartholomæo Ridler Canonico Tridentino Decretorum, Conrado Peytinger, & Sebastiano Illsung legum Doctoribus, Georgio Herwart, Leonardo & Jacobo Rechlinger, Luca Dain, Georgio Canzelman, Georgio Ridler, & Joanne Hemerlin C. Civibus Augustensibus, testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis:

Et ego Jacobus Wirsing Clericus Augustensis Diœcesis Canonicus Ecclesiæ sancti Mauritii Augustensis publicus sacra Imperiali auctoritate Notarius, quia prædictis, processioni, Reliquiarum bajulationi, proclamationi, commendationi, in sarcophagum novum depositioni & requisitioni, omnibúsque aliis & singulis præmissis, dum sic, ùt præmittitur, coram Serenissimo Principe & Domino Domino Maximiliano Romanorum Rege, & per Reverendum in Christo Patrem Dominum Fri- D. dericum Episcopum Augustensem prædictis fierent & agerentur, unacum Notariis infra & testibus supra scriptis præsens interfui, eáque sic fieri vidi & audivi, ideóque hoc præsens publicum instrumentum manu alterius fideliter conscriptū exinde confeci, subscripsi, publicavi & in hanc publicam formam redegi, signóque & nomine meis solitis & consuetis unacum prænominatorum Regis & Episcopi sigillorum appensione signavi & munivi rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

Et ego Joannes Fischer de Dinckelspuhel Clericus Diœcesis & Canonicus S. Mauritii scribaque juratus curiæ Augustensis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia prædictis processioni, reliquiarū bajulationi, proclamationi, comendationi, & in novum sarcophagum positioni, omnibúsq; aliis & singulis præmissis, dum sic, ùt præmittitur, coram Serenissimo Principe & D. D. Maximiliano Romano Rege per Rev. in Christo Patrem & D. D. Fridericum Episcopum Augustensem prædictis fierent & agerentur, una cum Notariis sub & testibus supra scriptis præsens interfui, eáque sic fieri vidi & audivi. Ideoque hoc præsens instrumentum manu alterius fideliter scriptum exinde confeci, subscripsi, publicavi & in hanc publicam formam redegi, signóque & nomine meis solitis & consuetis unacum prælibatorum Dominorum Regis & Episcopi sigillorum appensione signavi, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus & requisitus.

Et ego Petrus Mor de Aichach Clericus Augustensis Diœcesis, publicus Apostolica & Imperiali auctoritatibus Notarius Curiæque Augustensis causarum scriba juratus, quia prædictis processioni, Reliquiarum bajulationi, proclamationi, commendationi, & in novum sacrophagum positioni, omnibúsque aliis & singulis præmissis, dum sic, ùt præmittitur, coram Serenissimo Principe & D. D. Maximiliano Romanorum Rege, per Rev. in Christo Patrem & D. D. Fridericum Episcop. August. prædictum fierent & agerentur, unacum Notariis publicis sub & testibus supra scriptis præsens & personaliter interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi & audivi. Ideóque hoc præsens instrumentum manu alterius fideliter scriptum exinde confeci, subscripsi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, signóque ac nomine & cognomine meis solitis & consuetis unacum prælibatorum Dominorum Regis & Episcopi sigillorum appensione in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus & requisitus signavi & communivi.

Et ego Joannes Bayr de Haydenhaim Clericus Augustensis Diœcesis, Artium Liberalium Magister & Decretorum Licentiatus, publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia prædictis processioni, Reliquiarum bajulationi, proclamationi, commendationi & in novum sarcophagum positioni omnibúsque aliis & singulis præmissis, dum sic, ùt præmittitur, coram Serenissimo Principe & Domino Domino Maximiliano Romanorum Rege, per Reverendum in Christo Patrem & Dominum Dominum Fridericum Episcopum Augustensem prædictis fierent & agerentur unacum Notariis & Testibus supra scriptis præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi. Ideoque hoc præsens instrumentum manu alterius fideliter scriptum exinde confeci, subscripsi, publicavi & in hanc publicam formam redegi, signóque & nomine meis solitis & consuetis unacum præfatorum Dominorum Regis & Episcopi Sigillorum appensione signavi in Fidem & Testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus & requisitus

Ad Mandatum Domini Regis proprium
Con. Stürzel Juris Doctor, Regius Cancellarius subscripsit.

VIN.

VEN. GEORGII PRIORIS GEMNICENSIS

Ordinis Carthusiani in Austria

EPHEMERIS,

SIVE

DIARIUM PEREGRINATIONIS TRANSMARINÆ, VIDELICET ÆGYPTI, MONTIS SINAI, TERRÆ SANCTÆ, AC SYRIÆ

Anno Dom. M. D. VII. & Sequenti.

Nunc primum, ut videtur, Latinè editum, ac ex Codd. MSS. ejusdem Carthusiæ suo Auctori restitutum à Ven. P. Leopoldo Widemanno, ibidem Presbytero & Bibliothecario.

EPHEMERIS SIVE DIARIUM PEREGRINATIONIS TRANSMARINÆ, VIDELICET ÆGYPTI, MONTIS SINAI, TERRÆ SANCTÆ AC ULTIMO SYRIÆ ANNO DOMINI 1507. ET SEQUENTI.

Prologus.

Cum Superioribus annis in peregrinatione illa sanctaTransmarina constitutus, loca & res à me ipso visas, multas nihilominus aliunde lectas vel perceptas didicissem, ac eas raptim, prout res tempusque ferebat, annotavissem: nunc in patrios reversus lares, & occasionem nactus & tempus dilatandi illas, simul ac ordini meliori reddendas dignum duxi, haud ignarus, rem fanè difficilem me subire, ac multorum expositam obtrectationi; qui, cùm priscos quosque & summa laude viros, canino dente lacessiverint, multo magis id de me facturi sunt, quem non auctoritas tuetur nec dignitas. Utcunque tamen fors tulerit, æquanimiter laturus (sum) dum laborem hunc meum, ad laudem DEI omnipotentis inceptum, aliquibus gratum esse pernovero. Unum id, Lectorem benignum, præmonitum velim, si, quæ rectè scripta sunt, carebunt invidia, ut ea, quæ per inscitiam vel incuriam commissa, omissave fuerint, modestæ subjaceant correctioni. *Non enim omnia possumus omnes, & quandoque bonus dormitat Homerus.*

Hoc præterea opusculum, tametsi & ingenio careat & dicendi facultate, oblectare tamen pium animum poterit; & similem ad peregrinationem aut inflammare, aut saltem excitare. Videbit hic strenuus Lector non parum me laboris, materiæ huic impendisse, dum Provinciarum, Insularum, Urbium, & cætera id genus nomina, vel totaliter immutata, vel vulgò corrupta deprehendet, à me verò altiùs cum historiis suis repetita sibique reddita ac illustrata esse. Sciat prætetea, brevitati consultò me inserviendo pleraque me omisisse, quæ satietatem pepedissent orationi magis quàm venustatem: plura celebrium historicorum dicta intetseruisse, quò rei ipsius veritas magis astruatur: id denique solum esse propositi mei, ut ea tantummodo scriptis complectar, quæ vel ipse vidi, gessi, aut perpessus sum; vel quæ ad horum ipsorum elucidationem inservire mihi visa sunt.

Cæterùm pius Lector nullatenus moveatur, si me in quibusdam, imò in multis, à cæteris ejusdem materiæ scriptoribus dissentire videbit, sciens, humana hæc mille casibus & mutationibus esse obnoxia, & partim vetustate edaci, partim bellorum sævis turbinibus turbari, ac in varias statuum facies variari. Quam rerum mutationem, nedum in rebus exterioribus, sed in nobis etiam ipsis quotidie experimur uno eodemque vel die vel momento; dicente Beato Job: *Homo in eodem statu nunquam permanet, sed fugit velut umbra*, & quasi flos, nunc florens, statim arescens. Sed jam tandem Materia se aperiat. *Job.14.2.*

Liber Primus.

CAP. I.

Anno itaque Dominicæ Incarnationis millesimo quingentesimo septimo in *An. Chr. 1507.*

Kueffstein oppidum Tyrolis.

Martinus Baumgartner Dux & Patronus itineris in Terram Sanctam.

in oppido *Kueffstein* juventuti instituendæ præfectus (quod oppidum Ducatus quondam Bavariæ, Maximilianus Rex Romanorum ante biennium Comitatui Tyrolis manu violenta adjecit) cum nobili viro *Martino Baumgartner*, ejusdem loci indigenâ conveniens, famulatûs suscepta conditione, Romam ab eo missus sum pro obtinenda peregrinationis hujus nostræ sanctæ venia, aliísque cæteris privilegiis & articulis ad hoc accommodandis. Quoniam autem Roma ipsa, civitatésque ac loca alia, quæ eò ducunt, nostris satis nota sunt hominibus, in eis locis recensendis longior nequaquam ero: præsertim, cùm B. in eis parumper more viatoris moratus, de origine earum ac gestis pauca admodum vel inquisierim, vel perceperim. Summa itaque rerum secutus vestigia, nomina tantùm subjiciam, cætera silentio involuturus.

Athesina Vallis. Tridentum. Verona. Ostilia. Padus. Mirandula. Bononia. Lelviana seu Alleluja. Scargolaso seu Kyrie eleyson. Florentiola. Scarparia. Florentia. Sena. Bonus Conventus. Portus Centius Porsceme. Aquapend. Vulsinus lac. Faliscus Mons Viterbium. Sutrium.

Proinde die XII. Aprilis festinus admodum & alacer, iter arripiens per vallem *Athesinam, Tridentum* primùm, inde *Veronam*, urbes egregias (quas ambas Athesis non minùs ornat quàm dividit) pergens *Ostilliam* urbem delatus sum. Illic *Pado*, qui & *Eridanus* à Marone dicitur, transmisso, *Mirandulam*, hinc *Boni* C. *portum* ac *Crusetam* villas relinquens, *Bononiam*, studiorum matrem, subintrans, aliquantulùm viribus reficiendis substiti. Post hæc per *Lelviana* villam, quam nostri corruptè *Alleluja* vocant, & per *Scargolaso*, quæ itidem falsò *Kyrie eleyson* vulgò dicitur, item per *Florentiolam* ac *Scarpariam* castella, *Florentiam* appuli, urbem verè & floridam & potentem. Illic quibusdam Longobardis junctus comitibus Appennino monte superato veni *Senas*, urbem præclaram Etruriæ, summorum altricem. Exhinc ubi *Bonum Conventum* ac *Portumcentium* pertransissem, D. ad dexteram oppidum quoddam, cui *Porsceme* nomen esse dicebant, post me reliqui. Ab hinc per *Aquampendentem* venimus ad *Vulsinum lacum*, ejúsque nominis oppidum lacui contiguum, in quo Corpus sanctæ Christinæ fertur haberi. Post hæc ad *Montem Faliscum*, quem vulgus, ùt pleraque, corruptè *Montem Flasconum* nominat, venientes, brevi *Viterbium* applicuimus, ac deinde *Sutrium*: ubi paulùm vires reficientes, vetustatem urbis ac in saxis domos excisas jucundè A. lustravimus. Sicque ad XXIX. diem Aprilis, Romanum quendam nactus Socium, cum eo *Romam*, caput orbis, lætus ac venerabundus perveni. Illic ergo compluribus diebus, consumptis, partim in ejus urbis stupenda adprimè, licèt ruinosa, majestate, partim in septem primoribus Ecclesiis visitandis, diluendísque peccatis intra illud ipsum spatium dierum negotium mihi injunctum, non sine nummis & laborioso decursu expedivi.

Roma.

Primiportus. Nerriana. Brügetum. Orticula. Narnia. Terna. Spoletum. Camerinum. Seravallis. Tolentinum, Macerata, Recanata, Lauretum.

Quo peracto, die XVII. Mensis Maij ex urbe digressus per *Primiportum* Castellum novum, *Nerrianam*, ac *Brugetum*, *Orticulam* deveniens, illic pernoctavi. Inde per *Narniam*, *Ternam*, *Spoletum*, *Camerinum*, *Seravallis*, *Tolentinum*, *Maceratam* ac *Recanatam*, urbes, rapido cursu *Lauretum* deveni. Porrò in Laureto parumper substiti. Est enim ibi ædicula illa sacrosancta, in qua MARIÆ Virgini residenti annuntiatus, & conceptus est Filius DEI, quam Angeli per tot terræ marisque ac cœli spatia in hæc loca, certo & indubitato transtulisse asseruntur testimonio. Ubi ob loci & gloriosæ Virginis patentem & effluentissimam pietatem celeberrimus fit populorum undequaque concursus, vota in aureis, argenteis, cereisque imaginibus devotè persolventium. Videre quoque est ibi, ejusmodi imaginum tabellarúmque pictarum, per totam illam Ecclesiam, innumerabilem penè multitudinem.

Ancona.

Senegallia. Pisaurum. Ariminum. Venetiæ.

Hoc itaque Sanctissimo loco impigrè adorato, veni *Anconam*, urbem & vetustate & portus bonitate insignem. Hic navi conducta atque conscensa, cœpi tentare, ac pati maris fluctus, atque incommoditates. Et certè satis dura habui navigationis initia, quippe qui priùs nedum calcavi, sed nec vidi quidem mare. Hinc vertiginem cerebri, fastidia stomachi, horrorem cibi, ac totius corporis discrasiam gustare cœpi, nihil aliud cogitans, quàm quomodo terram rursus attingere possem. Sic itaque ferè exanimis jacens, navigando præterivi *Senegalliam*, *Pisaurum*, *Ariminum*, cæterásque urbes maritimas: atque tandem ad diem XXV. Maij Venetias trajeci, urbem, imò celebrandum toti mundo spectaculum, è mediis surgentem fluctibus, in qua, cùm nihil ferè victualium gignatur, omnia tamen satis superque abundant. De qua, quid-

 quid

quid dicitur, totum laude ejus inferiùs est: Superat enim omnem laudem, vincit omne præconium.

Hic itaque Domino Martino & cæteris Sociis peregrinationis nostræ junctus, complures ibi ex diversis orbis partibus, ejusdem, cujus & nos, animi peregrinos reperi, qui navi propria conducta omnes inde brevi solverunt.

Porrò Dominus meus Martinus cum Capellano suo Magistro Vincentio, unaque mecum, soli tres ex tot peregrinis, mense ferè integro, remansimus, satiùs rati, sine tumultu ac trepidatione nobis consulere, ac pro voto nostro in locis illis Sanctissimis ad satietatem commorando delitiari, id, quod in tam numerosa & tam dissona turba commodè exequi non posse, à plerisque eam peregrinationem expertis, jampridem didiceramus. Interim verò necessariis tanto itineri præparandis tempus impensum est, in quo etiam urbis magnificentiam conspeximus.

CAP. II.

At verò ad XXV. diem Julii, ubi inter Patronum galeæ, quam conscensuri eramus, ac inter nos de Naulo conventio facta est, locus nobis in navi, simúlque dies navigandi præfigitur. Qui postquam advenerat, & auræ vela vocarent, certatim Nautæ confluunt, adsunt negotiatores, navem complent, merces inferunt. Sed neque nos in mora fuimus. Celebratis enim per Sacerdotem nostrum, Magistrum Vincentium, sacris Mysteriis in Monasterio sanctæ Helenæ Imperatricis, cujus etiam integrum ibi Corpus jacens venerati sumus, conscendimus scapham, quæ vulgo *Barca* dicitur: Sicque una cum rebus nostris ad galeas navigavimus, quæ jam quidem extra portum in altum velis extensis abibant.

S. Helenæ Imperat. Corpus Venetiis.

Sed quia eo tempore & mare defluxerat, & ventus surgebat contrarius, Nautæ veriti, ne fundum galea contingeret, vela demittunt, ac remis insurgentis, se ex portu excutere conabantur. Atque ideo brevi nos eis sociantes cum rebus nostris in galeam conscendimus. Inde quoniam flatus omnis ventorum se posuerat, & mare pacatum tranquillúmque quiesceret, tubâ ad prandium acciti discubuimus, jam inde cibo nautico assuescentes. Vix refici cœperamus; & ecce ventus à puppi exortus, vela dare jubet; tumido impletur Carbasus austro: volat uncta carina, ac portus urbesque recedunt. Sed ecce, non multo post, Euro se violenter mittente, ac nimbos procellásque ferente, tempestas vehemens coorta ad locum, unde sublatis ancboris solveramus, invitos nos licèt, & admodum impulit. Fit clamor ingens & trepidatio nautarum. Veriti etiam, ne vis procellæ navim in vada cœca impelleret, ubi haud dubiè periclitandum erat, vela omnia complicant, remis incumbunt, clamore pariter ac labore se mutuò cohortantes. Et Horrendum nobis erat clamores nautarum audire insolitos, planctus ac gestus videre miserabiles, qui nos plus ipso periculo reddidêre exanimatos. At ubi Nimbus ille mitescere, cœlúmque hilarescere cœpisset, alius, licèt non omnino secundus, ventus exortus est, cum quo paulùm in altum evecti, periculum pro tunc evasimus. Sed nec ille ventus diu duravit. Contrario iterum vento adorti, jactis anchoris totam illam noctem non sine ingenti molestia jactabamur, galeâ velut ebriâ temerè saltante, nobisque nedum somni, sed & reficiendi & consistendi facultatem eripiente. Dura hæc nobis navigandi initia visa sunt. Sed spes divini auxilii nos inter hæc pascens, ad hæc & ampliora subeunda pericula animabat.

Die itaque XXVI. Julii, sole exorto ventus ille omnino conticuit. Nos inde libenter vela explicuissemus: sed quia placidis ventis stabat mare, remis aliquamdiu incumbentes, parum quid profecimus. Mox flatu secundo surgente undique conclamatur, ter tuba intonat, ter sit precatio, ter in sublime manus cum clamore porriguntur. Vela cadunt singula, *Artemon* (ita vocant velum maximum) *Messana*, id est: mediocre velum, ac *Trinketho*, id est: minimum velum, quod in prora eminet. Provehimur alacres pleno sulcantes æquora velo. At ubi Sol igneus medium Cœli conscendisset orbem, aura iterum mutatur, venti adverso murmure intonant, vela leguntur, anchora de prora jacitur, sicque tempus illud ac insequentem noctem nunc supra, nunc infra jactamur gurgite vasto.

Die

Die 27. & 28. similem passi fortunam, vix tandem ad 29. diem propè *Rubinigo* oppidum pervenimus, quod oppidum in Istria situm Venetis paret fascibus. Sed quoniam ventorum impetus nec cœptum iter agere, nec portui subintrare permitteret, prope duos quosdam scopulos galeam sistimus, in quorum uno S. Hieronymi, in altero S. Andreæ Monasterium videbatur. Hac occasione scapham conscendentes, oppidum intramus; in cujus editiori loco Ecclesia est, in qua Corpus sanctæ Euphemiæ Virginis, in Chalcedonia Martyrio coronatæ, atque huc in arca marmorea, bobus ducentibus, miraculosè delatæ, gloriosis clarens miraculis vidimus, contrectavimus, adoravimus: sicque lautiùs solitò refecti, commeatu pauxillo comparato, inter insanos fluctus ad galeam repedavimus. Crescebat tum ira ventorum, qua fiebat, ut uni anchoræ non satis fidentes, alteram ea majorem muro immiserimus: sicque illic toto triduo detenti, non fine fastidio subsistimus.

Rubinigo seu Rovigno.

Monasteria SS. Hieronymi & Andreæ.

S. Euphemiæ Corpus Rubinimi.

Die secunda Mensis Augusti, vento licèt exiguo, secundo tamen, velificamus: ac die tertia à dextris Monasterium sancti Hieronymi quoddam, altissimo situm scopulo, prætergressi, horâ ferè meridianâ, portui *Polæ* subintramus. Porrò hæc civitas, hac tempestate caput Istriæ, Episcopatu clara, à Colchis primùm inhabitata, postea Romana Colonia effecta est. Testantur hoc Ampiteatri moles maxima & monumentorum extantes perverusti multi acervi. Portus hic objectu laterum & tutissimus est & amplissimus, in quem pleno liberè potest subiri velo. Galeâ itaque nostrâ stabilitâ, egressi jungimus hospitio dextras, & tecta subimus, sex illic dies subsistentes, partim commeatum comparando, partim galeam nostræ consociam exspectando.

Pola.

Amphitheatrum & insignis portus.

Interea verò venationi cuidam piscium, spectaculo nobis admodum jucundo, adfuimus. Toninos eos vocant, genus piscium grande, capite magno, cauda exili sed acuta & robusta. Capiuntur verò eo modo. Mos est eis Mense Sextili & Septembri gregatim vagari ac commisceri, in littoribúsque sibi colludere. Ubi ergo in portus angustias devenerint, à pueris ad id in alta arbore ordinatis adesse conclamatur. Tum verò ad hoc aucupium, velut ad hostem excipiendum, A. tota ruit civitas. Pars ex naviculis retia tendens, viam aufugiendi præcludit: pars verò in littus effusa ferreis, & his præacutis sudibus quasi cum hoste congressura expectat, quousque eis Toninos & retibus & clamoribus in littus coactos contingere detur. Tunc igitur robustissimus quisque juvenum nudus inter pisces prosiliens, sudibus ac uncis passim in aqua verberat: dúmque piscem apprehenderit, fit sæpiùs, ut, dum eum extra aquam elevare nititur, ipse in aquam vicissim præcipitetur. At piscis cum telo & vulnere effugere volens ad naviculas in orbem stantes fertur. B. Sed quia fuga retibus circumsepta est, ab his quoque, qui in naviculis sunt, desuper percutitur, velut furibundus, ad littus inter cedentium pedes huc atque illuc quasi desperatus discurrit, donec & sui ipsius impetu & plagarum frequentia tandem superatus, in littus ejicitur, ubi à turba hominum imbecilliori saxis fustibúsque obruitur. Robustum apprimè piscium genus, adeò ut quamdiu caudam sub aquis habeat, etiam à quantumvis forti, superari ægrè valeat. Capti sunt eo die quinquaginta sex, postridie centum, ac demum centum triginta duo. C. Quo piscapio & tota ferè civitas, & galea nostra replera, triumphum duxit opimum, salitisque eis usque in Alexandriam abutide usa est.

Toninorum piscium in Istria piscatio.

Die X. Augusti Galeæ nostræ socia littus portûs applicuit, ferens secum Tongobardinum Sultani Ægyptii ad Venetos Oratorem. Qui, ubi terram contigit, à potestate civitatis gloriosè exceptus, magnificè tractatus est. Erat supra urbem circa Amphiteatrum arbor quædam pervetusta, patulis diffusa ramis, sub cujus radicibus fons vivus, imo Hyadum domus aquis scatebat salubribus. Sub ejus arD. boris umbra, sedilia serico adornata, mensæque diversi generis apparatæ, longo famulorum ordine, administrabantur. Illic postquam Tongobardinus cum suis locatus esset, nos quoque cum nonnullis Venetis negotiatoribus acciti, consedimus commanducantes, ac ex gelido fonte Crateras oblatas (erat enim æstus) vacuantes. Illic ego ac ex convivantibus plerique ex immaturæ uvæ esu gravem contraximus febrem, quam tamen quatriduano jejunio afflictam expulimus.

Tongobardinus Sultani Ægyptii apud Venetos Orator.

CAP.

CAP. III.

DIe XI. ex *Pola* folventes, cùm ex portus angustiis in altum progressi, anchoras jecissemus, numerúsque nautarum non conveniret, tamdiu ibi tenuimus, donec scriba noster Polam reversus, numero nautarum completo rebúsque nonnullis expeditis, remeâsset. Verumtamen cum solis occubitu, nimbus tempestásque secuta, vela nos dare prohibuit, ita ut & postera die, eadem tempestate laborando, nusquam pedem moverimus.

Die XIII. vento secundo aspirante cùm inde sustulissemus, diem illum ac insequentem noctem salubriter navigavimus, ita ut jam ampliùs nullæ visæ sint terræ, sed cœlum undique & undique pontus. Continuò venti volvunt mare, magnáque surgunt æquora, & inhorruit unda tenebris: procellæ item & fluctus validi ingentésque adeo tumescebant, ut galeam sæpenumero supergressi operirent, vasa etiam in superiori navis jacentia quædam auferrent, quædam verò per portam temerè tunc patentem in inferiora galeæ, ubi nos trepidi ac de nobis actum credentes jacebamus, violenter dejicerent. At ubi Neptunus placidum caput extulisset, undis ventísque adversis profligatis æquor placatum reddidisset, nocte sequenti Adriaticos fluctus commodè sulcavimus. Eadem temperie etiam die postero usi hinc partim fluctuoso partim velivolo mari navigavimus.

Ragusium. Ragusa. *Mons Garganus.* Die XVI. prosperum ventorum sibilum nacti, à sinistris habuimus *Ragusium*, Dalmatiæ urbem insignem, ac sui juris: à dextris verò, licèt valde procul, Apuliam, ac *Montem Garganum*, sancti Michaëlis memoriâ celebrem vix oculis contingere potuimus.

Ludicra pugna & exercitatio Classiariorum. Die XVII. Præfectus galeæ nostræ armaturam suam recensuit; Sagittariis, Bombardariis, portulanísque suum cuique locum indicit, monens: forti animo fiant, si res tulerit. Illi ordine per proram facto, ac in puppim girantes, virtutis suæ clara dabant argumenta. Quidam flexos validis incurvant viribus arcus, pro se quisque viri & depromunt tela pharetris. Quidam gladiis strictis scuta quatientes, ac nunc in ante, nunc in retro prosilientes, se non pigros fore osten- A. tabant. Nonnulli verò in longum hastis porrectis hinc atque illinc impetus vibrabant, quasi jam hostem præ oculis haberent. Hoc itaque peracto exercitio, Præfectus collaudatis eis, singulis pocula bellariáque distribuit. Eodem tempore galea consocia nostra ponè legens æquor, dum velorum sinus obliquat in ventos, ac cornua velatarum obvertit antennarum, antennas fregit: quam nos tam diu contractis velis exspectare coacti sumus, quousque confractas reficiens nobis approximâsset.

Die XVIII. vento secundis flatibus B. aspirante, velorum iterum pandimus alas, ac profecti pelago, *Ceraunia* procul per proram conspeximus. Sunt vero *Ceraunia*, quæ vulgò *Cimera* dicuntur, montes Epiri altissimi, à crebris fulminibus sic dicti, circa quos finem esse Adriatici, ac principium Jonii Maris strabo asserit: A quibus montibus iter est in Italiam, cursúsque brevissimus undis, quippe quem Æneas ille Virgilianus medio noctis spatio transfretavit. Porro *Epirus* hac tempestate *Arthon* dicitur. At hi, qui Ceraunia incolunt, *Cimeritæ* dicti, Christiani sunt, sed Græca contagione fœdati: C. liberi, ut, qui nec Venetos nec alium quemvis dignantur dominum. Sed neque Turcum quamvis vicinum & potentiâ aliis formidabiliorem verentur. Qui, quoniam tota ferè Epiro potitur, indignum ratus, si inde modica gens & pauper obsisteret, proximo eos mense cum quinque millibus hominum adortus, ne unum quidem ex tanta clade suorum superstitem habuit, id quod nos & ab ipsorum navicula nobis obvía, & totâ postmodùm Corcyrâ verum esse didicimus. *Ceraunia. Cimera.* *Virg. lib. 3. Aneid. 506. & seqq.* *Epirus seu Arthon.* *Cimeritæ.* *Eorum libertas & fortitudo.*

Die XIX. Vento admodum lento utentes in conspectum *Corcyræ* venimus, ac D. postera die, aura secunda crebrescente, insulæ ipsi appropinquamus. Ibi Monasterium quoddam sanctissimæ Virginis Catharinæ nomini sacrum prætereuntes, sublato, ùt mos nautis est, clamore, cum manibus tubarúmque etiam concentu salutamus. Inde prætergressi *Chrysope*, desertum ab antiquo metu draconis oppidum, obviam habuimus galeam Corcyretam, quæ mare illud propter Turcos piratas tuebatur. Quæ ubi ex certis signis amicos nos agnovit, vexillis in sublimè erectis tubarumque terno concentu nos gra- *Corcyra. Corfu.* *S. Catharina Monasterium.* *Chrysope.*

gratulabunda salutavit, ac Butroti celsâ A. urbe Turcorum ad sinistrum relicta, in portum usque conduxit. Egressi itaque, Græcam urbem nocte jam sub obscura conscendimus, sicque corpora cibo somnóque lætiori curamus.

Corcyra amplitudo & antiquitas. Die XXI. urbem, arces, ac eis vicina lustramus. Hæc insula in mari Jonio sita, ac Adriatico vicina, ambitu centum viginti milliarium cingitur. Olim patria, & Alcinoi regnum, nunc Venetæ est ditionis. Qua parte Orientem mediúmque Solem respicit, tota ferè est humilis & peramœna, Baccho, Pallade, ac alio arborum diversarum genere consita, Epiro B. verò contigua, ut quæ ab eo vix tribus milliaribus recedat. Porro urbis pars vulgò ea, ùt & tota insula, *Corphun* dicitur, duabus egregiè & munita arcibus & conclusa, terribilem hostibus intentat faciem. Ejusdem diei vesperi, commeatu comparato galeam conscendimus, rursum molestias passuri marinas.

Die XXII. postquàm Palinurus noster ventos exploràsset, atque auribus titionéque in mare projecto aëra captàsset, vela damus læti, & spumas salis nave secamus, lætam apprimè & salubrem nacti navigationem. C.

Cephalonia, Cephalenia. Die XXIII. priori aura durante, *Cephaloniam* abscondimus, quæ insula est in mari Jonio sita, teste Plinio libro quarto naturalis historiæ *Melæna* * quondam dicta: fuítque, ùt per totam Odysseam ostendit Homerus, sub Ulixis imperio: nunc verò Venetis paret, qui eam non sine cæde suorum paulò superiùs Turco ademerunt. Eodem die plures insulas & scopulos procul eminentes raptim ex oculis amisimus quorum nunc mentione supersedeo, quia in alio * loco eos clariùs explicabo.

** Cod. Menala.*

** Lib. 3. à cap. 17.*

Peloponesus, Morea. Die XXIV. *Peloponeso* adnavigamus. D. Hæc regio, ùt Plinius lib. quarto narrat. histor. restatur, peninsula est, haud facilè ulli terræ nobilitate postferenda, inter duo maria, ægæum & Jonium, platani folio similis, sic dicta quasi *Pelopis insula*, cujus circuitus quingentorum sexaginta trium millium passuum colligitur. Eodem teste Herodoto lib. 1. histor. primò sic dicta, pòst *Danaa*, deinde *Achaia*, at nostro ævo *Morea*. Ejus pars est *Laconia*, antè *Oebalia* * nominata, ubi Lacedæmon, quæ & Spartha, oculus Græciæ fuit. Por-

** Cod. Oebulia.*

rò ea strictura, qua Peloponesus continenti jungitur, *Isthmos* dicitur, quinque millia passuum latitudinis continens. Illinc *Corinthus* est nobilis Colonia Romanorum, clara olim opibus, pòst clade notior, ex summa arce, quam *Acrocorinthon* vocant, utrumque mare contuens. Hic etiam Græci Principes, Turci potentiam ac vicinitatem veriti, à mari ad mare traducto per angustias muro Peloponesum à reliqua Græcia secluserunt, murum ipsum *Hexamylon* appellantes, quem postea Amurathes Turcorum Imperator, Græcis dormitantibus vel pavore perculsis, tandem dirutum solo æquavit. Ipsa etiam Morea *Chersonesus* dicitur, quasi terra insula: nam, nisi parvo continenti jungeretur, insula dici posset. Apud priscos etenim græcos *cheras* terra, *Nesos* insula dicebatur.

Isthmus. *Corinthus.* *Hexamilon muro obductus.*

Die XXV. prospero usi vento *Leopontum* urbem Moreæ præterlapsi, in conspectum *Modonæ* Civitatis venimus, in qua urbe olim Archi-Episcopalis Sedes fuisse perhibetur. Sed, ubi eam Turcus Venetis recentissimo & miserabili prælio ademisset, in Turcorum ritu tota concessit.

Lepantus, Leopontum, seu Naupactum. Modon, Methone.

CAP. IV.

Die XXVI. *Cyrigo* Insulam, quæ olim *Cythera* dicta est, prætercavigamus. Hæc Insula ultima ex cycladibus ponitur. Eam tamen Laertius Laconiæ insulam dixit, quæ à Maleæ promontorio quinque millibus passuum distans, ancipiti est & valde metuendo pelago propter angustias. Hæc priùs *Porphyris* dicta fuit, sed ob celebratum in ea Veneris templum *Cythera* pòst nomen accepit. In hoc templo ferunt, Helenam à Paride raptam Trojano bello causam dedisse.

Cerigo, Cythera.

Vespere ejus diei, vento flante leniter speculator ex summa arce mali, quatuor vela venire conclamat. Attracti ad hanc vocem omnium animi, uoiversi locis singulis prosiliunt, fit clamor: *ad arma:* arma trepidi capiunt, Turcos rati adesse. Pars saxa in summam mali trahere, pars bombardas locis suis aptare: Nonnulli portam, qua insultus facilior erat in galeam, occludere: reliqui, quodcunque facto opus erat, facere. Et fit trepidatio major ipso apparatu: præcipuè tamen Præfecto reliquisque nobilibus Venetis, qui

qui plus deliciis quàm Marti assueti erant, A. genua labant, gelidúsque ruit formidine sanguis, simul ac salsus per artus sudor it. Istis verè singulare certamen committeres. Sed, ubi vela jam propiora facta agnosci cœpissent, vexillis utrimque erectis, tubæ personant: gaudium ex ultima penè desperatione ortum, vitam animúmque illis exsanguibus reddidit. Porrò illi jam nobis viciniores facti, circùm nos in orbem gyrantes, vela demittunt: priores eorum scaphâ ad nos delati conscendunt; quæ nova sint ex patria, sciscitantur: de pyratis Turcorum, si fortè quoauspiam sensissemus, perquirunt. Dicunt B se præterea nudius tertius cum duabus Gallicis navibus confligisse, ac superatas votóque obstrictas dimisisse. His dictis refectione aliquantula percepta, provinciam suam curaturi abscedunt: nobis ab invicem lento flatu digressis aura fortior cum nocte exorta terram diémque ex oculis abstulit.

Creta.

Die XXVII. Cùm pro voto nostro Zephyrus prægnantia vela fecisset, tum procul excelsos colles, sublimémque videre cœpimus *Cretam*. Conclamant socii ac Cretam Gnosúmque salutant. Nos majorem marini itineris viam exactam au- C. dientes, læti admodum gratias DEO optimo Maximo agimus immortales, precati, servaret incolumes, quos hactenus benignus servâsset.

Candia, Gnosus.

Die XXVIII. *Candiæ* urbi jam facti viciniores, adeò tranquillitate maris, quam nautæ *Bonatza* vocant, laboravimus, ut vix hora noctis tertia Candiam contigerimus. Et quia nox atra erat, nulláque tunc obscuro fulgebant sydera Cœlo, portúsque angusto clauso ore suspectus nobis esset, remis sublatis magno cum labore & discrimine in portum tandem delati, velis complicatis galeam sistimus. D.

Domus peregrinorum Candiæ à Duce Burgundiæ fundata.

Die XXIX. Galeis egressi intramus *Gnosum* urbem, nunc Candiam dictam: quo etiam nomine tota reliqua Insula nominatur. Pòst Domum peregrinorum ingressi, quam Dux quidam Burgundiæ, qui & ipse easdem oras peregrè lustrando pro peregrinis emit, erexit atque dilatavit, illic repausavimus. Hæc est Gnosus, ùt meminit Diodorus Siculus, Ciranum olim patria, pòst Minois regnum, portu ac turribus superba, nùnc Venetis serviens. In conspectu ejus versùs austrum collis quidam præminet. Hunc Incolæ *Jovem* vocant, eò quòd ibi sepulti Jovis penè clarum vestigium & sepulchrum est, cui nomen ejus insculptum olim, accolæ ostendebant.

Jovis Sepulchrum.

Ida Mons.

Porro à Candia contra meridiem triginta ferè milliaribus, *Ida* mons Cretæ altissimus, & sublimitate & fama nutriti Jovis celebris est in medio ferè Insulæ, cujus circuitus sexcentorum stadiorum esse traditur. Sub ejus montis radicibus *Labyrinthus* usque hodie extat, Domus Minotauri, imò carcer & inexplicabilis error, saxo exstructus ingenti, unum in se descensum habens, intus penè innumerabiles vias (sed nunc propter subire volentium discrimen occlusas) multis ambagibus huc atque illuc remeantibus, sed continuo anfractu & sæpe revocatis porticibus ancipites: quibus subinde alium supra alios orbes agentibus, & subinde tamen redeunte flexu, quantum quis processerat, magno & inextricabili errore perplexus est. Major tamen ejus pars vetustatem sensit & ruinam. At verò teste Plinio libro 26. natur. histor. quatuor olim labyrinthi fuerunt. Primus in Ægypto, secundus in Creta, tertius in Insula Lemni, quartus in Clusio Italiæ oppido. Sed iste noster Creticus famosior habetur, & à Poëtis Græcis & Latinis maximè decantatus, fabricatus à Dædalo fabro ingenioso, dicente Ovidio lib. 8. Metamorphoseos.

Labyrinthus Creticus.

Quot in Orbe Labyrinthi.

Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis
Ponit opus, turbátque notas, & limina flexû
Ducit in errorem variarum ambage viarum. Et subdit.
. . . *Vix ipse reverti.*
Ad limen potuit; tanta est fallacia tecti.

Cæterùm Insula ipsa Bacchi mellísque apprime ferax, priùs à temperie Cœli *Aeria*, deinde *Macaroneson*, id est, beata insula dicta, pòst à numero urbium *Hecatopolis*, id est, centum Civitatum, ac demum à Rege quodam *Creta*, nunc à Candore *Candia* nominatur. De qua Insula Aristoteles libro Polit. 2. sic ait: *Videtur hæc insula ad principatum Græciæ nata ac preclarè sita: cunctò namque mari imminet mari.* De qua, ùt ait Servius, dubi-

Cujus maris sit Creta

dubitant omnes, in quo sit mari. Nam à meridie Lybicum, à septentrione Ægæum, respicit: ab oriente Icarium, ab occiduo Ionium sive Myrtoum intuetur. Ingens ipsa, ac nisi major esset, Cypro similis, quæ secundùm Socratem quingenta stadia ambiat in medio ferè mari sita, Africæ, Asiæ, atque Europæ contermina, multis famigerata fabulis, adventu Europæ, Pasiphaës & Aradnæ amoribus, Minotauri feritate, fato domóque, Dædali operibus ac fuga, maximè verò Jove ibi nutrito atque sepulto. Hic rem nauticam initium habuisse tradunt, proverbiúmque hoc natum: *Cretes nescit pelagus?* De ipsa etiam Solinus tradit, quòd *ager Creticus Silvestrium caprarum copiosus est, cervo eget; lupos, vulpes, aliamque quadrupedum noxiam nusquam educat: Serpens nulla; larga vitis, mira solis indulgentia, arborarii proventus abundantes. Avem noctuam Creta non habet; si invehatur, emoritur.* Porro nimia terræ fertilitas incolas suos corrumpit. Verum est etenim illud Apostoli Pauli usque hodie: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.*

Solin. Rerum Memorab. c. 19.

Ejus fertilitas & salubritas, ac inde luxus.

1. Tim. 1.

Demùm Insula hæc versùs Orientem habet promontorium, *Salomonium*, quod vulgus *Chao Salomon* dicit, quod in actibus Apostolorum *Salmon* nuncupatur cap. 27. ubi sic habetur: *prohibente nos vento adnavigavimus Cretæ juxta Salmonem.* Ad occidentem verò hujus Insulæ est promontorium, *Criometopon*, quod interpretatur fons arietis. Ex tanto autem olim urbium numero, septem sola extant in Candia oppida, scilicet: *Candia, Chanea, Gissamo, Rethimo, Jerapitro, Sittia, Arcadia*, in quarum prima Archiepiscopus, in ultima Episcopus sedem habet. Pagi vero Mille quadrigenti esse asseruntur.

Salmon.

Criometopon.

Oppida Cretæ.

CAP. V.

September.

Commeatu interea comparato, postquam dies secunda Septembris illuxisset, & tuta fides esset pelago, pacatáque darent venti maria, & lenis crepitans vocaret Auster, in altum deducunt Socii naves portúmque relinquunt; Mox ad lævam, Standiam insulam radentes, ubi sub Sittiam oppidum Cretæ venissemus, ventus nos instabilis excepit, qui nos aliquando portum petere, aliquando verò vela dare in altum facebat, nosque tali ludo sæpe fatigabat. Ad ultimum cùm nos Alto commisissemus, ad XX. retro millia acti, Standiæ allisi sumus, quod ne fieret, summa omnium ope laboratum est.

Standia insula.

Sittia oppid. Cretæ.

Die 3. 4. & 5. eodem maris infortunio molestati, vix tandem Salmonium Cretæ promontorium attigimus: Sicque die sexta Cretam post tergum reliquimus.

Die VII. complures insulas & scopulos præterlabentes, etiam *Scarpanto* insulam, olim *Campathum*, dictam prætervimus. Hæc insula, teste Pomponio libro 2. inter Ægyptum & Rhodo sita, regnum vatis Protei; ùt ait Plinius, Carpathio mari nomen dedit, éstque nunc sub fascibus Venetorum.

Scarpanto, Campathus.

Die VIII. aura sibilans leniter, cùm nautas à labore continuo aliquantisper tandem laxâsset, illique ludis, saltibus atque choreis, cultiore vestitu securè vacarent, venit ecce turbo insperatus, præruptum aquæ cumulum supra galeam torquens, qui omnes illos, & quosdam etiam ex nostris copiosè operuit; at conclamantibus illis ac refugientibus, quasi ob hoc tantum exortus, (ut) satis joci dedisse videretur, repentè totus disparuit. Inde saluberrimo aucti vento, tantum die eo profecimus, quantum nunquam hactenus in quinque diebus.

Die IX. circa meridiem speculator per proram, *Alexandriam* videri conclamat. Nos arrectis simul auribus atque animis, eò quòd finem laboris marini haud procul abesse audiremus, gaudio perfusi non minimo, gratias Altissimo DEO egimus immortales.

De hinc circa Vesperum Alexandriam contingentes, cùm ad Castellum *Pharon*, quô portus & clauditur & ornatur, venissemus, dimissis omnibus, ùt mos est, ob reverentiam Soldani velis, portui tandem subintramus. Illic Gamali Turcicarum præfectus navium, paulò ante nostrum adventum appulsus erat, ac exposito in terram, quem conduxerat, Turcorum ad Soldanum Oratore, in medio ferè portu Naves statione tenebat. Nos ventorum propulsi impetu contra naves ejus rectè inferimur. Turci etiam nos id de indu-

Alexandria.

Pharos.

industria facere rati ad arma prosiliunt, clamorem in nos & arma tollunt. Sed ubi ex clamore nostro miserabilirem percepissent, veriti etiam portûs libertatem, à nobis desistunt. Sicque cum ingenti clamore vix galeas nostras à Turcicis sejungentes, jactis anchoris stationem capimus, & noctem illam totam duximus insomnem. Turci enim nos vario tympanorum & cantûs genere inquietantes, similia ex adverso facere compellebant.

Tongobardinus festivè Alexandrina exceptus. Die X. jubare exorto. Tongobardinus Soldani Orator nobiscum ex Venetiis advectus, galeam egreditur. Undique visendi studio Alexandrina juventus B. circumfusa ruit, certátque effunderè honorem. Princeps Civitatis, qui illic Soldani vices gerit, cum vario dissonóque & barbaro tympanorum genere, multis comitatus Mamalucis, omnibus equo egregio insidentibus, eum honorificè admodum excepit. Consul etiam Venetus, qui illic suis negotiationbus præerat, scaphis magnifico apparatu adornatis, cum tubis & vexillis Oratorem prosecutus, barbaris omnibus admirationi fuit. Præterea omnes, quæ in portu erant, naves infinito penè horrendóque borbarorum crepitu, ignis jaculatione ac clamore C. vario honorem Tongobardino exhibebant, talíque pacto Solem ex oculis nostris abscondebant. Cæterùm nobis etiam egressis in terram ac spectaculum intuentibus, pompa illa stupore fuit, videntibus, barbarum illum ac rudem, incompositúmque populum, passim stratis effusum, honori exhibendo pro virili suo operam navantem.

Die XI. in diversorium seu fonticum unius Venetorum intrantes, mari ad tempus valediximus. Et quia habitu mercatores, non peregrini videbámur, liberum habuimus ingressum & egres- D. sum. Addo, quòd & pecunias portabamus, cambio ex Venetiis usque huc usi: alioquin ex decima quaque parte dationem solvere nos oportuisset, Saracenis omnia diligenti exploratione perscrutantibus. Unam tamen pecuniæ partem inter carnes Suillas, quas ibi abominantur, obstrusas tutè salvavimus. Sic sollicitudo illuditur quærentium. Interea duce quodam Veneto per sancta ac nominatiora loca urbis circumducti, plura illic memoratu digna vidimus; quæ postquàm A. urbis originem explicavero, postmodum subinferam.

Christiani in Ægypto pecuniarum decima solvenda.

CAP. VI.

Alexandria an. ALexandria itaque Ægypti civitas maxima, ante Christi Domini nostri adventum 320. annis ab Alexandro Magno condita in maris Ægyptii littore ac parte Africæ, haud procul ab ostio Nili, quod plurimi *Canopicum*, aliqui *Heracleoticum* dicunt. Hæc urbs, Auctoris opus, nomen, ac bustum (ad quod Julius primus Cæsar ille per speciem religionis venisse legitur) munitur undique aut vastâ solitudine, aut importuoso mari, aut fluminibus, aut Sylvosis paludibus. In cujus urbis augmentum, ùt testatur Diodorus siculus libro primo, Cæteri post Alexandrum Reges omnes incubuerunt, adeoque donis plurimis & decoris rebus exornaverunt, ut prima apud quosdam, aut secunda in orbe habita sit. Habet ùt Josephus meminit in longitudine Stadia XXX. in latitudine autem non minùs quàm decem. *Situs; amplitudo.*

Est ferè tota suffossa, specúsque habet ad Nilum pertingentes, quibus aqua in privatas donos inducitur, qui paulatim spatio temporis liquescit ac subsidet. Hac uti Domini ædificiorum cum sua familia consueverunt. Nam, quæ è Nilo flumine fertur, adeò est limosa atque turbida, ut multos variósque morbos efficiat. Sed eâ plebs ac multitudo necessariò contenta est, quòd in tota urbe fons nullus publicè habeatur. Et hac tempestate foris quidem decoris mœnibus firmóque & sublimi murorum turritorum ambitu speciosam, intus verò, ubi ingressus fueris, nón civitatem, sed stupendum quendam lapidum acervum videbis. Raræ enim in ea domus integræ, sed plateæ admodùm spatiosæ. Porro ubi quondam Alexandri regia steterat, extat usque hodie pyramis solidi ac rubri marmoris, undecim, si benè memini, palmarum lata ac totidem spissa, miræ altitudinis capitellum subacutum, habens: quæ, tota quanta est, ab imo usque ad summum Characteribus tum animalium tum cæterarum rerum insculpta, documento est, Ægyptios olim ejusmodi usos figuris pro literarum apicibus. Testis est hujus rei Lucanus inquiens.

Aqua è Nilo. *Ejus mœnia.* *Regia Alexandri nunc Pyramis.* *Hieroglyphica literæ Ægyptiorum.*

Non-

Lucan. Pharsal. Lib. 3. 222. & seqq.

Nondum flumineos Memphis contexe-
re biblos
Noverat: & saxis tantum volucrésque feræ,
Sculptáque servabant magicas animalia linguas.

Ferunt quidem pyramidem illam Romæ circa Sanctum Petrum, Cæsaris Julii ossa continentem, vicinam huic, de qua præfatus sum, olim stetisse: Sed hæc illam & altitudine & magnitudine superâsse visa est.

Templa Christianorum, S. Sabæ, & S. Marci.

Sunt usque hodiè in Alexandria Christianorum quædam Ecclesiæ, inter quas est una *ad Sanctum Sabam* dicta, quæ à Græcis tenetur, in eo loco erecta, ubi quondam Beatissima Virgo DEI Catharina in paternis laribus habitavit. Est & alia Ecclesia ad Sanctum Marcum nominata, qui ei urbi primò Christum in eodem loco prædicavit. Visitur hodie in ea ecclesia sedes & Cathedra ejus, nec non & baptisterium, ubi eum baptizâsse traditur.

Imago B. Mariæ V. à S. Luca picta.

In hac ecclesia habetur imago Beatissimæ Virginis Mariæ, à Sancto Luca, ùt fertur, depicta: quam, ùt certa relatione didici, nemo Saracenus nec contingere, nec aspicere impunè audet. Jacent illic retro altare majus multi vetustissimi Græcorum Codices, carie, tineis & ustura quadam consumpti.

Codices Græci.

Carcer S. Catherinæ V. & M.

Vidimus etiam, carcerium sanctissimæ Catharinæ, atque in eum singuli, nummis datis, intrantes adoravimus, in quo pluribus detenta diebus, cœlesti meruit ab Angelo pasci cibo: in quo etiam Porphyrius cum suis conversus est. In quo carcere, heu pudor! eo tempore stabulum aselli fuit. At verò ante carcerem quinquaginta illi Oratores à Sanctissima Virgine convicti ac DEO conquisiti, igni dati sunt. Illic etiam eodem ferè spatio extant adhuc duæ columnæ muris immutatæ, inter quas horrendum illud rotarum genus exstructum erat, quibus Sanctissima Virgo minutatim discerpi debuit. Ibi etiam capite plexa est, ac exinde Angelico ministerio in Sinai montis verticem deportata.

Illustres Doctores Ecclesiæ, qui Alexandriæ floruerunt.

In hac olim urbe multi in divinis literis eruditissimi viri claruêre. Philo natione Judæus, qui multa utilia conscripsit: Origenes Presbyter excellentissimus, Athanasius ejus urbis Episcopus, Dydimus, Theophilus, Joannes Eleymona ac multi A. alii, quos recensere & longum & difficile foret. Hìc etiam sub Ptolomæo Philadelpho Septuaginta interpretes claruerunt. Hìc præterea isto ævo complures diversi generis merces ex multis orbis partibus convectæ visuntur. Hìc negotiatores Veneti duos fonticos habent multis bonis refertos, quibus Consul vir magnificus præest. Genuenses etiam, Catalauni, Turcæ ac Scythæ, qui & ipsi jam aurum habere didicerunt, singulos funticos habent, quos Saraceni singulis noctibus deforis occludunt.

Emporium & commercia Alexandriæ.

B. Sunt etiam intra mœnia, duo satis editi colles, arte laboréque hominum ad hoc facti, ut venientia procul vela conspiciant. Tradunt etiam, si quando necessitas ingruerit, columbas ad id edoctas ab Alexandria usque Cayrum litteras sibi colligatas deferre. Quod tamen, etsi ipse minimè viderim, eò tamen id credere adducor, quòd non à vulgaribus id personis dictum audierim, maximéque quòd Plinius obsidione Mutinensi Brutum in castra Consulum, Columbam cum epistola pedibus annexa misisse commemorat. Extra urbis mœnia est Columna Magni Pompeji Sexaginta fermè cubitorum, ubi & caput C. ejus reconditum asserunt. Hæc de urbe ipsa.

Columbæ litterarum bajulæ.

Columna Pompeji.

Cæterùm portus Alexandriæ talis est, quòd etiam in pace, navibus aditu difficilis sit. Nam & ostium perangustum habet, saxísque latentibus à directo cursu deflectitur. Et quidem pars læva in manufactis brachiis cingitur: à dextra verò Pharus insula objecta turrim cum castello sui nominis sustinet. Quæ turris olim maxima & inter septem mundi spectacula numerata, ad trecenta stadia navigantibus ignis lucrum ministrabat, ut quàm longissimè difficultatem applicandarum navium D. præcaverent. Circa hanc autem insulam opere exstructo ingentes muri sunt, quibus afflictum pelagus & aversis obicibus fractum, asperiorem facit ventum, eóque periculosum per angustias aditum, id quod nos satis clarè experti sumus. Intus tamen portus ipse tutissimus est, ac triginta ferè stadiis magnus, in quem tam, quæ desunt illi terræ, ad copiam advehuntur, quàm ea, quæ supersunt ex bonis domesticis & indigenis atque exoticis, in totum orbem divisa exportantur.

Portus Alexandriæ.

CAP. VII.

Quantum lucri Venetis ex avellanis proveniat?

POstridie cum negotiatoribus convivantes hæc inter cætera à sene quodam Veneto didicimus. Afferebat is ipse navem sibi unam nucibus avellanis oneratam quotannis ex Apulia adventare, atque exinde sibi decem millia nummorum aureorum provenire. Præterea aliam navem castaneis plenam, similiter quotannis Triopolim Syriæ applicantem circiter duodecim aureorum millia sibi constare, idque ideo esse, Mauros scilicet & Ægyptios Syrósque ac alios Mahometicæ sectæ populos fructuum esui assuetos (quoniam fructus eorum, licèt & optimi & varii pro- B. veniant, durare non possunt) omnes æstate absumere, vel ad alias orbis oras transmittere: atque ita hieme tota, maximè verò cùm mensem suum jejunant, nucibus castaneisque vesci, cùm præcipuè ejusmodi genus fructuum apud eos nascatur. & aliunde allatum non putrescit in multum tempus, nec à Soricibus, ut apud nos, devastatur. Per id etiam tempus comparavimus commeatum résque alias, quæ itineri nostro convenire videbantur.

Orientales nucibus &c. delectantur.

Tunc etiam Tongobardino Mamaluco recommendati, ejúsque familiaritatem ac colloquium frequens adepti, quinqua- C. ginta aureos, quos illi *Seraphos* vocant, ei obtulimus, quò sub ejus umbra ac patrocinio peregrinationem nostram securiùs perageremus. Et ille quidem, quamdiu nummos à nobis speraret, affabilem se nobis exhibens, se nusquam nobis defuturum pollicebatur.. Ubi verò aurum, propter quod id agebat, deglutisset, limis nos aspiciens oculis, supina præteribat aure, nobis omnia, ùt externis, æquanimiter & tolerantibus & dissimulantibus.

Seraphus vel Zeraphus, aureus nummus

Ubi verò dies XXII. Septembris illuxisset, singuli singulos mulos conscendimus, cum nonnullis negotiatoribus Italis, D. duce quodam Mamaluco, versùs *Rossetum* profecti. Ubi ad portas ventum est, sex pro capite argenteos, qui apud illos *Maydini* dicuntur, singuli solvimus. Exinde per Sylvam palmiferam, ac vario olentissimarum genere arborum exuberantem pergentes, sub palma quadam dactylis nondum præcocibus onusta consedimus, ac eo, quod quisquis secum tulerat, in medium & in gramine prolato refecti, ex proximo fonte siti nos futuræ præparantes abundè bibimus. Inde per

Rossetum.

Maydinus quid?

A. paludes, quas Nilus jam tunc decrescens reliquerat, aliquamdiu pergentes, ad mare pervenimus, atque ita ejus diei partem equitantes peregrinus. Post hoc ad alias paludes venimus, ubi Arabes quidam piscantes à nobis vi minísque extorquent, ut pro singulo capite duos eis *Maydinos* contribueremus. Demùm à mari paulùm recedentes, ad tugurium quoddam desertum, Sole jam in occasum vergente divertimus, mulos colligamus, salsum fontem potamus, sub dio in molli sabulo repausamus. Erat tunc Luna verò pernox, quò fiebat, ut ejusmodi lecto nondum B. assueti, latrocinia insuper timentes, vix illic quatuor horis exactis, rursum nocte sublustri inde recessimus.

Deinde venimus in desertum mollissimis ac candentibus arenis conspicuum. Surgebat verò tum ventus lenis à mari, qui, cumulos & colles arenarum passim ante & retro faciendo, iter nostrum confundebat. Fiebat enim, ut, cùm præ oculis iter planum haberemus, continuò colles multi insurgerent, qui iterum brevissimo spatio in aliam transvolabant partem, nobisque ac jumentis nostris prospe- C. ctum simul ac iter turbabant. Tali pacto, cùm multùm hinc inde viam eligentes errâssemus, venimus tandem ad sylvam quandam palmiferam, cujus densitate ab ejusmodi periculo contecti, quæ *cantus gallorum* vocabatur, eò cursum deflectimus. Ac non multò pòst *Rossetum* intramus, ubi in portu mulis exoneratis aliquantulo somno corpora curamus, diem in sequentem illic quietè subsistimus, sitúmque loci ac gentis mores lustravimus.

Cantus Gallorum.

Est verò *Rossetum* Ægypti inferioris oppidum, quod in littore Nili à meridie in Septentrionem porrectum, muro qui- D. dem nullo ambitur, sed templorum celsis egregiísque turribus magnificè adornatur, adeò ut magnæ cujusdam & potentis urbis faciem gerat.

Rosseti situs.

Porro Nilus, teste Diodoro Siculo, à meridie ad Septentrionem fertur, maximus omnium in mare nostrum promeantium amnis, qui septem ostiis mare influens, Asiam ab Africa disterminat. Ejusque fontes locáque, ex quibus oritur, nullus ad hoc tempus scriptor, neque vidisse se dicit, neque audivisse ab aliis. Adeoque ortus ejus incertus est, ut ipsum *Ascopon,*

Nilus fl.

Ejus fontes nondum cogniti.

pon,

pon, id est, ortam ex tenebris aquam vocent. Nam ùt ait Lucanus, Nili

Lucan. Pharſ. lib. 10. 291.

> *Arcanum natura caput non prodidit ulli.*

Et Horatius in Odiſ.

Horat. lib. 4. Od. 14. 45.

> - - *Fontium, qui celat origines*
> *Nilus* - - - -

Hunc ſacræ literæ aliquando *Gihon*, aliquando *vivum turbidum*, nonnunquam *rivum Ægypti* nominantes, ex fonte paradiſi fluere, atque omnem circuire terram Æthiopiæ memorant. Hic itaque immenſa àquarum mole, ſingulis annis à Solſtitio incipiens æſtivo, ad usque Æquinoctium totam exundat Ægyptum, B. ſemper novum limum ſecum ferens, atque ideo Nilus dictus, quaſi *Neos ilys*, id eſt, novus limus.

Unde nomen Nili?

Rigat verò tum cultas regiones tum incultas, quanto tempore velint agricolæ. Aqua enim leniter fluente facilè parvis aggeribus aut arcent, aut inducunt pro commodo terræ. Tantam verò fertilitatem infert & agri colendi facilitatem, ut, cùm ſeminatum fuerit, aut oves introducant ad jacta ſemina conculcanda, aut aratro levi ſubaucant, neque niſi quatuor aut quinque menſibus exactis, ad meſſem redeuntes, brevi tempore uberrimos fructus absque ulla impenſa C. aut damno reportent. Alibi agriculum magno labore exercetur ac ſumptu: Soli Ægyptii minima expenſa, labore tenui, fertiles fruges capiunt. Terra inculta ad paſtum pecori relicta adeò exuberat herbis, ut oves bis anno pariant, bisque præbeant lanam.

Is maxima fertilitatis cauſa.

At verò incrementum Nili aſpicientibus videtur mirabile, incredibile audientibus. Solus enim inter reliqua flumina adeò æſtate creſcit, cùm decreſcant cætera, ut totam inundet Ægyptum. Hyeme minuitur, cùm reliqua augeantur.

Mirandum ejus incrementum & decrementum.

Septem autem oſtiorum ejus, quibus D. in mare influit, hæc ſunt nomina. *Peluſiacum*, quod Arabiæ oras ſecat, *Canopicum*, *Volbiticum*, *Sebennyticum*, *Pharmiticum*, *Mendeſium & Taniticum*. Et licèt habeat & alia permulta oſtiola, ſed quia hæc ipſa propter paludes & brevia non navigantur, in numero etiam aliorum non cenſentur.

Oſtia illius ſeptem.

Incrementi ejus amnis cauſæ cùm plurimæ ferantur, hæc mihi ex omnibus verior viſa eſt; Ex æthiopiæ ſcilicet fontibus, qui Ægypto adjacent, continuos imbres fluvio augmentum præbere, præſertim cùm etiam barbari ea loca incolentes teſtimonium huic rei ferant.

Cauſa increſcentis Nili.

Solus hic omnium Nilus neque nebulas, neque auram frigidam gignit. Ideoque Ægyptus, auctore Pomponio Mela, ſola ex omnibus terris expers eſt imbrium, mirè tamen fertilis, & hominum & cæterorum animalium perfœcunda generatrix. Idem & Plato & omnes Scriptores adſtruunt.

Fœcunditas Ægypti.

Nos tamen & in Alexandria & in Cayro, deſertóque ei contiguo pluvias non exiguas vidimus: ſed id fortè niſi rariſſimè contingit.

Ægyptus nequaquam impluvia.

Porro Ægyptus terra plana eſt & campeſtris. Cúmque urbes, vici, agricolarum mapalia aggeribus munita aquæ inundationem devitent, tanquam Cyclades apparent aſpicientibus. Terreſtres belluæ omnes, quæ in campis remanent, ſuffocantur aqua: quæ evadunt, ad altiora loca confugiunt. Pecora inundationis tempore in ſtabulis recluſa nutriuntur à Colonis paſtu ad id antea præparato. Vulgus ipſum remiſſis operibus ruſticis otioſum, indulget epulis ac voluptatibus. Tali pacto Ægyptus Nili brachiis diviſa, manui quodammodo expanſæ ſimilis eſt. Hæc pauca de Nilo Ægyptóque.

CAP. VIII.

Die XXIV. Tongobardinus, quem tantopere deſideravimus, tandem ex Alexandria magno Camelorum ſtipatus numero advenit. Nec multùm moratus ipſe cum rebus ſuis, duabúsque, quas ſecum ducebat, uxoribus navigium complevit. Mamaluci ejus aliud: Nos Chriſtiani, Judæi, Ægyptii & cæteræ nationes promiſcuè tertium conſcendimus, ac paulùm ex ſtatione portûs inde provecti, navigia ſimul ſtatuimus circa ſylvam palmiſeram quandam, è cujus regione in altera fluminis ripa, ſylva eſt maxima, ubi pſittaci ſine numero capiuntur.

Pſittacorum multitudo.

Die XXV. Cœpimus contra flumen velificare, ac eo modo ad oppidum quoddam, *Phua* dictum, delati in littus egredimur, pauſamus, reficimur.

Phua.

In hoc oppido populum multum ac robuſtum, lutus utrumque malogranatis, palmis, malis punicis, aliiſque diverſis arborum fructiferarum generibus refertum vidimus. Inter arbores, Domus ferè innumerabiles, ac

Monumenta seu sepulchra Ægyptiorum. ac monumenta Ægyptiorum, quædam à A. terra paululùm erecta, quædam in sublime extructa, omnia verò arcualiter testudinata, ingens circa oppidum spatium sibi vendicabant. Ægyptii enim ex antiqua majorum suorum traditione Domus suas negligenter excolunt: Circa verò sepulchrorum magnificentiam summum studium operâmque impendunt: mortuos *Modus curandi cadavera Ægyptiorum.* fimo aut luto obliti plangunt: nec cremare eos aut infodere fas putant. Verùm arte medicatos vel penetralibus vel sub divo secundùm fortunæ qualitatem collocant. Plerique verò defunctos aut affinitate aut amicitia sibi præcipuos su- B. pra domos in arcubus ad id erectis includunt, magnæ id fortunæ loco ducentes, si mortuos intra lares contineri monstrare possint.

Die XXVI. Postquam inde solvissemus, multa agricolarum præterlapsi sumus mapalia, ac sæpenumero in littus exeuntes, viridíque gramine considentes, refectionem capiebamus & cibi & ludorum, quos *Vinum Machometanis vetitum.* mamaluci exercebant. Vidimus etiam eo tempore, Maurum quendam juvenem, eò quòd clanculùm vinum bibisse deprehensus esset, quinquaginta acerrimas tum in dorso, tum in ventre plagas C. pertulisse.

Cæterùm singulis noctibus Tongobardinus erigebat lampades pyramidaliter ordinatas, nec non & tintinnabula velis appendebat, in quæ alacres auræ spirantes leniter ea concitabant, quo motu dulce admodum & auribus suave modu- *Ludi nocturni Mamalucorum.* lamen continuè resonabat. At qui alia navi vehebantur mamaluci, igneas nocte opaca sagittas in altum jaculantes, fulgura stellásque cadentes quodammodo repræsentabant. Iidem sonos ac crepitus varios bombardis addebant. Nos tertia navi sequentes in ludis patrandis non fui- D mus extremi. Fuit enim nobis Ægyptius quidam Cornicem, qui, quantum ad artem vel melodiæ suavitatem attinet, omnino rudis ac barbarus perstrepebat. Sed quia cornu vocale admodum erat, auráque perflante longiùs ac fortiùs sonitus audiebatur, nosque rusticitatem ac simplicitatem cantus apprimè rideremus, ratus ille, non irridendi sed commendandi extollendíque sui gratiâ, id facere, eò fortius frequentiúsque cornu perflabat, quòs nos ampliùs cachinnantes ac penè risu deficientes cernebat. Atque eo modo, noctibus singulis non sine magna animi oblectatione navigantes per diem aspiciebamus campos amœnissimos, arbores pomiferas, avésque generis diversi canoro ac dulci concentu aures mulcentes, quarum quædam ad littus, multæ autem supra ramos arborum colludebant. Præterea aër tum lenis tum saluberrimus placidè spirans, ac è regione per herbas ac arbores circumfusus, vires nobis mirum in modum administrabat. Utrumque enim littus cannis Zucari & aliis saluberrimis herbis ferax erat, inter quas cocodrillos multos delitescere nautæ asserebant.

Est verò Cocodrillus animal quadrupes *Crocodili descriptio.* (multas enim eorum pelles curiosè plerumque conspexi) sic dictus quasi *Crocodilus*, quia crocei est coloris, cujus forma per omnia ferè draconteа videtur. Qui noctem quidem totam agit in aquis, diei verò majorem partem exigit in humo. Ova anserina edit, ex quibus pullus ad XVI. cubitorum magnitutinem excrescit, &, ùt scribunt Plinius & Solinus, reperitur nonnunquam XX. cubitorum. Tamdiu enim crescit, quamdiu vivit; longitudine vitæ fermè hominis est: Sola bestiarum linguam non habet. Corpus mirabile natura munitum. Nam dorsum ejus universum squammosum est duritie præcipua: inferius verò mollis est. Oculis habet suis ex utroque orbis latere dentes plurimos, in quibus duo maximè eminent. Non solum homines comedit, sed & cætera animalia flumini appropinquantia dentibus discerpit & unguibus. Morsu est aspero ac tetro, ut, quod dentibus lacerat, nunquam sanetur.

His itaque diebus contra Nilum velificantes, sæpius etiam naves funibus trahentes, vidimus multos Arabes in utroque littore in papilionibus commorantes, *Puerorum Arabum pernicitas.* quorum pueri à nobis aliquid cibi expostulantes tanta pedum pernicitate vigebant, ut etiam naves nostras satis labentes cursu æquarent, ac inter currendum plantis posteriora natium quaterent: quo spectaculo ducti panem biscoctum ac varios eis fructus in littus jactabamus.

Eisdem etiam diebus præterlapsi sumus villas mulras, pagosque uberrimos, quos circùm infinitam pecorum, Camelorum, bubalorum & cæteram ejus generis

neris multitudinem conspeximus. Præterea agricolas fructus ejus anni jam secundò metentes vidimus: bis enim in anno metunt, semel in Aprili, iterúmque in Septembri. Vidimus etiam Arabes vestibus capiti superligatis per flumen ita natare, ut medio corpore aquis mersi, reliquo supra aquas extarent, sicque magis aquam ambulare quàm natare censeri poterant. Præterea circa quendam pagum vidimus Ægyptios festum choreásque ducentes. Erat eorum non contemnenda multitudo, omnes pedestres, è quorum medio unus sub uno equo insidens super totam turbam eminebat. Quæ res quid sibi vellet, cùm quæsissemus, responsum est nobis, equitem illum Circumcisionem eo die accepisse, atque ob eam rem reliquum vulgus circa eum festum agere. Moderni namque Ægyptii, ùt & reliqui Mahometistæ circumciduntur quidem, sed non, nisi anno tertio decimo ætatis, auctorem in hoc generis sui Ismaëlem sequentes, quem, ùt Capitulum XVII. Geneseos ostendit, Pater suus Abraham ea ipsa annorum ætate circumcidit.

Arabes circà Nilum natantes.

Eorum solemnis circumcisio.

CAP. IX.

Die XXVIII. Septembris pyramidum Memphiticarum moles procul contuiti, haud procul nos à Cairo abesse cognovimus. Eodem die novem naves rusticanæ nobis adjunguntur, quæ omni genere victualium refertæ Cairum tendebant: Sicque ejus diei vespere ad *Bültacum* appulimus, quod vicinum Cairo, navium Nilo adventantium est statio ac receptaculum.

Bülacus portus.

Die XXIX. Rebus mulis oneratis, ipsi eos præ nobis agentes, *Cairum* versùs contendimus. Ibi cùm unus nostrûm præ valetudine mulum conscendisset mamalucísq; equitibus obvius fuisset, mulo detrusus in terram non lentè defluxit. Volunt enim Mamaluci, ut, dum quis eis jumento quopiam sedens obviaverit, cujuscunq; sit ille nationis, protinus jumento desiliens, honorem sibi exhibeat ac reverentiam, id quod nos hactenùs latebat. Abhinc egregiè doctos reddidit res ipsa & periculum. Brevi deinde *Cayrum* intramus, ac in ædibus Tongobardini, in assignato loco manentes, adventum ejus exspectamus.

Mamalucorum fastus.

A. Porrò hic Tongobardinus ex Hispano Mamalucus factus, dum apud suos esset, Diaconi fungebatur gradu. At verò ubi fidei Mahometicæ initiatus est, Christianorum omnium sub Soldano agentium protector ac hospes factus brevi in magnum virum coaluit. In ejus siquidem ædibus Christiani Advenæ recipiuntur: & negotiatores quidem duos aureos; hi verò, qui peregrè loca sancta visitant, quinque pro singulo capite aureos eidem ipsi pendere consuetum est.

Tongobardinus apostata.

Die XXX. tandem Tongobardinus ipse vestitus chlamyde aurea, quam sibi B. Veneti dono dederant, multis comitatus Mamalucis, domum cum ingenti pompa invectus est. Ejus uxores triginta quinque numero in editiori quadam ædium parte adunatæ; ipse cum his, qui secum venerant, quiq; honorandi sui confluxerant gratiâ, equis desilientes, ita ut erant vestiti, pictis consederunt tapetibus. Erat in medio ædium area quædam vel atrium satis patens, in cujus circuitu plures erant cameræ utrimque, in quibus patenter ea, quæ in atrio agebantur, videbamus. Illic ergo, solo tapetibus magnificè strato, ordinati erant ducenti sexaginta magni disci, vario optimarum C. epularum genere pleni: de quibus dum omnes illi paululum quid gustâssent, actutùm consurrexêre, ac demum facultate abeundi accepta cum gratiarum actione singuli se in sua recepêre. Porro epularum omnem illum apparatum, pauperum vorax turba non morata discerpsit, permissa priùs ei rei libertate. Tunc deinde ad Tongobardinum visitandum multi undiq; confluebant proceres, inter quos & Calipha sive Papa eorum, candidissimo & eo cornuto insignitus diademate, barba admodum nigra & profusa, cum D. magno apparatu venit: excepit & exceptus est.

Ejus splendor & magnificentia.

Calipha Mamalucorum Papa.

Interea nos ex consilio cujusdam Græci vestes nobis Ægyptias, Zonas ac capitis velaturas comparantes, duce quodam Tongobardini mancipio per urbem, quò libuisset, ferebamur, situm morésque gentis ac nonnulla secreta loca invisentes. Itaq; quantum tunc oculis & ante & post, de hac urbe lectione didici, non silendum duxi, id solum pium lectorem admonens, ut, si hæc mea scripta cum aliorum, qui etiam hanc materiam tractaverunt, dictis com-

comparare voluerit, ab eisque multum A. viderit me dissentire, non statim me judicet mendacii: sed priùs doctissimorum quorumcúnque historicorum dicta cum meis æqua lance penset, & tunc videbit me vera dicere. Quam regulam in toto hoc opere prudens lector velim ut observet.

CAP. X.

Memphis, Cayrus.

ITaque *Memphis*, quam nostro ævo *Cayrum* dicunt, amplissima ac regia Ægypti civitas ab Ogdoo, qui Vphorius dictus est, condita ambitu stadiorum centum & quinquaginta, opportuniori totius B. ejus oræ loco, ùti Nilus, in plures partes scinditur, ab una parte ingentes habens aggeres, & contra Nili crescentis impetum, & adversus hostes, qui à terra imminent, egregium præsidium: ab altera parte effossus est lacus ingens ac profundus, qui superabundantia fluminis in eum delata, urbem efficit munitissimam. In hac ergo urbe propter loci opportunitatem posteri Reges, relictis Thebis, & regiam & ædificationes ædificârunt amplissimas. Spatiosissima est & usque hodie hæc civitas. In ea templa eorum, quas *Muscheas* vocant, dicuntur ad viginti quatuor millia esse; sed nescio, utrùm vera asserantur. Turribus celsa est, & munita, & ornata, supra quas Sacerdotes eorum die noctúque horis deputatis, barbarum, nescio quid, alta voce, rudi ac fracta resonant. In latere Musleas, * ac in biviis urbis hydriæ habentur prægrandes in quas áqua ex Nilo ad bibendum vulgo advehitur.

Ejus memorata amplitudo &c.

Moschearum multitudo.

* *F. Muslea i.e. Concha.*

Charitas Saracenorum.

Plures sunt nihilominus Saraceni, qui utres aqua plenos per plateas undique circumferant, ac volentibus bibere sine omni discrimine personarum, in vasis argenteis sine mora pocula ministrant. Id, D quod dixi, eleemosynæ cujusdam loco ducentes, ditiores vel adhuc incolumes, vel morituri testamentis ordinant. Sed & singulis noctibus faculas lampadesve ardentes turribus appendi, turres ac ruinas templorum instaurari, ter singulis diebus more suo DEUM laudare, aquam, ùt præfatus sum, in hydrias convectare, platearum solum bis per diem propter æstum pulverémque surgentem conspergere ordinant. Omnia hæc pietatis ac religionis sunt opera, à ditioribus instituta. Fe-

Eorundem alia opera pietatis.

rúntque, id quod mihi non absimile verò visum est, ultra octo hominum millia esse, qui solùm aquæ invecturâ victum quæritantes, quidam uno vel duobus, plures verò quinque aut septem Camelis ad eam rem utantur.

Frequentia Cayri.

Fama etiam est, sed an omnino vera sit nescio. plures ibi esse eos, qui tecto proprio carentes, sub dio maneant & pernoctent, quàm Venetiis Cives. Nam & judæorum ibi non contemnenda pars habitat, quæ quindecim ferè millium esse perhibetur. Raræ illic privatim habentur coquinæ: publicè enim vulgus & B. coquitat & epulatur. Ajunt decem millia in Cayro coquos inveniri, quorum pars magna, culinam gestans capite, intereundum victualia coquit & circumfert. Porro plateæ sunt angustæ admodum, ac desuper, ut plurimùm, ramis calamísque contectæ. Domus latere crudo & Sole tantùm cocto extruuntur, intermixtis ob tenacitatem paleis. Plures ex solis cannis & arundinibus & extructæ & contectæ, nihil cum nostris habent comparationis. Verùm plures Magnatum domus adeo politæ & magnificæ supersunt, ùt nihil supra.

Coquorum X. millia.

Ratio ædificiorum. Privatorum & Magnatum.

C. Tantæ præterea amplitudinis est Cayrus, ut vix novem decemve horis quis benè ambulans eam circuire posset. In ejus parte editiori castrum habet Soldanus & amplitudine & munitione conspicuum, in quod per duodecim ferreas introitus est portas, custodiis & bombardiis omnes firmatas, in quo unum est dedecori, quòd clavibus ligneis & claudantur & aperiantur.

Castrum Soldani.

Cæterùm urbs ipsa bifariam dividitur: pars una *Cayrus*, altera *Babylonia* dicitur, quam Babylonii ex Mesopotamia profecti, locô ab Ægypti Regibus impetratô, condidisse dicuntur, ac in patriæ memoriam, Babylonem vocâsse, ubi quondam Regum sedes erat. Ad hanc urbem olim visendam multi ex diverso orbe viri clarissimi confluebant, ut eam & ejus sapientes ac vates videre affaríque possent, prout Divus Hieronymus in prologo Bibliæ meminit. Huc enim Pythagoras, huc Plato, huc denique Apollonius ille Magus post peragratum orientem appulit, ut Gymnosophistas, & (quæ in Cayro in templo solis stetisse creditur) famosissimam solis mensam videret in Sabulo.

Babylonia Ægypt.

Mensa Solis.

Extra

Mortui redivivi. Extra urbem in ripa Nili Muschkea A. quædam nobis monstrata est, ubi tempore patrocinii, omnes illic inhumati è sepulchris prodire dicuntur, ac donec officium peragatur, stabiles immobilésque persistere, ac demum disparere, quod qui ignoret, in Cayro fere nemo est. Hoc ego quid aliud, nisi illusionem diabolicam, dixerim, qui cœcum illum ac rudem populum, horrenda DEI permissione, miris fascinat modis? Vidimus insuper lacum quendam ingentem Nilo contiguum, qui singulis annis fertur tabescere instar cruoris: quod forte fit in memoriam plagæ illius Ægyptiæ, qua aquæ omnes in sanguinem versæ memorantur, prout testatur Exodi Capitulum septimum. *Lacus quot annis in sanguinem versus.* B.

CAP. XI.

October.

Die Octobris secunda, Sole nondum exorto, propter tumultum populi, duce quodam Mamaluco perreximus in castrum Soldani, ubi circiter quadraginta millia Mamalucorum cum reverentia maximóque silentio adstantes vidimus, omnes eodem colore sed albo, & earum vestium forma opertos: sic non & ipsum Soldanum in æstivo quodam cancellato, cornuto insignitum diademate, veste candidissima ornatum, barbâ nigrâ, coplosâ & prolixâ conspeximus. Sedebat non procul ab eo loco depressiore Papa ejus, quem ipsi Calipham nominant. Sub quo iterum demissiùs Turcorum Orator, in cujus etiam gratiam ludi & stratagemata dicenda ordinata erant.

Truculentus Mamalucorum ludus. Porto sub castro ipso prominebat campus quidam amplus & planus, ei rei antea præparatus, in cujus medio ab una parte congesti erant tres arenarii tumuli, D. quinquaginta fere passuum spatio ab invicem discreti, in quorum singulo singulæ hastæ scopos gestantes ad sagittarum ictus excipiendos erectæ erant. Pariformiter erat & ex altera parte, ita quòd inter medium illorum, tantum spatium pateret, quantum senis equis pariter currentibus sufficeret. In hanc itaque planitiem magna pars tyronum serico auróque refulgens, ac more suo leviter armata, equisque Martiis invecta, spectaculum hoc pacto exorsa est.

Primo quidem per medium dictorum cumulorum, equis quantum currere poterant concitatis, jaculis primos duos scopos à dextris & sinistris scitè feriebant. Pòst ad alios duos eodem impetu delati, eos itidem sagittis complebant. Sicque tandem ad reliquos duos pari cursu advolantes, similiter eos, ut & priores artificiosè tangebant. Nec fuit inter eos, cujus sagitta à scopo suo aberrâsset. Quo facto, cùm nullus ultra scopus feriendus superesset, arreptis, quæ tergo eorum hærebant, unusquisque lanceolis (quasi si quid amplius restaret, non jam eminùs sed cominùs acturos se ostendentes) in partem quandam secedebant, quoadusque se omnis ille equitum numerus tali pacto exercuisset. Post quod rursum omnes illi ordine suo, quo cœperant, non jam effuso, ut priùs, sed lento ac maturo gradu, per eandem viam quasi triumphum Victoriæ agentes, vexillis suis præ se erectis, ad locum, unde exierant, subintrabant. Unde sine mora se ad aliud tyrocinii genus apparantes exibant. *Eorundem sagittandi peritia.*

Et nonnulli quidem, equis interim jugiter ac effusè currentibus, ad singulos scopos singulas quidam, binas nonnulli, C. aliqui etiam ternas iosimul sagittas, ante & retro, dirigebant. Alii in pleno cursu equi, ter desilientes, itemque (etiam à suo cursu non cessante equo) conscendentes, nihilominus omnes scopos illos sagittis tangebant, nec aliquatenùs errabant. Alii sellis non sedentes, sed stantes, licet equi volarent, scopos singulos feriebant. Alii inter plenum & jugem equorum cursum, ter arcus remittentes, ter eos loco flagelli capiti circumducentes, ac rursum ter intendentes, æque tamen ùt & cæteri, singulos scopos jaculis verberabant. Alii in jugi equorum cursu, licèt ad utramque partem desiliissent, non tamen omittebant, quin omnes scopos, ùt & reliqui sigillatim percuterent. Alii ter per equorum terga retro desilientes, ac rursum, currente semper equo, insilientes, à sagittandi munere ad singulos scopos non cessabant. Alii sellis more solito colligatis sedentes, eas interim, equo currente, ter solvebant, ac post solutionem sagittantes, ter rursus dorso equi colligabant, térque jaculis scopos haud gravatim contingebant. Alii in sellis more consueto insidentes, extra retro sellam se coocitè loca-

bant: & capite deorsum misso rursùs erecti sellis insidebant; hocque ter facto, toties etiam scopos jaculis appetebant. Alii in sella justè sedentes, caput in tergum equi ponebant, ac apprehensâ caudâ equi, dentibus eam ingerebant, atque illico se erigentes scopos nequaquam jaculis prætéribant. Alii post singulos jactus sagittarum, ensem eductum circum caput minabundi rotabant: quo mox in vagina reposito, nullum scopum à jaculis immunem esse sinebant. Alii inter nudos & acutissimos enses, ternos à dextra, ternos à læva, in tenuissimo amictu ita sedebant, ut enses illi (si quo minus immoderatè se movissent) corpora eorum crudeliter configerent: tamen ante & retro mirabili pernicitate & arte ita se vibrabant, ut præ se & post tergum, quasi discriminis obliti, nulli scopo parcerent.

Inter hos talia agentes tyrones unus solus repertus est, qui supra duos pernicissima velocitate currentes equos solutis staret pedibus, ac ternas uno impetu ante & retro simul funderet sagittas. Iterum erat alius, qui itidem solus ex omnibus, equo non sellato nec frenato sedens, ad singulos scopos se in pedes erigens stabat, percussóque scopo dextra lævaque iterum sedebat, donec ad secundos & tertios scopos veniens, iterum in pedes se erigeret, ac sagittandi munus egregiè expleret. Item & alius repertus est insuper, qui solus ex reliquis equo insellato & nudo sedens, ubi ad scopos venisset, in tergo equi supinus jacens, utrumque pedem in sublimè porrigebat: sicque concitè erectus sagittandi officium impigrè complebat. Postremò scopis illis jam sagittis undique confertis, tyronum illorum Magister Vir grandævus ac incanus, arreptis scopis, manu eos elevans in medium projecit: quos tyrones illi tum sagittis, tum etiam lanceolis configentes ac quasi capita hostium cæsorum præ se ferentes, hinc atque illinc mixtim triumphabundi discurrebant.

Ex his autem tyronibus tres, dum incautiùs agunt, gravissimè deciderunt, quorum unus vitam pariter cum sanguine fundens, ne funere suo reliquos conturbaret, continuò inde ablatus & humatus est. Cæteri duo exanimes raptim è medio, ne spectaculum turbarent, amoti sunt. Cæterùm equites illi, cùm jam finem ludo illi facere vellent, omnes insimul correptis lanceolis, equisque in fugam concitatis, scopos qui residui locis suis superérant, lanceolis transfigunt, sicque eos in altum levatos præferebant, quasi trophæa ex hoste agerent. Et operæ pretium erat videre tyrones illos corpore proceros, vestitu armisque decoros, ipso gestu admirabiles, eo in rapido equorum cursu agere, quæ etiam in terra stantibus & factu difficillima, & visu stupenda, denique & enarratu incredibilia penè viderentur.

Tali confecto spectaculo, productus est in medium simulatus Elephas, turrim desuper ligneam habens, ex qua, qui intus milites erant, bombardis multos sonitus edebant, jaculáque ignita fulminabant, donec tyronibus illis (qui, & ipsis equis in parte dimissis, peditum more se armârant) conjungerentur. Porro in parte campi illius erecta erat arx quædam sive turris lignea, militibus intus, desoris verò vexillis stipata pulcherrimis, quam tyrones cum his, qui elephante portabantur, occupare annixi, cùm id sæpè frustra tentâssent, terga vertere compulsi sunt. Hi verò, qui in arce erant, cùm erupissent, grandi adversarium spatio agebant, ac deinde ex Victoribus victi fugæ præsidium petebant. Quod, ubi sæpius agitatum esset, & ab arce longiùs processissent, tandem victi, & ad unum omnes capti sunt. Hi enim, qui ex elephante pugnabant, occupatis his & illis vehementiori conflictu, bestiâ desiliunt areámque milite vacuam capiunt, ubi leviorum suorum imposito præsidio, tyronibus juncti adversarios undique conclusos ceperunt. *Expugnatio ludicra turris.*

Dum verò ex arce in vulgus circumstans, jacula picem ignémque flammantia jactari cœpta, nemo usquam fuit securus, præcipuè tamen nos, quibus Saraceni pro scutis utebantur, ejusmodi jaculis, licèt non periculosè, formidolosè tamen patuimus. Quo peracto, tyrones illi arcus remissos versùs Soldanum ferentes, ad terram cer. cum reverentia humili se inclinaverunt, ac demum ad equos suos (qui in parte, quasi & ipsi Soldanum reveriti, quietè stabant) regressi, eos conscenderunt. Sicque toto illo exacto spectaculo, à Soldano & collaudati, & remunerati egregiè, in locum, unde armati pro-

prodierant, sunt reversi. Unoquoque igitur in sua recedente, nos quoque abire volentes ab eo, qui portæ Castri præerat, comprehensi, nisi Mamalucus ductor noster intercessisset, pecuniâ mulctati fuissemus. Liberi itaque inde dimissi, cum labore per tumultum vulgi ad hospitium tandem regressi, id, quod vidimus, singillatim conferentes, scriptis mandavimus plura tamen vel oblivione vel incuria scribere omisimus.

CAP. XII.

Die Tertia, conductis mulis & duobus in tutelam nostri Mamalucis perreximus *Mathéream*, villulam uno fere milliari à Cayro sitam, Nilo non multum semotam, ubi quondam erat hortus balsamo nobilis, cujus hodie nec reliquias quidem videre est. Referunt, Beatissimam Virginem Mariam cum parvulo suo JESU Judæa fugientem, ad hunc ipsum locum venientem, æstu & itineris & solis laborâsse, atque umbræ refrigerium sub cujusdam arboris ramis captâsse. Quod arbor ipsa (ficus est) quasi præsentiens, ramos suos angustior à natura, & expandit, & ferè solotenus in obsequium hospitum tantorum demisit. Hanc ficum usque hodie nedum Christiani, sed & Saraceni venerantes, duabus jugiter ardentibus decorant lampadibus. Ejus fructus tum nos tum ductores nostri Mamaluci venerabundi decerpsimus, manducavimus ac nobiscum pro reliquiis servandos detulimus.

Matherea.

Ficus Christum & Deiparentem venerata.

Non procul ab hac ficu est fons quidam, sed jam admodum tenuis, quem Virgini Mariæ sitienti miraculosè erupisse tradunt. Quo fonte quondam lignum balsami irrigatum, uberrimè fructificabat: sed jam unâ cum defectu fontis balsamus etiam omnino defecit.

Fons S. Mariæ hortum Balsami rigans.

Propè hunc fontem olim erat Capella, in cujus loco tradunt Virginem gloriosam dulcem suum puerulum reclinâsse ibique pausâsse. In hoc loco cùm & prece & pretio à Mamaculis extorsissemus, ut se à nobis aliquantisper sejungerent, altari ex lapidibus; quos illic passim reperimus, utcunque erecto, Missam ibidem per sacerdotem nostrum Magistrum Vincentium dictam humiliter audivimus, ac tandem Cayrum intravimus.

Die quartâ, accingentes nos ad montis Sinai peregrinationem conduximus Græcum quendam interpretem, Italicæ atque Saracenicæ linguæ benè edoctum. Qui acceptis à nobis Sedecim Seraphis, id est, aureis nummis, res itineri necessarias ordinavit, Camelos conduxit, & ne nosin mora simus *, præsto esse admonuit: cujus jussis parentes, illico Sarcinulas complicamus.

* *Cod. ut nos i.m. sumus,*

Die Quinto Octobris mane Camelos oneramus, & ego quidem Spottam Cameli tergo impositam unam conscendo: altera parte commeatus ac necessaria tanto itineri, æquali disposui pondere. Porrò Dominus Martinus cum Capellano suo Magistro Vincentio, singuli singulas Sportas implentes, ex utraque parte Cameli æquo pendebant libramine. Tertio Camelo duo fratres Ordinis Sancti Francisci simili dispositione ferebantur. Ad hunc etiam modum Interpres noster cum reliquo commeatu quartum complevit camelum. Atque ita ex Cayro profecti, à pueris Saracenorum jactus luti, testarum, pulveris atque fructuum putridorum patienter excipientes, non satis faustè valedicebamur. Porrò Insueta & prædura nobis Camelorum equitatura graviter nos concussos, tandem *Alcanicam* advexit, ubi in domum Græcorum Monachorum (qui exinde victualia ad Monasterium Montis Synai & congerunt & transmittunt) recepti repausavimus.

Modus in Camelis equitandi.

Petulantia Saracenorum puerorum in christianos.

Alcanica.

Die Sexta, postquam nos illic esse Arabs quidam persensisset, magno suorum stipatus numero ad nos veniens, multùm nobis molestus erat: quem cùm nos aliter non potuimus, prolatis aliquot argenteis à nobis excussimus. Est autem *Alchanica* oppidum, & amplum admodum & populosum, sed immunitum, ut & reliqua Ægypti. Distat duobus nostris à Cayro milliaribus; cui ex una parte Nilus haud procul alluit, ex altera desertum eam arenosum concludit.

Die Septima rursum Camelis impositi ex Alchanica recessimus: ac vix unum milliare progressi, ad comitivam quandam, quæ *Carabena* apud eos dicitur, pervenimus. Expectabant enim & ipsi tanti itineris numerosam societatem propter latrocinantes in regione illa undique Arabes. Illic ergo Camelis depositi, sportulis, quibus sellarum vice utebamur, in

Carabena

orbem adinstar cujusdam tentorii vel positùs valli dispositis, ipsi eum rebus nostris in medio consedimus, interdiu nec comedere nec bibere audentes. Nocte verò ubi Saraceni, Comites nostri obdormissent, tunc demum corpora cibo euravimus, atque deinde quasi in obsidione aliqua positi vicissim & dormivimus & exeubavimus, stridore simul ac tetro Camelorum putore haud parum gravati. Nocte illa in extremis Carsbenæ clamorem ingentem audivimus. Venerant enim elanculùm quidam Arabes furto insistentes: qui dùm animadversi essent, ac elamore exterriti, sublato tapete, lancea & sacco panis impune evaserunt.

Arabia desertum Die Octava Desertum Arabiæ, per quod filii Israël relictâ Ægypto ad terram promissionis ierunt, intrantes, multisque aliis sociati comitibus, magnum fecimus numerum, exercitui grandi parem. Nam supra quadraginta millia Cameli æstimati sunt, hominum ferè novem millia.

Die Nono itidem per desertum arenosum atque horridum pergentes nihil omnino viride, non spinas, non vepres, non arbusta aliqua vidimus; donec circa vesperum in locum quendam humiliorem venissemus. Ibi *Mucreli* nostri, id est, *Mucreli, Camelorum cunctatores.* mulorum camelorúmque ductores arbusta quædam rara admodum evellentes, Camelis in cibum dabant. Eodem vesperi pluebat jugiter, quod nunquam fieri in Ægypto multi veterum tradidêre.

CAP. XIII.

Mare rubrum. Die Decimâ venimus ad Sinum, Maris rubri, ubi fossa quædam erat sumptuoso opere à sinu illo ad Nilum *Fossa ab eo usq; ad Nilum.* usq; duci cœpta, ut eâ navigatione Oriens conjunctus Occidenti facilius haberet commercium. Hanc primùm à Nechao Rege Ægypti sgi cœptam, Darius Persarum Rex perficere aggressus imperfectam reliquit, admonitus à sapientibus, si locus interjacens effoderetur, fore, ut Ægyptus omnis (cùm mari rubro esset depressior) ab aquis mergeretur. Haud procul in- *Moysis fons.* de fons quidam, Moysis, uti fertur, opus, ob salsedinem quidem suam hominibus impotabilis.

Hic ergò quia Cameli toto triduo nihil ferè biberant, fixis tentoriis adusque noctis medium remansimus. Hic est sinus

A ille omni sæculo memorandus, quem filii Israël, Duce Moyse, siccis transière vestigiis. Hic Pharao cum omni equitatu suo, populo & curribus, velut plumbum in aquis vehementibus, submersus est. Videntur úsq; hodie in littore curruum equitúmq; vestigia, &, quantumvis ab aliquo turbentur, brevi iterum spatio apparent. *Vestigia demersorum Pharaonis & exercitus ejus.* Testatur etiam huic rei Orosius libro primo ita inquiens: *extant & nunc certissima horum monumenta gestorum. Nam tractus curruum, rotarumq́ orbitæ non solum in littore, sed etiam in profundo quousque visus admittur, providentur:* B *& si forte ad tempus vel casu vel curiositate turbantur continuò divinitus in pristinam formam ventis fluctibúsque reparantur.*

Eodem die Camelus unus circa nos emoritur. Occurrunt Saraceni & tergo- *Saracenorum feritas.* rum diripiunt costis & viscera nudant: pars in frusta secat, verbúsque trementia figunt, littore ahena locant alii flammásque ministrant. Tum victu revocant vires, fusiq; per fabulum implentur carnibus illis, addito salso fontis illius liquore. Interim nos duas gallinas ab Arabe quodam emptas, congestô, ex Camelorum fimo, igni- C culô coximus, uti potuimus: ac parte tantum assumpta, partem in posterum reservavimus. Nocte insequenti clamor subitus contra Arabes furto deditos exortus, non parum nos pereutit: sed illi, dum nostri tumultuabantur, ablato, quod quærebant, aufugerunt.

Die XI. Sinum illum maris girantes, ac ponè littus pergentes, obviam habuimus Carabenam quondam cum multis falconibus ex *Althor* venientem. Ibi ego ex *Althor.* quodam eminentiori aspiciens loco, nec principium nec finem Carabenæ nostræ comprehendere potui: tantus erat nume- D rus Camelorum, mulorum atque hominum. Vespere ejus diei venimus in *Helim*, ubi, ùt habetur Exodi XV., erant olim XII. fontes aquarum & septuaginta palmæ. *Elim, ubi XII. fontes.* Et hodie quidem fontes adhuc supersunt, palmæ verò nulla, sed tantum arbusta quædam rara & humilia. Hic filii Israël castrametantes ex palmis cibum, ex fontibus verò poculum habuêre. Haud procul inde, eùm tentoria fiximus, Camelus unus iterum circa nos mortuus, gaudium & exultationem Saracenis cæteris præstitit & epulationes, luctum autem Domino suo.

Ibi

Ibi etiam vidimus multa Camelorum hinc inde sparsa cadavera, quædam jam carne consumpta, carnosa reliqua.

Die XII. conscendimus montana mari rubro imminentia. Ibi aqua, quam ex Alchanica hactenus portantes utcunque bibere soliti eramus, tota consumpta est. Proinde coacti sumus aquam ibi repertam manibus in vasa haurire & potare. Erat verò non solùm turbida sed & salsa & subamara. Sub ejusdem loci conspectu monstratus est nobis fons *Cundele* dictus, qui jugiter aquâ bullit ferventi. Eodem tempore frater unus ordinis Sancti Francisci, & ipse Franciscus dictus, quia minùs justè sportulâ sedens, ac se hinc inde consideratè * movens, Camelum gravare videbatur, à Mucrelo in faciem lanceolâ sauciatus est.

Cundele fons jugiter aqua ferventi bulliens.

*f. inconsideratè.

Die XIII. inter altissimos candidósque montes iter agentes Vespere rursum ad mare rubrum venimus. Ubi quia adeò angustum erat iter, ut in mari equitare cogeremur, camelis aliquantisper desilientes, conchylia miræ dispositionis lapillósque & Coralium album collegimus, ac in memoriam figuræ, quâ Apostolus dicit filios in mari baptizatos, manus, pedes, capútq; & faciem inde abluimus.

Album Corallium.

Porro quod istud mare *rubrum* dicatur, non est ideo, quod in se rubrum sit: Sed, ùt Strabo asserit, dicitur rubrum vel à calore per reflexionem expresso, vel à sole cùm supra verticem est; vel à montibus ex adustione rubentibus, vel quia rubens est fundi arena, qua leviter commota, similis generatur in fluctibus color; vel à fonte quodam, qui aquam rubicundam ac minio plenam in illud mare emittit: Vel à ligno quodam rubeo ad instar præsilii, quod in Insulis hujus maris crescit; Vel tandem quia fuit figura Sanguinis Christi in cruce effusi, atque baptismi ex Sanguine Christi efficaciam babentis.

Unde dictum Mare rubrum?

Hoc insuper mare *Erythræum* à plerisq; dicitur, ab Erythro quodam Rege, cujus sepulchrum ejus gentis literis insignitum in Insula quadam ejus pelagi monstratur.

Sepulchrum Erythri Reg.

Nocte insequenti à Carabena digressi sumus: & illi quidem secus mare versùs *Althor* (ipsa est turris *Syen*) pergebant; nos verò ad lævam retorquentes, intra montana conscendimus. Eodem tempore

Turris Syen, Althor.

A. Camelus Mucreli nostri moritur. Ille cum suis cadaver exspoliat, carnem in cibum sumit cutim verò paleis & stramine oppletam ad suos usus reservat.

Die XIV. inter altissimos & totos rubicundo fulgentes splendore montes cùm aliquamdiu proficisceremur, aquæ penuria laboravimus. Nam cibus noster, panis biscoctus erat & caseus, & interdum linguæ boum salitæ & siccatæ. Ibi ergo Arabs quidam ex his, qui nobiscum erant, pacto nobiscum pretio, circa unum milliare à nobis digressus, aquam utre attulit: quæ licet rubeis plena erat vermibus, per

B. panniculos tamen colata, in tali necessitate nobis grata erat. Porro Arabs ille pretium suum, nummum scilicet argenteum, quem Maydinum dicunt, Uxoris suæ auri perforatæ sine mora appendit, quæ cum saltu & clamore quodam mirabili tripudians ad nos venit, tactóq; genu Domini Martini, qui nummum dederat, manum osculata est. In illis locis vidimus multas arbores, spinas & præacutas & oblongas ferentes, de quarum genere tradunt coronam Domini JEsu fuisse. Florebant autem eo tempore arbores illæ, ac nos mirifico odore suo non parum recreabant, quarum ex devotione

Genus spinarum Corona Domini.

C. decerpentes quasdam nobiscum tulimus. Vespere ejus diei venimus in angustias quasdam montium, ibiq; propter latrocinantium Arabum insidias absconditi pernoctavimus. Ibi Mucreli nostri locorum benè gnari cum Camelis adaquatum pergentes, vix tandem hora noctis secunda ad nos reversi sunt.

Die XV. intravimus quædam horrenda montium præcipitia. Currebat tum nobiscum Arabis cujusdam gravida canicula, quæ illic in fausto partu soluta, dum nos abire cerneret, soláq; ibi cum fœtu remanere horreret, diu multúmq; quasi

D. deliberabunda, ululatu miserabili sublato, maluit nos insequendo se ipsam salvare, quàm illic remanendo se & sobolem periclitari. Verùm hæc eadem in reversione ex Monte Synai, antequam ad hunc locum ventum esset, naturali quadam sagacitate prædorans, ac gestu simul & ululatu gestiens, ubi fœtum exanimem ac jam putentem comperit, elevato priùs miserando ululatu, ad ultimum prolem visceribus suis editam, famens in viscera sua trajecit.

Exemplum Caniculæ fœtum adamantis.

Eo-

Eodem die ferè circa meridiem ad hortum quendam palmiferum venientes ab indigenis rusticè admodum, ne dicam bestialiter, excipimur. Christianos enim nos agnoscentes, undique è cavernis prædandi studio prosiliunt, clamorem tollunt, ac lanceas nobis arcúsque lethiferos intentantes, ad terram cum Camelis dejiciunt: rursus alii dejectos erigunt, ac ab aliorum vi injuriáque tutantur. Interpres noster nescio quid agens tandem peragit. Nos tamen nihilominus quinquies ad terram cum Camelis dejecti, ac parte victualium, quæ non satis erat occultata, mulctati, post multos clamores & molestias fatigas, datis pro singulis capitibus argenteis ferè octo, vix tandem dimissi abscessimus. Porro hortus ille inter angustas montium fauces ad unum fermè protenditur milliare, ubi nec ad dextram nec ad lævam declinare est, sed inter arctas quasdam macerias cum fastidio eundum. Ex quo horto cùm nos explicuissemus, in alios rursum Arabes impegimus, qui quamquam se custodes & Guardianos Monasterii sanctæ Catharinæ dicerent vímque, nisi sponte pareremus, illaturi videbantur, decem Maydinis à nobis acceptis, missos nos tandem fecerunt. Viginti quinque Maydini Ducatum faciunt.

Inhumanitas & exactio Arabum.

Maydini, quid?

Die XVI. Cùm ferè nocte media, iter facturi surrexissemus, Mucreli etiam nostri in nos insurgunt, duos plus æquo Zeraphos, id est, aureos expostulant, ac nobis contradicentibus aliquamdiúque disceptantibus, Camelis præ se actis abeunt, nos cum supellectili nostra in vasta illa ac horrenda solitudine montium solos relinquunt. Quo malo perpenso interpretem nostrum, ut eos insecutus reconcilier, mittimus. Paret ille, ac vix eos demum prece pretióque reducit.

Mucreliorum perfidia.

CAP. XIV.

Die XVII. Venimus tandem cum solis exortu ad diu multúmque desideratum *sanctæ Catharinæ Monasterium;* ubi cum rebus nostris intromissi literas, quas ex Cayro à Patriarcha Græcorum attuleramus, Primati ejus loci reddidimus. Atque ita assignatâ nobis Camerâ parumper refecti, cùm quiescere vellemus, ab arabum turba circumdati, extra omnem quietem fuimus. Ipsi enim Cameram nostram irrumpentes, res nostras quasi proprias occupabant, ac bestiale nescio quid stridentes, *Fius* (quod apud eos pecuniam sonat) ingeminabant. Quibus cùm canina illa ora manúsque ferales argento obstruxissemus, occlusis foribus corpora optatæ quieti dedimus.

S. Catharinæ Monasterium.

Rursus horâ noctis ejus ferè secunda conscendimus sanctum montem *Horeb.* Comites erant nobis duo Græci Monachi, quos *Calogeros* vocant, ac tres Arabes incolæ Monasterii, quos nobis vice sua dederat ductores interpres noster, homo pinguedine gravis, nec ad tantam celsitudinem conscendere idoneus. Itaque per præcipitia montis, luna nobis serviente, ascendentes victualia nobiscum ac apparatum ad divina Missæ officia portavimus, sæpiùs repausantes, sæpiùs auram propter spiritum lassitudine interclusum captantes, ac nos invicem & consolantes & animantes. Est siquidem ejus montis ascensus tum præruptus, tum sublimis, &, ùt Monachi nostri ductores asserebant, habet septem ferè graduum millia, lapide quadro strata, excepta majori parte, quæ naturali situ ascenditur.

Mons Horeb. Calogeri, Monachi Græci.

In hujus montis medium cùm venissemus, offendimus *Sacellum* quoddam *Sanctæ Mariæ* titulo sacrum, quod tali modo initium habuit. Referunt ab olim Monachos, in quo & nunc, tunc loco habitantes, propter vermium, serpentium & cæterorum noxiorum animalium infestationem abinde migraturos, montem sanctum conscendisse, ac locis illis sanctissimis ultimùm valedicere voluisse. Qui cùm ad eum locum, cujus supra memini, tristes venissent, apparuisse eis fœminam humana forma augustiorem, ac eos, quonam pergerent, interrogavisse. A quibus, cùm rem didicisset, monuisse eos, ne locum suum deserant: futurum enim ut ampliùs vermium molestias non sentirent. Quod ut ratum haberent, montem Synai conscenderent: ibi enim Corpus sanctæ Catharinæ reperirent, quæ illic trecentis ferme annis, hominibus incognita, Angelicis custodiretur excubiis. Id itaque pro magno pignore amoris secum deferrent, ac in Monasterio suo collocárent. Addidit insuper, se Matrem DEI esse, servitium suum filio sibique placere. Atque his dictis fœminam illam continuò disparuisse: verùm in eodem loco fontem,

Sacellum B. Mariæ V. in Horeb. Ejus origo.

Ab inventione Corporis S. Catharinæ.

B. Maria V. delecti.

tem, qui & nunc extat, salubrem tradunt erupisse. Monachos verò tali monitos visione sine mora montem nominatum conscendisse, ac Sanctissimo illic Virginis Catharinæ corpore reperto, integrum cum summa reverentia in Monasterium, ubi bactenus quiescit, exposuisse. At verò in eo, quo eis visio illa facta perhibetur, loco fons vivus erupit, qui peregrinis est & salubris & oppidò necessarius. Porrò ob ejus rei monumentum ibidem sacello exstructo, sanctæ Mariæ illud dixerunt. Et habentur ibi septem annorum totidémque carenarum indulgentiæ.

Circa hoc sacellum tres illi Arabes, quos ductores & protectores accepimus, nec nos ultra ascendere, nec regredi strictis sinebant gladiis, donec eos pecuniæ promissione lenitos in nostram tandem flexiraus sententiam. Post hæc ad angustam quandam montis crepidinem venimus in modum arcus ab uno latere in aliud protensam, quæ nulli Judæo pervia asseritur. Tradúntque, quòd olim Judæus quidam, habitu se & religione Christianum simulans, cæteris junctus peregrinis, montem sanctum scandere volebat: dúmque ad id loci venisset, videt ecce subitò super arcum illum, figuram Crucifixi terribilibus oculis se inspectantem. Qua re territus cùm præeuntes subsequi nec auderet, nec valeret, interrogatus à comitibus, cur non procederet, rem ipsam aperit, Judæum se fuisse, sed jam Christo credere velle. Mira DEI Bonitas! Vix verba protulerat, & jam amplius figuram illam non vidit, & libero gressu, quasi vi quadam tractus insequebatur.

Crepido montis Judæis impervia.

Inde ad *Capellam sancti Eliæ* venimus, in qua tres, contignatione una, capellulæ habentur, ex quarum una in aliam introitus patet. Et prima quidem dicitur *sanctæ Marinæ*, secunda *Elisæi*, tertia *Eliæ*; & in quavis earum habetur indulgentia septennis totidémque carenarum.

Capella S. Eliæ.

In hoc Sacello in tergo Altaris majoris est foramen, ubi, ùt habetur Reg. 3. cap. 19. Elias fugiens à facie Jezabel, mansit in spelunca, in cujus ostio stans vidit Dominum, colloquiúmque cum eo habuit. Verùm Rabi Salomon non hic eum mansisse dicit, sed in eo specu, in quo Moyses procumbens vidit transeuntem gloriam DEI. Sub hoc Sacello est puteus, ex quo Elias fertur bibisse. Paulùm

Ejus olim spelunca.

A. ab hoc loco per præceps eundo venimus ad petram quandam grandem, quæ in viam fertur cecidisse, dùm Elias apicem montis ascendere vellet, innuens per hoc, eum in Judæam debere ire, atque illic divina jussa explere. Tandem post multos sudores in cacumen montis sancti *Horeb* evadimus, ubi cernui in terram procumbentes, locum sanctum adoravimus, grantiásque humiles benignissimo DEO egimus, qui nos sospites ac votorum compotes hucusque perduxisset. De hinc in *Ecclesiam sancti Salvatoris* intramus in eo loco extructam, ubi quondam Moyses

Ecclesia Salvatoris in Horeb.

B. cum DEO loquens, tabulásque legis accipiens venerabundus flectebat Exod. 34. Estque locus flexionis ejus in eodem Sacello ad lævam signatus. Ibi habetur plenaria omnium peccatorum indulgentia.

At verò Sacello illi contiguum est saxum ejus montis eminentissimum, vix passus viginti habens in circuitu, ex quo loco Dominus cum Moyse loquebatur, qui totus eo tempore fumabat, erátque terribilis, nube, fulgure, ac tonitru crebrescentibus. Et sanè usque hodie mons ille aliíque cobærentes, adeo candenti fulgore resplendent, ut cupro conflato similes videantur, utque meritò de eis illud Psalmographi ad literam impletum fuisse dici possit: *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini.* Sub eo saxo est foramen illud, in quo, ùt habetur Exodi 33. Moyses gloria Domini transeunte vidit posteriora ejus, ac illico curvatus pronúsque in terram decidens adoravit. Visuntur hactenus ibidem vestigia manuum, pedum, dorsique & totius corporis ejus clarissima, in quæ & nos ex devotione demisimus.

Candor & splendor montis Horeb.

Ps. 96. 5.

C.

Ab hinc quindecim ferè passibus est Musckea Saracenorum supra locum illum D. erecta, in quo, ùt habetur Exodi 24. Moyses, ut legem DEI accipere mereretur, jejunavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Hac spelunca prophani Saraceni utuntur ad generandos, ùt ipsi putant, Prophetas. Proles enim hìc concepta, sancta & prophetico spiritu plena ab eis æstimatur. In orbem hujus Musckeæ multæ & grandes visuntur ruinæ, credìtúrque olim Monasterium illic fuisse.

Mascbea Saracenorum in loco accepta à Moyse legis.

Cæterùm in Ecclesia sancti Salvatoris nuda humo procumbentes, frigore nocturno satis quassati, nihil ferè dormivimus

mus. Accedebat huic malo jugis clamor nostrorum trium Arabum, qui in sua Muskea totam fere noctem devotioni suæ vacantes, nos de industria inquietabant, proinde indignum rati, si dum idololatræ in sua superstitione excubarent, nos somno & desidia premeremur. Surgimus concitè, ignem silice excutimus, orationes nostras altissimo offerimus, officium Missæ devotè peracturi. Cùm itaque Sacerdos se vestisset, atque officium inchoaturus è pixide poposcisset, tunc primùm cognovimus, illam nos in Monasterio fœdè oblitos dimisisse inde jurgium inter nos, sed leve & modestum ortum est, unoquoque culpam in alium transfundente. Proinde quoniam res acta revocari non potuit, commotione ex animis seclusa, DEO omnipotenti vota nostra & desideria obtulimus, confidentes, quod desiderium pauperum exaudierit Dominus, & quòd præparationem cordis nostri audierit auris ejus.

CAP. XV.

Die XVIII. Cum solis fere exortu descendimus de hoc sancto monte versus occidentem via præcipiti & valde periculosa, venimúsque tandem in vallem quandam inter montes, Oreb & Sinai, mediam, in qua erat Monasterium ad *quadraginta Sanctos* nuncupatum: ubi paulùm refecti impedimenta nostra illic sub cujusdam Monachi fide dimisimus. Post hæc cùm Montem Sinai scandere cœpissemus, nostri iterum egregii ductores argentum postulant, idque vi ac minis extorquent. Nos quoniam tunc extra nummos fuimus, & nihilominùs propositum iter perficere summopere cuperemus, unum eis Zeraphum, id est, aureum nummum, prout postulabant, polliceamur: addimus in pignus majoris fidei, comitem unum ex Monasterio sanctæ Catharinæ Monachum, quem illi, si pactum non servaretur, interfecturos se altissimè jurabant. Ea conditione & illi & nos magis exhilarati, iter cœptum arripimus, labore & periculo multò majori, quàm in monte Oreb. Etenim Phœbus tum medium cœli conscenderat orbem, & montium juga circumjacentia frigidiorem nobis auram penitùs auferebant. Sed nec panem nec aquam nobiscum tuleramus, tanta erat omnium nostrûm oblivio, ne dicam, fatuitas, adhibentium perfidis nostris ductoribus fidem, qui nos aquam in monte affatim reperturos, subdolè mentiebantur.

Monasterium XL. SS. V. d. cap. 9.

Mons Sinai.

Erat verò ascensus lubricus & admodum præruptus, ita ut plerumque manibus pedibúsque reptare oporteret: cujus reptationis labor, haud facilè dixerim, quàm gravis, quámque periculosus erat ac indigens robusto genu. Quippe quia degravante viatore, temere jacentes lapides concedebant, & in ascensu raptissimo, nisi pedem fortiter fixissemus, dimoto uno lapide tota congeries devolvebatur, ac in nos ruebat. Addo etiam, quòd, dum in plano labebamur, lædebant scabritie sua, & manus nostræ crebro ejusmodi casu & contactu oppidò sauciabantur. Sed ubi paulùm in altum emersissemus, aura frigidula ac caprarum per juga rupium discurrentium conspectu, aliquantisper refocillati sumus. Inde rursum resumptis viribus ac pauxillo sacchero refecti, iterum nos labori accinximus: atque ita cum anhelo, stridenti, ac penè intercluso spiritu partim scandentes, partim verò reptantes non parùm afflictabamur. Accedebat ad id, quod montem ipsum & Monachi & Arabes labore fatigati ægrè dinoscere poterant. Et plures erant montium altissimi vertices, qui nos similitudine mutua diu ludificabant. Stabant tamen hinc inde cumulatim congesti à peregrinis lapides, iter desideratum indicantes: quo factum est, ut tandem ductores nostri apicem Sinai dinoscentes præcurrerent, lætique & ipsi Catharinam conclamarent: quorum alacri clamore ducti, recepto Spiritu ocyùs eos insequebamur.

Ascensus Montis hujus quam difficilis?

Vertex Sinai quantum pateat? Sepultura S. Catharinæ.

Ejusdem sacri Corporis vestigia in saxo.

Tunc verò ascensus omnium difficillimus fuit, ita ut omnis anteactus labor, jocus præ isto videretur. Nec tamen ideo diffisi, sed auxilio DEI, & sanctissimæ Virginis Catharinæ ope implorata, toto conatu allaboravimus. Itaque per invias crepidines, per scopulos acutissimos, per petras pendulas, per clivos saltúsque horribiles, tendentes, nunc baculis, nunc zonis, nunc manibus nos vicissim erigentes, attrahentes, promoventes, DEI tandem optimi maximi juvamine omnes in summum montis evasimus. Porro Arabes nostri, quos nec devotio juvabat, nec animus attrahebat, ascensum illum diffisi, sub-

Montis Sinai prospectus

Thebais

Aibor,

rupe

rupe illa nos exspectantes manserunt, mirantes fervorem, conatum ac robur nostrum. At verò caput illud montis Sinai vix triginta passibus patet in circuitu.

Vertex Sinai quantum pateat?

Sepultura S. Catharina.

In hoc ergo loco Corpus sanctissimæ Virginis Sponsæ & Martyris JEsu, Catharinæ ex Alexandria Angelico officio delatum, repositum, ac trecentis annis custoditum, neminíque cognitum sub puro Aëre jacuit, donec tandem, ùt priùs memini, per revelationem inde asportaretur. Est autem in hujus montis summitate planities quædam saxea, in qua usque hodie clarissimè visitur forma humani corporis, non ulla vi aut arte incisa, sed quæ sponte sanctissimo corpori cedens, ad instar ceræ se formabilem præbuit. Ex cujus utroque latere similiter videntur duæ aliæ formæ Angelorum custodiam demonstrantes. In has itaque formas præmissa humili oratione nos totos demisimus, descendimus, pausavimus, gratiásque DEO optimo alacres persolventes, mirum in modum stetimus consolati. Simúlque cunctam in circuitu regionem vastissimo prospectu lustrantes, pensitavimus, quantum iter terra marique emensi essemus: quantumque rursum superesset, qui casus, quæ pericula, quæ mutabilitatis varietates nobis evenire poterant. Inter hæc ergo positi, spe atque metu vicissim tangebamur: dulcísque patriæ amore ardentes, vix effari potest, quantum afficiebamur.

Ejusdem sacri Corporis vestigia in saxo.

Montis Sinai prospectus.

Porro quoniam Mons Sinai omnibus aliis montibus celsitudine longè supereft, vastissimum undique habet prospectum, adeò, ut licèt mare rubrum dierum fere trium itinere ab inde distet, videbatur tamen nobis ita prope esse, ut jactu unius Bombardæ contingi posset. Inde etiam plures ejusdem maris insulas desertas vidimus. Porro ultra illum sinum maris oculis se nostris offerebant altissima Thebaidis montana, ubi Sanctos, Paulum, Antonium, Macharium, cæterósque Eremitas Sanctissimè vixisse, Liber, *Vitas Patrum*, ostendit. Ibi etiam videtur nominatissimus ille portus maris rubri, *Althor* nuncupatus, ad quem, omnes naves speciebus refertæ aromaticis, ex India applicant, atque exinde in Camelis per desertum in Alexandriam delatæ, tandem terra marique in totum penè orbem dividuntur.

Thebais.

Althor.

Cæterùm quoniam & siti, & ductorum importunitate longiùs illic demorari non dabatur, locum illum sanctissimum Clenodiis nostris contingentes, primò, & nos ipsos in eo iterum atque iterum convolventes, quasi satiari eo loco non possemus, inviti valde, cum gratiarum actione inde descendimus, ac in brevi (quoniam casus ascensu facilior est) tum cadentes, tum peditantes, ad medium montis venimus, ubi fonte quodam, licet modico, vivido tamen & salubri reperto, eò ampliùs aquæ indulsimus, quò diutiùs æstu sitique afflicti fueramus. Sicque viribus utcunque resumptis, ad alium iterum fontem pervenimus, quem etiam nequaquam intactum dimittentes, tandem ad *Monasterium quadraginta Sanctorum* regressi, pauculo vino, pane ac caseo vires refecimus.

CAP. XVI.

Monasterium XL. SS.

Hoc olim Monasterium multis Sanctis Monachis abundabat. Sed quodam tempore Paganis exteris irruentibus, ad unum omnes cæsi (quadraginta autem tunc erant) nomen Monasterio & indiderunt, & reliquerunt. Nunc itaque penè desolatum est, nisi quòd certo tempore duo illic ex Monachis sanctæ Catharinæ transmissi, more suo divina peragunt officia. Huic monasteriolo cohæret hortus peramœnus, olivis, ficubus, malogranatis, amygdalisque ac cæteris refertus arboribus, in cujus parte est quædam capellula, in spelunca illa, erecta, ubi quondam sanctus Onosfrius habitâsse perhibetur.

Specus S. Onuphrii.

Exinde de hoc digressi loco, gyrantes montem Oreb, venimus ad petram quandam in radice Oreb jacentem, quam, ùt habetur Num. 20. cap. Moyses bis virga percussit, atque inde aquæ tantam copiam eduxit, ut & homines satiarentur & jumenta. Et licet Moysen bis tantùm silicem percussisse legatur, videntur tamen juxta numerum tribuum filiorum Israël figuræ & stigmata duodecim. Quod miraculum eò majoris fuit stuporis, quò à reliquo monte omnino seclusum saxum illud videtur. Et cùm sit ferè quadratum, in una tantum sola, & ea præacuta parte, terræ cohæret, atque ita penè nihil humo-

Petra Horeb à Moyse virgâ percussa.

humoris ex terra contrahens, liquidius opus illud DEI fuisse arguit. Et in hunc usque diem ex uno stigmate aliquantum desudat liquorem.

Haud procul inde est locus, ubi, ùt habetur Num. 16. terra aperiens os suum operuit Dathan & Abyron cum omnibus complicibus & supellectili sua. Erat que ibi quondam Monasterium, ad SS. Cosmam & Damianum, dictum, à Sancto Anastasio fundatum. Atque non longè ab hinc est fons ille, de quo Moyses dedit populo bibere aquas maledictionis: unde & multi eorum, qui biberunt, mortui atque ibidem sepulti sunt post vituli conflati adorationem. Ibi etiam in vicino est sepultura fratrum Græcorum, quorum ibidem circiter novem millia annalibus inscripta quiescunt.

Monasterium SS. Cosmæ & Damiani.

Fons aquarum maledictionis.

Itaq; monte Sancto Horeb in parte circuito, tandem cum solis occubitu Monasterium Sanctæ Catharinæ intramus. Et licèt tam lassitudine, quàm fame attriti eramus, major tamen erat ipsa lassitudo, quæ ita nos afflictos reddiderat, ut eo & postero die vix probè pedibus consistere valeremus. Plus itaque somno & quieti quàm cibo & potui indulsimus.

Monasterium S. Catharinæ.

Die XIX. præparavimus nos cum omni, qua potuimus, devotione ad templi ingressum, & ad Sanctorum locorum & Reliquiarum venerationem. Porro templum illud egregium quondam quid erat. Habet nunc intus duodecim columnas, quibus fulcitur, superiùs arcuales, super quos arcus multæ Sanctorum reliquiæ reconditæ sunt, quorum festivitates per duodecim menses à Græcis venerantur. Porro ad singulas columnas singulæ dependent tabellæ, picturâ ac literis nomina numerumq; Sanctorum ibi contentorum ostendentes. In hoc itaq; templum intrantes, Monachorum officio interfuimus. Quod ubi peregissent, omnes ad tumbam Beatissimæ Virginis Catharinæ accesserunt, Græcam more suo Synaxim modulantes, uno semper ex libro præcinente, cæteris verò per omnia commodulantibus. Post quæ singuli Cereis, atra tristiq; veste cucullati, thuris incensum adolentes, Sanctam Virginis inclytæ arculam aperiunt: ac corpore illo sanctissimo à majore ad minorem salutato, osculato, adorato, nobis itidem faciendi exemplum præbuêre. Quo etiam per nos exacto, permiserunt nobis

Templum & SS. Reliquiæ Monasterii.

Tumba S. Catharinæ reliquiarum.

A sacras illas cum jocalibus nostris attingere reliquias; dantes nobis insuper paululum Bombycis, qua sanctæ illæ reliquiæ obvolutæ quiescunt. Verùm & ùt relatione priùs, & tunc visu ipso percepimus, corpus Sanctæ Catharinæ non integrum ibi habetur. Nam in hac tumba (quæ est in dextera parte Chori, loco eminentiori posita, ipsâq; de candido politóq; marmore facta) solùm Virginis caput, dextera manus cum brachio, & quædam alia membra obvoluta servantur, alia per varias orbis partes sunt dispersa. Nam sinistrum brachium cum manu Rhodi esse asseritur; B quod & singulis annis in Capella Magistri Rhodiorum solemniter demonstratur. Quæ Sanctissimi Corporis divisio sic facta traditur.

Corpus sanctæ non integrum in hoc loco.

Ejus sinistrum brachium Rhodi.

Quondam nempe externi Arabes Monasterio per vim potiti, cùm ad hanc arculam, qua Corpus Sanctissimum continebatur, pervenissent, thesaurum se invenisse rati, eam effregerunt. Sed cùm nihil in ea pretiosi, sed solùm Corpus vidissent, indignati illud huc atque illuc dissipârunt. Sicq; ex eo demum tempore Oleum (quod inde manans languidorum corpora sanabat) manare cessavit. Ossa verò dispersa C quidam, qui cladem subterfugerant, Monachi quædam in loco suo reposuerunt, reliqua verò in diversas orbis partes distulerunt. Circa hanc tumbam Sanctissimæ Virginis habetur plenaria omnium peccatorum remissio.

Qua causa S. Catharinæ ossa distracta?

Oleum S. Cathar. non amplius defluit.

Retro hanc tumbam est Capella Sanctæ Mariæ de Rubo dicta, in quam antequam ingrederemur, calceamenta deposuimus Moysen imitati, qui, ùt habetur Exod. 3. dum ad hunc locum appropinquare vellet (videbat enim in eo loco Rubum ardere, nec comburi) audivit D DEUM sibi dicentem: *Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est.* In hac ergo Capella tremebundi, procumbentes ac locum illum sanctum humiliter exosculantes, abunde consolati gratias Altissimo egimus immortales. In hac Capella habetur plenaria remissio peccatorum.

Capella S. Mariæ de Rubo.

CAP. XVII.

Pòst ad Capellas reliquas, quæ plures erant, ducti intravimus, in quarum qualibet est indulgentia septennis totidem-

Capella S. Joannis Bapt.

que catenarum. Ad ultimum venimus in quandam Capellam Sancto Joanni Baptistæ sacram, in qua multi Monachi per Arabes quodam tempore trucidati, humati sunt.

Imago B. M. V. subinde sudans.

Ibi etiam habetur imago quædam Beatissimæ Virginis Mariæ, quæ quoties sudat, insigne aliquid procul dubio portendit. Ante fores Ecclesiæ est arbor quædam fructifera, ac sub ea fons & frigidulus & salubris utrumq; , ùt ajunt, Moysis vel opus vel meritum. Intravimus post hæc in Cellam cujusdam Monachi, qui linguam Italicam probè noverat, à quo & prece & pretio, occultissimè tamen, nacti sumus virgas duas, quas ejus generis fuisse traditur, cujus fuit ea, cujus Ministerio Moyses coram Pharaone, & postea in mari rubro, ac demum in deserto miracula fecit.

Virga Moysis & Aaron.

Tradunt pro certo, si quis eam virgam secum portaverit, à caduco ipsum morbo vel præservari vel liberari.

Cæterùm Monasterium illud à divo Justiniano Imperatore primitus extructum, & ad radices montis Oreb in convalle situm, muro altissimo circumdatum est: intus exiguas ac viles habet structuras, quod hodie, prò pudor! prophani Saraceni pro suo voto regunt, diripiunt, pessundant.

Status & misera conditio Monachorum Cœnobij S. Catharinæ.

Audivi ego à Monacho quodam, canitie venerabili, singulis diebus quinquaginta non minùs Arabes eò adventare, victumq; sibi vel expostulare vel extorquere, Monachis nil libertatis relinquere, Muskheam unam in monasterio habere, ubi noctu plerumq; congregati clamoribus suis, fratribus somnum eripiunt, uno hoc abstinere, quòd Ecclesiam fratrum non intrant, cætera pro libitu agere, ipsos esse loci Dominos, ipsos custodes, ipsos deniq; vastatores. At verò Monachi illi omnes Græci sub regula, ùt ajunt, Sancti Basilii viventes, sunt pauperrimi, plurimùm jejunant, carnibus nunquam vescuntur, atro ac neglecto habitu utuntur, macie suprema extenuati. Beati certè illi, si Romanæ Ecclesiæ jugo subditi, in Catholicorum censerentur numero. Sed de his aliàs.

Visis itaq; & adoratis omnibus sacris locis, quæ vel in Monasterio vel circa erant, res nostras furtim & rapidè complicamus, easq; noctis in silentio ex Monasterio efferimus, dimissóque ad curam earum interprete & Camelario nostro, ipsi hortum Monasterio contiguum intramus. Et erat tum luna pernox. Ibi ergo vidimus locum, in quo sepulta feruntur viginti tria millia filiorum Israel: quos, ùt habetur Exod. 32. ad præceptum Moysis post adorationem vituli interfecerunt filii Levi. Et licet ille vitulus legatur à Moyse combustus, & in pulverem contritus insuper & in aquam dispersus, ac in potum filiis Israël datus: videtur tamen hodie ad sinistram Monasterii in colle prærupto vitulus quidam lapideus grandis, qui tamen (ùt testati sunt Monachi) in ipso Montis supercilio quæsitus, inveniri nequaquam potest.

Vitulus conflatilis

In eodem horto etiam vidimus fossam, in qua filii Israel vitulum conflaverunt, ac circa hanc, *aquam maledictionis*, in quam Moyses vitulum comminutum dispersit, atque Idololatris in potum dedit. Ibi etiam vidimus Saxum quoddam rotundum, ad quod fertur, Moysen iratum tabulas legis confregisse.

Ubi Moyses tabulas Legis confregerit?

His aliisq; ita conspectis ad camelos jam oneratos regressi sumus. Ibi Arabs quidam uni ex sociis nostris vestem furto abstulit, quam tamen ad preces camelarii nostri, acceptis ab eo, cujus vestis erat, sex nummis argenteis, tandem restituit.

Rapacitas Arabum.

Nos quoq; reliquos Arabes argento compescere operæ pretium fuit. Convenerant quippe quidem eorum ad valedicendum nobis, quasi vultures ad cadavera. Quo peracto, cum gratiarum actione inde discessimus. Et non quidem, ut priùs, in sportis ferebamur, sed singuli singulis Camelis insidentes, per aliam compendiosiorem, tamen asperiorem, viam perreximus.

Vix, dum à Monasterio tribus recessimus milliaribus, ego cum vasculo vini eúmq; rebus omnibus, quibus supersedebam, per dorsum Cameli gravissimè decido. Sella illa informis Sacci, ac omne pondus supra me casum aggravat, & vase rupto vinum instar rivi defluit. Erat enim eò loci tumulus quidam asper, in cujus ascensu sella non colligata erat, & mecum per dorsum animalis delabitur. Ego aliquamdiu jacens, cùm nec sublevantem, nec commiserantem quempiam viderem (nam eram ordine ultimus) cum gemitu & clamorem erexi. Qua re percepta Camelarius accurrit, res perturbatas componit, confractas abjicit, & me Camelum ascendere jubet. Sed ego, qui viæ asperitatem malo meo didiceram, casus perhorrescens vel similem vel graviorem, non sum persuasus Camelum ascendere, sed pedes Ca-

melum præ me agens insequebar. Vires enim loci horror atq; vastitas dabat, donec ad repausandum, locum quendam arenosum nacti, in eo duabus ferè horis substitimus.

Die XX. cum sole surgentes cœptum iter continuavimus, ac brevi hortum illum palmiferum, cujus suprà memini, intrantes ab Arabibus eadem, qua priùs, excipimur feritate. Quos cùm argento vicissemus, non procul inde circa quendam aquæ tenuis rivulum deponimur pausantes. Ex quo loco abituri, dum camelis onerandis occupamur, accurrunt duo Arabes, gallinas nobis duas rapiunt, concitóq; cursu montem petunt. Interpres noster & Camelarius eos insecuti, de industria effugere permiserunt: ita nusquam erga nos tuta erat fides. Tum verò ad extremam miseriam redacti, nil præter panem & eum Saxo duriorem, habuimus, aqua sola nos refocillantes, quam saluberrimam in Monasterio Sanctæ Catharinæ hauseramus.

Paulùm inde progressi circa noctis crepusculum ab aliquot grassatoribus adorimur, fitque clamor utrimque. Illi nostrum interpretem, quia primus eis occurrit, circumdant, clamorem tumultuosum geminant, barbarum nescio quid perstrepunt, argentum perquirunt: quo non invento panes aliquot biscoctos dono accipiunt, ac sic post longum clamorem, quasi canes frusto carnis objecto à latratu desistunt. Et mirum est, tam barbaram, ac sine jugo & legibus gentem, tam squalidam & pauperem, se à plagis & nece hominum continere posse, cùm tamen id impunè facere possent. Liberi enim nec Soldanum nec alium quempiam Dominum recipiunt. Soli inter se, omnes nobiles, omnes Dominos se salutant. Pauper ùt dives, nudus ùt bene vestitus, armatus ùt inermis, naturali quadam concordia, æquo jure censentur. Ab his ergo grassatoribus paululum digressi corpora oppidò fatigata, aliquantulo somno refecimus.

Arabes in maxima libertate ac impunitate cædibus temperant.

CAP. XVIII.

Cameli descriptio

CAmeli enim nostri incomposito gressu incedentes, adeo nos elumbes reddiderant, ut vix nos ossibus hærere putaremus. Est verò Camelus animal quadrupes, turpe aspectu, odore te-A.trum, caudam habens asininam, pedes carnosos & molles atque in geminas partes fissos, licèt posteriores parùm sint scissi, poplite utrimq; duplici, super quo onus accepturus singillatim procumbit, caret dentibus in superiori mandibula: cibi ac potus, pro tanta mole, paucissimi. Quatuor nempe dies impotatus incedit, utinam mittit transversim & eam modicam admodum & tenuem, sub aura frigidula pigrum est animal, nisi vel cantu hominis, vel sono fistulæ, aut Campanæ animetur, sub æstu solis alacrius incedit. Duplex eorum genus tradunt, Arabicos B. & Bactrianos; quorum illi in dorso tubera habent bina, isti verò singula. Illic fortiores, hìc numero ampliores. Insuper hi Cameli, qui ad cursum velociores sunt, Dromedarii: illi verò, qui onera tantum gestant, Cameli simpliciter nominantur.

Duplex Camelorum genus.

Dromedarii.

Die XXI. ante solis exortum levantes nos ex montibus tandem illis horrendis, ad mitiora maris rubri devenimus, ac in eo penè loco, ubi à Carabena nostra veniendo divisi fuimus, eidem Carabenæ speciebus Indicis onustæ rursùs conjuncti sumus. Tum verò omnis à nobis fugit timor ac C. trepidatio, videntibus, nos tanto hominum & animalium stipatos exercitu. Verùm tamen toto illo die ac noctu sine cibo, sine repausatione, sine somno pergentes, camelis Semisopiti in terram plerumq; decidebamus. Videbamus nempe sic sopiti camelantes phantasmata quædam, cibum potúmque nobis quasi porrigentia: ad quæ capienda cùm è camelo manus protendissemus, eaque quasi fugientia insequi vellemus, in terram graviter lapsi, illusiones illas, non rem, fuisse experiebamur.

Phantasmata in camelo equitantibus illudentia.

Die XXII. & XXIII. itidem sine requie D. iter peragentes, omnia hæc dicta incommoda & plura pejora (nam non omnia edicere licet) patiebamur: Inter quas miserias solum hoc nobis refrigerii fuit, quòd mutuò nostram maciem & calamitatem aspicientes, ac in proximo finem harum sperantes, nos invicem ad tolerantiam hortabamur.

Die XXIV. circa Meridiem Mucrelus noster, homo subdolus, à Carabena discedens, in quosdam montes steriles & omnino arenosos nos traducit. Ubi camelis nobísque repausatis, rursus præter æquum,

æquum, pecuniam expostulat, &, nisi A. pareamus, se illic nos relicturum minitatur. Nos, in quanto versaremur periculo, videntes prolatis oμmmis ei satisfacimus: Atque ita Camelis conscensis, nocte jam obscura *Alchanicam* intramus, ad somnum quàm ad epulas propensiores. Tali modo iter, quod priùs octo diebus egeramus, nunc in reditu, mirum dictu! in quinq; diebus peregimus.

Alchanica.

Die XXV. postquam somno totam illam noctem exegissemus, ac demum cibo lautiori & copiosori refecti fuissemus, mulis conductis versùs Cairum profecti sumus. Quò cùm pervenissemus, iterùm à B. pueris Saracenis infaustè excipimur, jactus pulveris, luti, testarum, fructuúmq; putridorum sustinentes, tandémq; in ædes Tongobardini intramus, ac à negotiatoribus Venetis, qui de reditu nostro diffidebant, gratanter excipimur. Hi ergo multa de locis sanctis illis, multa de nostro successu interrogantes, narrantium pendebant ab ore. Post ubi audisse dixisséque sat erat, suadebántque sydera cadentia somnum, ab invicem digressi dedimus optatæ membra quieti.

Die XXVI. intra penetralia domus existentes, vidimus per fenestram Ziraphum, C. animal omnium, quæ unquam vidimus, altissimum. Estq; colore albo subrufóq; uodique conspersum; collum habet longissimum, adeò, ut fere bis tensa brachia excedat: caput cubitale, oculos visu gratissimos, & quasi virgineos, pectore excelsum, dorso humilius; edebat panem & fructus & quidquid ei porrigebatur.

Ziraphus animal maximè procerum.

Die XXVII. & XXVIII. nihil aliud à nobis actum est, nisi quòd somno & quiete, recuperandis viribus tempus impensum, & in Spiritualibus exercitiis consumptum est. Per id etiam tempus vidi-D. mus bovem Indicum, corpore quidem breviori, sed capite, quàm nostri boves sunt, multo grossiori. Cornua ejus in extremitatibus non acuta, sed grandiora, obtusa, nodosa, sicut Cervi.

Bos Indicus.

Die XXIX. per Civitatem ambulantes vidimus Saracenum quendam lamentantem, ac pectus caputque tundentem. Quæ res quid sibi vellet, cùm quæreremus, responsum est nobis, Saracenum illum Domum nuper magno emisse ac decorâsse; sed nunc à Mamaluco quodam, cui Domus illa complacuit, extrusum, insuper vapulâsse. Tantæ enim auctoritatis esse Mamalucos, ut in quemcunque Saracenum voluerint animadvertere, liberè possint & eum domo ejicere. Porro nemini Saraceno licere equis insidere, non arma intra urbem ferre, sed velut mancipia vilissima à Mamalucis omnia pati, eis decedi, assurgi, genua pedésque deosculari, magnæ id benevolentiæ loco habet. Quæ omnia, non sine Divina quadam ultione, ipsis evenisse nulli dubium est.

Mamalucorum auctoritas & origo.

Superioribus oempe temporibus, Saraceni adeò Christianis dominari inhiârunt, ut, dum ipsi captivos suo Marte habere non possent, ab aliis gentibus, quibus cum Christianis bellum erat, id obtioere pecuniâ curarent. Tales proinde suo dominio mancipatos fidem suam abnegare cogebaot, his arabant; his laborabant, his denique si quando bellum ingrueret, pro scuto & muro utebantur. Denique in tantis malis feroces emptitiorum Spiritus nequaquam succumbebant; sed assiduo rerum usu fortiores exercitatiorésq; reddebantur. Tamdiu verò colla sub fœdæ servitutis jugo tenuerunt, donec numero ducéque magnanimo aucti, pulcberrimum libertatis, imò imperii facinus conceperunt.

Cùm enim Ægyptiis tempore quodam bellum externum institisset, illi coadunatis omnibus emptitiis magnum conflârunt exercitum, pro se in hostem dimicaturum. Quibus cum haud dubia victoria constitisset, unus ex eis, cui servitutis ignominia laborque menti sederat, concione habita, mirari se summopere ajebat, omnium eorum pusillaminitatem, qua tam æquo animo ferrent tot labores, flagella, cædes, ex quibus nihil præter miserum victum vestitúmque sperarent. Sed si viri esse vellent, se sequerentur, omnes Domini, omnes liberi futuri. His dictis cùm feroces suopte ingenio eorum animos accendisset, Alcayrum subeunt concito gradu, simúlq; hostium præ se ferentes trophæa, in castrum regium velut pacifici intromittuntur. Quo primùm occupato, Regem cum suis obtruncant, obtruncatum extra per murum precipitant. Inde in urbem decurritur, igne omnia feróque vastantur. Emptitii tales se in Dominos gerunt, quales sunt eos in se experti. Demum cùm jam satis pœnarum sum-

fumptum esse visum est, reliquum vulgus vivere, permissum est. Dux ille tanti facinoris in regem creatur. Emptitii illi, qui nunc Mamaluci dicuntur, Dominorum bona acceperunt. Tali ergo pacto genus hoc hominum cœpisse ac invaluisse tradunt.

Hi omnes Christianorum sunt transfugæ. Natos suos baptizant, non ob religionis devotionem, sed ut, ipsis mortuis, bona paterna hæreditent. Nullus enim, non baptizatus, vel purus Saracenus aut Judæus, potest fieri Mamalucus: sed priùs baptizatur, post hoc fidem abnegat & circumciditur. Dehinc ipsis sub planta pedis crux inuritur in religionis nostræ contemptum. Horum major pars fertur esse ex Russia, Albania, Servia, Italia, Hispania; rarissimi ex nostra Germania.

CAP. XIX.

Babylonia Ægypt.

Die XXX. ducente nos Mauro Tongobardini emptitio, ivimus Babyloniam, castro Soldani haud quaquam remotam, de cujus urbis origine Diodorus Siculus sic refert. Asserunt autem, servos Babylonios operum labore, calamitatéque pertæsos, à Rege Ægypti desciscentes cùm ponè oram fluminis consedissent, bellum Ægyptiis movisse: tandem assignatis sibi, quos ceperant, agris urbem condidisse, quam à patria *Babyloniam* dixerunt. In hac urbe (nam magna ex parte desolata est) nihil memoratu dignum vidimus, nisi Ecclesiam quandam, in qua tradunt, Beatissimam Virginem Mariam cum dulci filio suo, septenni hospitio habitavisse. Huic vicina est & alia Ecclesia Christianorum de Cinctura Græcorum, cujus fores pelle cocodrilli & draconis sunt vestitæ.

Ejus origo.

Ecclesia septennis hospitii in Ægypto S. Mariæ V. & Jesu.

Pyramides Ægyptiacæ quot, unde quantæ &c.

Cayrum redeundo vidimus, licèt procul trans Nilum, pyramides, quarum superiùs parum memini. Nam, quod ad eas videndas propiùs non accessimus, paludes fluvii nondum siccati in causa erant. De ipsis tamen, quantum & ab his, qui eas sæpenumero viderunt, audivi, & ab his, qui de his veridicè conscripserunt, legere potui, dicere non omittam. Pyramides itaque, quas vulgus *granaria Joseph* seu *Pharaonis* falsò nominat, structuræ sunt ingentes, ex quadris lapidibus admiranda magnitudine fastigiatæ, dictæ sic à *Pyr*, quod ignem significat, eò quod illius formam imitantur. Eas Ægypti Reges sumptu ac labore, ut in eis sepelirentur, erexerunt. Verùm tam ingentes fecerunt, ne populus labore vacuus contra Reges conspiraret.

Porrò hæ pyramides teste Diodoro Siculo tres sunt versus Libyam spectantes, longè à Memphi, quæ nunc Cayrus est, stadiis centum viginti; à Nilo autem quinquaginta & quatuor quæ & artificio & operis magnitudine inter septem præclarissima opera annumerata, mirabilem splendorem præbent aspicientibus. Earum maxima à Chemmi rege ædificata quatuor est laterum, quorum quodlibet ab inferiori parte jugera septem continet: altitudo plusquam sex jugera tollit; latus quodlibet, deductâ paulatim usque ad verticem latitudine continet cubitos sexaginta quinque. Ex lapide duro difficilique ad tractandum, sed æternùm permansuro, structura omnis constat: & ferunt, eos lapides ex Arabia longo admodum itinere advectos. Opus certè mirabile, præsertim in terra undique arenosa, ubi neque aggeris neque cæsi lapidis ulla sunt vestigia, ut non ab hominibus, sed à Diis tanta moles structa videatur. Trecenta sanè & sexaginta hominum millia, ùt ajunt, ad id opus deputata sunt, quod viginti fermè annis absolverunt.

Diod.

Verùm nullus ex his, qui eas sibi pyramides in sepulchra condiderunt, Rex in illis sepultus est. Nam partim nimii labores absumpti ab operibus, partim crudelitas regum & insolentia, ad iram populos compulêre, ut eorum aut dissiparent corpora, aut ejicerent ex monumentis. Qua ex re domesticis mandârunt quidam, ut sua corpora in loco vili obscurόque conderent, quo effugerent plebis sævitiam. Sunt & aliæ duæ pyramides, quarum singula latera ad duo jugera protenduntur, sed hæ tamen multùm defecêre. Porrò pyramis illa maxima tantæ est usque hodie amplitudinis, ut à quantumvis robusto viro in summitate ejus stante, ac io directum sagittam jaciente, vix ad medium sui contingi possit, id quod plerosque robustissimos viros tentâsse sæpiùs expertum est.

Musci animalis natura.

Die XXXI. Cum negotiatore quodam Italico colloquentes, vidimus in domo ejus animal quoddam, nisi esset grandiusculum,

sculum, catto persimile quod, dum virgæ ictu ad iram concitabatur, odoriferum quiddam edebat, quod auripondere venditur. Animal illud Muscus dicitur, juxta cujus umbilicum nascitur apostema, quod extractum gratissimi est odoris, & inter primas hominis delitias habetur: Id Itali Zibero, Germani bisam dicunt.

Zibeth.

Die prima Novembris & quatuor sequentibus nil aliud à nobis actum est, nisi quod res opportunas itineri Jerosolomytano coëmerimus. Ea, quæ impedimento magis quàm usui fieri possent, Venetias ablegavimus, mulos conduximus, necessaria in farcinulas complicavimus, diem recessus semper exspectavimus. Et certè satis molestum tempus nobis illud erat. Totis enim præcordiorum desideriis anhelabamus alteram hujus Sanctæ peregrinationis explere partem, peractâ jam utcunque primâ. Pro qua, & qualicunque hoc meo labore, nihil interim à pio lectore expeto, nisi ut in primi hujus libelli calce, in laudem, gloriam & gratiarum actionem optimi DEI Matrísque suæ Virginis, hanc brevem ex corde jubilet oratiunculam. *Benedictum sit millesies mille millies dulce nomen Domini nostri JESU Christi; & laudabile nomen gloriosæ Virginis, Mariæ Matris ejus dignissimæ in æternum & ultra. Amen. Nos cum prole pia benedic pia Virgo Maria. Amen.*

Finis Libri Primi.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

Die sexto Novembris, acceptâ à Tongobardino abeuodi facultate, nos redituros simulavimus, dolos ejus nobis clam detectos formidavimus, atque ita in nomine Domini alteram peregrinationem initiantes, Cayro digressi, Alchanicam perreximus.

Hujus itineris initium non satis faustè me excepit. Nam vix urbe egressum mula non satis edomita, me eo die cum rebus omnibus præcipitem dedit. Ex quibus casibus adeò imbellicis factus sum, ut vix mulâ sedere ac me continere possem. Accedebat ad id infirmitas mea, quam Alexandriæ contraxeram, gravissima; & quòd sellæ, quæ mulis superponuntur, admodùm latæ sint, adeò ut nedum valetudinarius, sed nec sanus ac vigens desuper satis probè sedere possit. Improbitas etiam mucrelorum multùm mihi fuit molesta. Ipsi enim retrò sequentes stylis præacutis & clamoribus importunis mulam stimulabant, quæ formídine concitata ex abrupto, & me minùs advertente, saltum dabat ac in eo me præcipitem deturbabat. Nam quia sella, quâ sedebam, satis laxè colligata erat, ego in saltu mulæ, cùm, in quam partem cadere vellem, deliberarem, atque hinc inde pendulus nutarem, tandem ubi se major ponderis, sellæque pars inclinâsset, ego cum impetu prolabebar. Sed neque me retinere poteram; tanta erat manuum debilitas nervorumque contractio. Neque de ipsa mula, ùt volebam, desilire dabatur, pedibus coxísque torpore quodam obstupefactis. Addo, & reliquum corpus pessimis ulceribus plenum, si me parum quid improvisè movissem, exulcerabatur. Fluebat sanguis sanie concretus, & camisiæ vestíque reliquæ incorporabatur, ac coibat: ac rursus ad quantumvis levem motum compago illa rumpebatur, gemitúsque ac dolores augebat inexplicabiles. Tali modo ferè totum hoc iter peragebam: durabam tamen, & memet rebus servabam secundis, Virgiliani illius non immemor: *Forsan & hæc meminisse juvabit.*

Vespere ejus diei Alchanicam delati in casam quandam recipimur: in cujus medio planities ampla erat cum hortulo, undique septa macerie, in qua sic sub dio cœnavimus & quievimus. Vidimus ibi furnum quendam undique fimo limóque obseptum, in quo solebant reponi multi generis ova, aucarum, gallinarum, columbarum & cæterorum animalium, quæ non per incubationem Matrum, sed per ignis fimíque foturam in pullos vivos secundum genus suum brevi tempore exeunt, ac deinde sub manu hominis vel ad pascua vel ad forum ducuntur, sequentes eum, ut reliqui pulli naturaliter geniti suas Matres. Quæ res tametsi fictitia credi posset, vera tamen est. Nam io ejusmodi furnis aliquando tria aut quatuor millia diversi generis reponuntur ova, & omnia per artem illam in pullos fiunt. Hoc etiam verum esse videret omnis, qui copiam innumerabilem pullorum per Ægyptum ubique abundare cerneret.


Mira pullorum ex ovis exclusio & fotura in Ægypto.

Die VII. ex Alchanica circa meridiem A. egressi, venimus ad quoddam casale, *Belbes* dictum: ubi etiam Carabenæ eunti *Damascum* conjuncti sumus. Ibi vidimus unum sanctum Saracenicum inter arenarum cumulos, ita, uti ex utero Matris prodiit, nudum sedentem. *Mores & virtutes eorum, quos pro Sanctis Machumetani habent.* Mos est (ùt eo tempore didici) Mahometistis, ut eos, qui amentes & sine ratione sunt, pro Sanctis colant & venerentur. Insuper & eos, qui, cùm diu vitam egerint inquinatissimam, voluntariam demùm pœnitentiam & paupertatem amplectuntur, sanctitate venerandos deputant. Ejusmodi verò genus hominum libertatem quan- B. dam effrenem habent, Domos, quas volunt, intrandi, edendi, bibendi, & quod majus est, concumbendi. Ex quo concubitu si proles secuta fuerit, sancta similiter habetur.

His ergo hominibus, dum vivunt, tantos exhibent honores: mortuis verò vel templa vel monumenta exstruunt amplissima; eósque contingere ac sepelire maximæ fortunæ loco ducunt. Audivi ego hæc dicta & dicenda per interpretem à Mucrelo nostro. Insuper sanctum illum, quem eo loci vidimus, apprimè commendari, eum esse hominem san- C. ctum, divinum, ac integritate præcipuum: eò quòd nec fœminarum unquam esset nec puerorum, sed tantummodo asellorum concubitor atque mulorum. Risi ego tàm præclaram sanctitatem imò bestialitatem hominum, qui, quod nobis abominandum & ignis pœna videtur dignum, hoc illi sanctum & laudabile censent: sed gens est sub humana forma bestiam portans. Nocte illa in extremis Carabenæ contra fures conclamatur, consurgitur, tumultuatur: sed illi ablato quopiam impunè effugerunt. Locus enim stationis nostræ ex una parte cinctus erat silva sycomorum, ex altera rivulo submurmuranti, ultra quem videre erat regionem amœnissimam, ac jam iterum illo anno fruge refertissimam.

Die VIII. in eodem loco aliquamdiu substitimus. Nondum enim tota confluxerat Carabena; sed multi ad eum locum undique adventabant. Numero ergo justo expleto inde discessimus, & ùt ferebatur, quadringenti fere viri armati nobiscum erant. Nihilominùs eodem die ter nos invasuri videbantur Arabes, qui omnem illam oram suis jugiter infestant latrociniis. Sed Mamaluci equites, & sagittarii pedites, ubi aliquid sinistri sentiebant, protinus ex utraque parte se opponebant, nobis interim, qui inermes fuimus, cum impedimentis concito itinere pergentibus.

Vespere ejus diei venimus ad quandam limosam turbidámque paludem, ex qua nobis jumentisque potum accepimus. Ibi etiam vidimus, qualiter Sanctus quidam Saracenicus veste diversicolore indutus, strameticióque pileolo contectus, vexillum quoddam rubrum, signis Soldani depictum, manu gestans quatiebat, atque Saracenos ad jubilandum convocabat. *Cantio Sanctorum Saracenicorum.* Erat verò cantus eorum sub iisdem omnino verbis & Melodia: nisi quod in initio valde tractim & morosè canebant. Posteà verò quò amplius cantus tendebatur, eò magis etiam Melodia concisior & brevior fiebat. Quod ut melius pateat, formam ejusmodi cantus diligenter perceptam in Tabella exaravi.



Salcheio pagus. Die IX. exinde moventes, venimus ad pagum, dictum Saltheio: circa quem in horto vel potiùs nemore palmifero aliquantisper cùm repausaremus, attulerunt nobis ejus loci incolæ melones, cucumeres, dactylos, nec non & panem & gallinas. Quibus levi satis prætio affatim comparatis, utribúsque ex proxima palude repletis, circa vesperum inde surreximus, ac totam illam noctem equitando,

do, tandem propè octam auroram in A. quodam tumulo modicum requievimus.

Cattia oppid. Die X. ivimus per altissimós arenarum colles usque ad oppidum Cattiam; propè quod circa nemus palmiferum pernoctantes, multos Arabum latrones vidimus: sed illi propter Mamalucos nostros nihil hostile in nos ausi, quietos nos dimiserunt. Ibi etiam à quodam Græco, ejus vici incola, comparavimus utrem vini uno nummo aureo, quod vinum illuc ex Damiata allatum dicebat. Comparavimus etiam panem, caseum, gallinásque quatuor satis benè paratas: quarum duabus eadem die impigrè absumptis, reli- B. quas duas in crastinum servavimus. Erat verò dies ille sancto Pontifici Martino sacer: proinde Dominus Martinus volens juxta morem patriæ, epularum largitate, & diem Sancti, & nomen suum celebrare, illas pro ejusmodi convivio gallinas coëmerat. Nam Aucss ibi habete non potuimus. Sed dum sopore pressi quiesceremus, Mucrelus noster Convivium illud destinatum nobis turbavit. Nam gallinas furto abstulit, rem super canes deposuit: objurgatus insuper contumelia nos affecit.

Die XI. ac nocte insequenti perreximus in arena, & profundissima, & quæ lenitate sua gradientium subtrahebat vestigia: ubi nihil præter cœlum & arenas erat videre, nihil viride, arborem nullam, fruteta nulla.

CAP. II.

Die XII. Sole oriente ad desolatum quoddam & lacerum tugurium venimus: ibique ferè duabus horis pausantes, inde per iter arenosum ad mare tandem venimus. Illic & vidimus & sensimus supra decem millia Ovium, Caprarum, Asinarum & aliorum Animalium D. passim circa littus jacentium: quæ jam putida ac semiconsumpta odore nos lethali afflabant; atque ideo velociùs iter accelerare cogebant. Porro ea animalia

Ammiraldi Ægypt. in pauperes sævitia. Admiraldus ex satrapis Soldani primus, in Judæam census capitum exigere missus, ubi pecunias conflare non potuit, crudeliter à paupere plebe extorsit, atque in Cayrum ducere, Soldanóque pro grandi munere afferre voluit. Sed dum per desertum illud iter ageret, aquæ & pabuli penuria consumptum, totum illud pecoris agmen amisit. Porro Soldanus his compertis, simúlque secum reputans, quantæ Admiraldus ille esset apud omnes Mamalucos authoritatis, veritus, ne, si Cayrum sospes intraret, sibi regnum vitámque eriperet, vestem ei auream quasi gratulabundus præmisit, ac deinde poculum lethiferum dari subordinavit. Quo ille hausto, continuò mortuus, Soldanum & suspicione sua liberavit; & multis divitiis ditiorem effecit.

Salinarum Ægypt. quanti proventus? Post ubi ex fœtore illo effugimus, venimus ad quendam sinum maris, circa quem in longum multæ salinæ videbantur. Mari enim crescente ac se in humiliora loca effundente, remanet aqua in fossis, quæ solis æstu durata fit in salem, ex qua re tradunt, centum millia Zeraphorum Soldano provenire.

Larisch vicus. Diem illum totum & ad usque noctis medium jugiter pergentes venimus ad vicum, dictum *Larisch*, ibique paulùm quieti operam dedimus. Indè surgentes cùm ad alium maris sinum venissemus, omnes mulis descendere jussi sumus. Mamaluci nempe tutores nostri, pretium tutaminis sui à nobis exigebant, à singulis capitibus Zeraphum. Quod dum undique fecissent, ad nos tandem tres etiam ventum est. Porrò nos tenitimur, perque interpretem clamamus, mucrelum nostrum ad solutionem illam teneri. Ita enim nos cum eo convenisse, ut nihil usquam de nostro expendendum sit, & dicta chirographo ejus prolato firmamus. Mamaluci quia nos linguæ ignaros viderant & in re ipsa trepidulos, commiseratione quadam erga nos tacti, Mucrelum circumsistunt, aurum expostulant, multa loqui parantem ad plagas inclinant: qui modum rei cernens, resoluta capitis sui vitta, aurum tandem satis invitus exprompsit.

Zacha. Die XIII. continuè ad noctis usque medium, iter agentes venimus ad *Zacha*, ubi fontem aquæ invenimus. Sed & inde levantes venimus ad diversorium quoddam grande, ibique dormivimus. Eadem nocte, quæ admodum obscura erat, ego cum Magistro Vincentio acceptis Urceolis pro haurienda aqua ivimus. Et ad fontem quidem venimus: sed quia profundus nimis erat, Zonæque nostræ non sufficiebant, vacui cum magno timore per Camelos & jacentes Saracenos, diu

diu multumque errantes vix tandem ad nostros venimus.

Die XIV. inde digressi, cum solis ferè occasu *Gazæ* appropinquamus, quam diu obequitantes, in ædes tandem Mucreli nostri recepti sumus: ibique biduo commorantes conduximus judæum quendam, nomioe David, ioterpretem; ex cujus etiam salubri consilio comparavimus oobis babitum Saraceoicum, vilem & humilem, in cujus prætextu liberiorem ubique habuimus introitum & exitum. Et hactenus quidem tantum capita velavimus, more gentis Zoois præcincti: vestes verò Græcanicas gerentes non satis occultare genus nostrum potuimus. Nunc verò Saracenis per omnia & habitu & consura capitis, formâ insuper barbarum persimiles, liberè, quocunque libuisset, procedebamus.

Gaza.

At verò *Gaza* sive *Gazera* una est ex quinque Palæstioorum civitatibus, magna quondam & munita, à Persis sic dicta, apud quos nomen hoc, *Ærarium* significat, eò quòd Cambyses Persarum Rex cùm Ægyptum peteret, huc belli & opes, & pecuniam intulerat. Magna est & hodie civitas hæc, & major Jerosolymâ sed inmunita, in loco feracissimo, non procul à mari sita, septa undique hortis amœnissimis, qui palmis, malis punicis & aliis arboribus sunt referti. Visuntur in ea plurima & vetusta & magnifica palatia, quædam integra, quædam ruinosa. Extat etiam ibi Templum Dagon semidirutum, quod, ùt habetur Judic. 16. Samson apprebensis duabus columnis concussit; ac se omnémque ibi existentem populum interfecit. Sub hoc templo sunt illæ dictæ columnæ ob rei monumentum immuratæ. Erat verò templum illud, ùt illius ruinæ declarant, amplissimum, lapidibus sectis, & eis prægrandibus fortissimè compactum. Ab hac civitate, uno ferè versùs Hebron milliari, proëminet mons ille, in quem, ut habetur Judic. 16. Samson apprehensas ambas portæ fores cum postibus & sera in suis humeris portavit.

Unde & à quo sic dicta?

Ejus amplitudo.

Templum Dagon.

Die XVII. Hora quasi meridiana versùs Jerusalem exeuntes, ad pagum quendam devenimus, ibique nos mulósque nostros propter imminentem viæ difficultatem refecimus. Inde surgentes, noctis beneficio usi sumus propter latrocinia: habuimúsque iter valde molestum, A. tum propter metum latronum, tum quia iter ipsum admodum erat abruptum, invium, saltuosum & cavernosum: quo fiebat, ut tam mulis quàm nobis ipsis valde fatigatis in quadam convalle angustissima necesse erat subsistere virésque resumere.

CAP. III.

Die XVIII. euntes inter confragosos collium vertices, multas salubres herbas ibi vidimus, quas & decerpentes (nam mulis sedere non dabatur) odore earum mirificè confortabamur. Ibi etiam vidi- B. mus quercus dumosas & humiles, habentes fructus hispidos ac setosos, folia verò exilia ac puleio similia. Vidimus etiam plures diversi generis arbores nobis hactenùs invisas. Tandem verò ex angustiis illis eruti, ad viam publicam venimus, ac brevi ad vicum quendam in edito colle situm applicuimus. Hìc dicunt terræ Judææ esse initium. Hìc ergo utribus aqua repletis ac pane molliori comparato perreximus per iter difficillimum & omnino petrosum: sicque tandem pervenimus in *Hebron*, ubi in Domo cujusdam pauperis viduæ dato pretio & precibus hospitabamur.

Judææ limes & initium ex Ægypto venientibus.

Hebron.

C. Die XIX. Duce nostro Judæo interprete, ac Saraceno quodam tutore, contra occiduam oppidi plagam egressi sumus ad sancta loca invisenda. Ac primùm obtulerunt se nobis tres trium Patriarcharum fontes, Abrabam scilicet Jacob & Isaac. Deinde ager Damasceous, in quo primus homo Adam formatus asseritur. Est verò ager iste ferè jactu balistæ ab Hebron ad occasum semotus: ejus terra subrufa est & ad instar ceræ tractabilis; ob quam causam Saraceni ex ea faciunt globulos, quibus & ipsi orando utuntur, & D. Christianis vendunt, qui in eis orationes suas numerant. Hanc etiam terram Saraceni omni anno in diversas ac remotas mundi partes transportant: nec tamen locus ille aliquatenus videtur minui, imò magis crescere & exuberare. Ferunt & à nocivo quovis animali lædi non posse eos, qui glebam hanc secum habuerint: sed & à casibus & periculis immunes reddere. Ab hoc agro, ferè jactu lapidis est locus, ubi Cain fratrem suum Abel occidisse perhibetur. Hìc habentur indulgentiæ septem annorum totidémque carenarum,

Fontes trium Patriarcharum.

Ager Damascenus.

Pro-

Spelunca Adæ & Evæ.

Proxima est loco huic spelunca triginta ferè pedum latitudinis, in que, fertur, Adam & Eva multo tempore luxisse Abel; ex quo specu fons erumpit, de quo iidem primi parentes biberunt. Et hic habetur indulgentia septennis cum totidem carenis.

Cæterùm, ùt Josephus meminit, Hebron non modò ejus terræ civitatibus, verùm etiàm Memphi Ægyptia antiquior est: sed nunc vicui quàm Civitati similior. In eo exstructa est loco, ubi erat spelunca duplex: in qua sepulti sont Adam & Eva, Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Jacob & Lia. Plerique verò quartum ponunt ipsum Caleph: Adam autem in monte Calvariæ dicunt humatum, Ideoque Hebron etiam *Chariathabre*, id est, Civitas quatuor virorum illustrium dicitur. *Cariath* nempe civitas, *Harba* quatuor in lingua Saracenorum sonat.

Spelunca duplex.

Porro supra speluncam duplicem stabat exstructa quondam nobilissima Ecclesia. Ibi etiam Christiana fide florente sedes erat Episcopalis: Nunc infidelium Muschkea, quæ tamen etiam ab eis in magna habetur veneratione in tantum, ut, qui vel ætate vel inopia aut valetudine *Mecham*, ubi eorum Pseudopropheta sepultus est, adire non potest, hunc saltem locum, atque templum Hierosolymis adoraturus accedat. Verùm nemini, nec Judæo nec Christiano, ad hanc Ecclesiam aditus patet.

Moschea Saracenorum in Hebron, iisdem quàm sacra?

Hebron vetus.

Propè Hebron Modernam est in colle edito ac exiguo vetus Hebron, imò ruinæ ejus tantùm: in qua David septennio regnâsse Sacræ tradunt historiæ; ubi etiam hodie usq; sepultura patris ejus Jesse monstratur. Ab hac Veteri Hebron ferè medio Milliari est Convallis Mambre, ubi, ùt habetur Gen. 18. Abrahæ sedenti in ostio tabernaculi sui Dominus apparuit: ubi etiam tres vidit & unum adoravit. Ibi habetur indulgentia septennis & totidem carenarum.

Sepultura Jesse.

Convallis Mambre

Ex Hebron volentibus nobis recedere, venit Præfectus Mamalucus loci illius, mulos à nobis conductos, & alios quos reperit, vi abstulit: res suas Damascum deferendas illis imposuit. Nos cùm diu hinc inde alios multos quæreremus, vix tandem duos reperimus: quibus oneratis ipsi pedestres insequimur. Et erat iter difficillimum præ scabritie nimia, ubi nil terra, sed puta & viva nudaque saxa longum ac montuosum iter occupabant. Crescunt tamen, mirum dictu in nudis illis petris raræ olivæ, ficus ac malogranata.

Mamalucorum in peregrinos sævitia.

Cùm ergo supra oppidum paululùm processissemus venit ecce instar turbinis Mamalucus quidam, super unum nostrûm asello præ valetudine sedentem irruit. Non moratur ille, desilit jumento protinùs, Mamaluco ejus copiam facit: sed ille jumento non contentus, Judæum quendam, Comitem nostrum equo sedentem desilire jubet. Differt parere Judæus, ac Mamalucum precibus flectere parat. Mamalucus non statim sibi obsecutum indignatus, Judæo verbera infert, auget probra plagis, Judæumque senem ac invalidum equo deturbat. Accurrunt mucreli nostri Mamalucum precantur; parcat ut imbelli senectuti: manus pedesque deosculantur. Idem facit & Judæus. Postremò nummis prolatis placatur Mamalucus, placatus abiit. Judæus verò plagis tuber, vix equum aliena fultos ope ascendit.

Nehelescol, Torrens botri.

Post hoc cæptum carpentes iter præterivimus ad lævam *Nehelescol*, id est, *Torrentem botri.* Unde, ùt habetur Num. 13, exploratores à Moyse missi abscìderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri: de Malogranatis quoque & de ficis ejus loci tulerunt.

CAP. IV.

Betlehem.

TAndem advenientes *Betlehem*, Civitatem, & David & Christi Domini nostri nativitate insignem, excepti sumus benignè in Monasterium fratrum Minorum, apud quos etiam nocte illa pernoctantes, pro fortuna & consuetudine fratrum satis lautè epulati sumus.

Crypta S. Hieronymi.

Die XX. Novembris, quoniam in mattis molliusculis cubantes, diutiùs dormissemus, & fratres nonnisi antelucanas Missas metu Saracenorum celebrant, intra Claustri penetralia, in Crypta ad Sancti Hieronymi primam sepuluram, Missam audivimus. Illic Vir ille Sanctissimus ac undequaq; doctissimus divinæ legis historias transtulit. Ibidem è regione est aliud sepulchrum Sancti Eusebii discipuli ejus, ad quorum quodlibet est indulgentia septennis cum totidem carenis.

Post hoc Ecclesiam intravimus, cui si-A. milem, dum in vigore esset, puto, non vidit orbis. Est enim tota Musaico opere mirabiliter adornata, marmore candido ac electissimo mirificè vestita, viginti duabus columnis per duplicem ordinem egregiè sustentata. Olim verò quadraginta ejusmodi Columnas eam habuisse locus ipse ac ruinæ indicant. Porrò à columnarum summitate ad trabes usque videtur opus miri decoris, historiis sacris artificiosè depictum, ac marmoreis tabulis, ultra quàm dicere valeo, decoratum, quæ pretii videntur esse incomparabilis, adeo ut annis superioribus quidam Soldanus ejus-B. modi tabularum decore allectus, Cayrum eas ad suum decorandum palatium auferri mandavit. Verùm dum artifex jussa exequitur, primámq; tabulam aufert, venit ecce ex marmore illo serpens, qui impetu in tabulam facto, morsu eam discidit. Idem facit & cæteris, donec supra triginta tabulas eo modo pessundaret. Quod videns Soldanus, stupefactus ac sibi timens continuò propositum mutavit, ac statim serpens ille disparuit. Ecclesia, ùt tum erat, ita usque hodie remanet. Sanè videntur adhuc in omnibus illis, quas serpens pervagatus est, tabulis cruenta ejus &C. quasi igne adusta vestigia. Et mirabile est, serpentem illum in transverso parietum repere potuisse, cùm tam nitidi politique fuerint parietes illi marmorei, ut etiam lenitate sua cum speculo mundissimo certare potuissent.

Templi Betlehemitici splendor.

In hac ergo Ecclesia ad lævam est altare quoddam, lapide constructum marmoreo, in quo videtur, non sine magna admiratione, nativa Sancti Simeonis forma puerum in ulnis gestantis. Deinde ad frontem Chori procedendo extat altare in eo loco exstructum, ubi tres Magi puerolo JEsu oblaturi, se præparabant. Et est ibiD. septennis indulgentia cum totidem carenis.

Altare S. Simeonis & trium Majorum

A quo loco ad dexteram eundo, venimus ad Capellam, in quam novem gradibus descenditur, quæ tametsi spatio & ornatu sit valde exigua, nobilitate tamen omnibus Regum palatiis dignissimè anteponenda censetur. In hoc sacello sub altari majori, stellâ desuper signato, est locus ille sanctissimus, in quo Dominus noster JESUS Christus de castissimo intemeratæ Matris suæ Mariæ Virginis utero prodiit, toti mundo desideratus: in quo loco, jure habetur plenaria omnium peccatorum remissio. In eodem sacello ad dexteram est altare in rupe excisum, ubi Magi obtulerunt Domino aurum, thus, & Myrrham. Hic habetur indulgentia septem annorum & totidem carenarum.

Sacellum & altare Nativitatis D. N. J. C.

Ab hoc altari, statim ubi te verteris, est locus quadratus, candido Marmore vestitus: & hoc est præsepe Domini. Hic conditor mundi pannis involutus, hic visus à pastoribus, hic in fœno jacere pertulit in duorum medio animalium. In hoc etiam loco habetur plenaria remissio omnium peccatorum.

Præsepe Domini.

In Angulo hujus Capellæ est foramen quoddam, in quod, stellam ducem Magorum tradunt disparuisse &, cecidisse. Ibi habentur septem anni & totidem carenæ.

Ad sinistram hujus loci est ostium ducens in Cryptam quandam occultam, in qua multorum corpora innocentum habebantur; sed rari illuc intromittuntur. Est etiam exinde cuniculus abditus, est usque in claustri penetralia protensus, per quem fratres celebraturi ornatus, calices, & quidquid pretiosi habent, aut inferunt aut referunt. Non enim in superiori ecclesia hæc palam facere audent: nec Missarum aut horarum officia, nisi ante lucem peragunt, Saracenis interdiu per Ecclesiam vagantibus. Ibi etiam habentur septem anni & totidem Carenæ. Et hæc quidem habentur in dicta Capella.

Supra hanc verò Capellam est Chorus Ecclesiæ, in quo Græci suam stationem habent, ad cujus dexteram est Altare, ubi Christus Dominus circumcisus, jam tum pro nobis miseris pretiosum suum effundere cœpit sanguinem; ubi etiam habetur plenaria indulgentia.

Chorus Græcorum.

Porrò versùs portam Ecclesiæ ad lævam est baptisterium Græcorum, ubi in die Natalis Domini pueros suos baptizare solent jam grandiusculos. At verò ante Cryptam Nativitatis Domini est fons quidam aquis Scatens salubribus, in quem multos Innocentum fuisse projectos tradunt, Virginémq; Mariam cum Sponso suo Joseph ex eo bibisse. His ita visis ac salutatis, ingenti cum gaudio, Domino gratias egimus, & intrantes Claustrum, sumpta refectione, sumpsimus duos fratres, qui nos Jerosolymam conducerent.

& Baptisterium.

CAP. V.

CAP. V.

Cisterna Betlehem. EXeuntes ergo viculum Betlehem vidimus ad dexteram viæ *Cisternam*, de qua, ùt habetur Reg. 2. Cap. 23. cùm esses statio Philistinorum in Betlehem, David desideravit bibere, dicens: *O si quis mihi daret potum aquæ de Cisterna, quæ est in Betlehem juxta portam! Irruperunt ergo tres fortes castra Philistinorum, & hauserunt aquam de Cisterna, quæ est in Betlehem juxta portam, & attulerunt ad David. At ille noluit bibere &c.*

Sepulchrum Rachel. Post hæc venimus ad sepulchrum Rachel, Uxoris Jacob, quæ ibidem mortua est & sepulta. Hoc verò sepulchrum in ipso penè itinere euntibus Jerusalem ad lævam situm est arcuali figura exstructum ex duodecim lapidibus juxta numerum filiorum suorum Jacob compositum, totum hodie foris & intus dealbatum. Hìc habentur septem anni & totidem Carenæ.

Turris gregis. Haud procul indè est *turris* quædam vetusta & ruinosa, de qua nobis fratres dixerunt, quod esset *turris gregis*. Sed ego, cùm multa hinc inde legissem, fidem his verbis non adhibui. Legi nempe in vita S. Paulæ Romanæ, quòd ipsa priùs, visitando Betlehem, descenderit ad *turrim Ader*, id est, gregis: hæc verò turris non est in descensu Bethlehem, imo plus est in ascensu. Legi insuper & in quadam satis probata historia, quòd turris gregis sita sit contra Orientem Betlehem: hæc verò turris planè ad occidentem vergit. Proinde ubi & quæ sit turris gregis, alio loco *, cùm eo ventum fuerit, dicam.

** infr. c. 9. hujus Lib.*

Cicer B. Mariæ V. Circa hanc turrim inveniuntur, & à peregrinis colliguntur lapilli quidam Ciceri persimiles ob hoc miraculum. Tradunt Beatam Virginem Mariam cum parvulo suo Jerusalem euntem, in hoc loco Rusticum Cicer serentem salutâsse, & quid sereret, ab eo quæsiisse: verùm Rusticum vel ex ira vel ex levitate lapides se serere respondisse. Dictu ejus res sequitur. Nam cicer omne continuò in lapillos suæ formæ similes commutatum.

Domus Eliæ. Ulteriùs ad dexteram viæ est *Domus Eliæ*, quem ibi natum tradunt. Circa hanc Domum, ùt habetur Reg. 4: cap. 19. Angelus Domini percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Hìc A. etiam habentur septem anni & totidem Carenæ.

Domus Habacuc. De hinc ad sinistram viæ sunt ruinæ *Domus Abacuc*, quem in hoc loco fertur Angelus Domini in cincinno capitis sui in Babylonem ad Danielem cùm prandio portâsse. Hic etiam habetur indulgentia septem annorum & totidem Carenarum.

Domus S. Simeonis Justi. Procul hinc ad lævam videtur Domus justi illius Simeonis, qui in ulnis suis puerum JEsum excepit. Illic etiam habentur septem anni & totidem carenæ.

Haud procul à jam dicta Domo Eliæ B. extant tres fontes, sed nunc omninò aqua vacui, ubi tribus Magis ex Jerosolyma Betlehem petentibus stella dux eorum, quæ disparuerat, iterum reapparuit. Eratque ibi quondam in hujus rei memoriam Ecclesia erecta. Ibi etiam habetur septennis cum totidem carenis indulgentia.

CAPUT VI.

Jerusalem. EX hoc primùm loco Civitas Sancta *Jerusalem* nobis se ostendere incepit. Igitur lachrymis in genas & intra os ipsum præ gaudio fluentibus, in faciem prostrati, C. Sanctam Civitatem, Sanctum Domini patibulum, Sanctum Domini sepulchrum, Sanctam resurrectionem & ascensionem cordis penetralibus revolventes, corde & ore salutamus, adoramus, veneramur. Statimque *Te DEum Laudamus* cum jubiloso fletu canentes, laudem, gloriam, ac gratiarum actionem, JEsu optimo Maximo referimus, quòd nos per tot pelagi ac terræ spatiosa pericula ac periculosa spatia, sanos mente & corpore protegere & hucusque perducere dignatus sit. Atque eo pacto partim canentes, partim in silentio gratias DEO agentes, satis superq; consolati, pleni D. jubilo & sancta fiducia, Civitati Sanctæ appropinquamus. *Vallis Ennon.* Itaque per vallem Ennon, quæ est inter Gyon & montem Sion, civitatem sanctam Jerusalem, ascendimus; in Monasterium fratrum Minorum (quod est in monte Sion situm) intramus: gratanter excipimur; assignatur nobis locus. Imus ad officium vespertinum. Erat enim dies illa Sabbati, ac Vigilia præsentationis Beatæ Mariæ Virginis.

Eodem Die Abraham Custos sepulchri Domini peregrinos venisse persentiens, ad nos venit: Numerum pecuniæ, diémque,

Sacrum

Sacrum Domini Sepulchrum intrandi A. præfigit. Nihil tunc literæ Soldani profuerunt, pro quibus octo Zeraphos in Cairo expromplimus, licèt eas Dominus Jerosolymæ cum summa acceptas & exosculatas reverentia, capitique suo superimpositas legisset. Ad nummos ire oportebat, eorum uti operâ, eorum præsidio fulciri. Datis itaque viginti Zeraphis, ad ingressum sacri Sepulchri nos cum omni diligentia, confessione ac devotione præparavimus.

Templum Sepulchri D.N.J.C. vid. inf. c. 14.

Die XXI. Novembris circa Solis occasum ivimus ad sacrum Domini Sepulchrum: comitati sunt nos omnes ferè fratres de monte Sion. Postquam autem ad fores templi venimus, invenimus illic Abraham cum multis Saracenis sedentem, nostrúmque adventum exspectantem, qui cùm omnium nostrûm nomina sigillatim perquisita annotâsset, templum nobis patefecit, quod statim nobis ingressis desoris conclusit.

Igitur primò omnium, Capellam fratrum intramus; fratres sacris vestibus induti, singuli ardentes cereos accipiunt: in eadem Capella, *Regina Cæli lætare*, canere incipiunt ac demùm collecta concludunt. Tum unus eorum, fortè tunc in C. vice sua hebdomadarius, ad nos versus: *hic*, inquit, *Filii charissimi. hic locus est in quo Dominus noster JESUS Christus mortis nexibus superatis, Matri suæ dilectissimæ apparuit: & hoc quidem in eo loco, ubi medium Altare stare cernitis.*

Locus, ubi post resurrectionem Christus Matri apparuit.

Ab hoc loco ad dexteram se vertentes cœperunt canere Antiphonam quandam de flagellatione Domini, quam & Collectâ concluserunt. Tùm ille frater ad nos iterùm versus: *hæc est*, inquit, *columna charissimi*, (columnæ partem in Cancello inclusam monstrans) *ad quam salus nostra, Christus JEsus ligatus &* D. *acerrimè flagellatus est. Cernite signa flagellorum, compatimini ei: cui & saxum hoc compassum, plagarum & cruoris ejus retinet vestigia.* Porro hæc columna non integra est, sed vix cubiti & semis, estque lutei coloris. Ejus frustum paris magnitudinis, sed non coloris, vidi priùs Romæ ad sanctam Praxedem. Tertia ejus columnæ pars fertur esse Lugduni in Ecclesia Majori. Et in hoc loco habetur plenaria indulgentia.

Columna Christi flagellati.

Ubi omnes ejus partes?

Atque eo modo singula nobis loca frater ille declaravit: sicque Lytaniam canere inceperunt, nobis interim loca illa Sancta adorantibus & exosculantibus.

In ejusdem Capellæ medio sunt duo marmora rotunda in pavimento strata; super quorum majore posita erat Crux sancta per Helenam reperta, ac mortui resurrectione cognita ac probata. Super altero Marmore stetit eo temporis sancta Helena. Utrobique verò habentur septem annorum indulgentiæ ac totidem carenarum.

Locus Crucis à Helena repertæ.

Ad lævam hujus Capellæ est Altare, ubi longò tempore stetit Crux sancta in- B. tegra, *postquam* à sancta Helena fuit reperta. Est & hodie ibi particula quædam ejusdem sancti ligni. Huc Maria Ægyptiaca in peccatorum adhuc cœno posita intrare volebat ad adorandum: sed ab Angelo fuit divinitus probibita, donec suam recognovisset indignitatem. Hic habetur indulgentia septennis cum totidem carenis.

Post hæc de eadem Capella prodeundo, ante ejus ostium est locus in pavimento signatus lapide rotundo, in medio foramen parvum habens. Hic Christus Dominus *Victor* à morte resurgens Mariæ C. Magdalenæ in specie Hortulani apparuit. Propè quem locum est alius locus similiter in pavimento, lapide signatus rotundo. Hic stetit Maria Magdalena dicens: *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam.* In utroque hoc loco est indulgentia septennis cum totidem carenis.

Ab hinc in lævam versi, venimus in Capellam, ubi Christus Dominus sedit nudus, vinctus & afflictus interim, quò Crux appararetur. Hic etiam habetur indulgentia, quæ supra.

Dehinc venimus in Capellam, ubi mi- D. lites supra vestem Domini miserunt sortem. Et hic habetur, sicut supra. Inde descendentes per triginta gradus venimus in Capellam sanctæ Helenæ, ubi post inventam sanctam Crucem orare solita creditur. Ibidem fenestra est, quæ in inferiorem Cryptam respicit. Hic stabat sancta Helena, dum Crucem Domini effodere urgebat. Hic habetur plenaria indulgentia.

Capella S. Helenæ.

Ampliùs descendentes per undecim gradus, venimus in Capellam; ubi Crux sancta, Clavi, Lancea, nec non & Corona Domi-

Capella inventionis S. Crucis & c.

Domini reperta sunt anno post Christi A. passionem trecentesimo septimo. Est hic specus viginti duorum pedum in longitudine, in lato paulò angustior. Hic etiam habetur plenaria remissio omnium peccatorum.

Rursus per eosdem gradus ascendendo venimus in Capellam, sub cujus Altari est lapis quidem oblongus, quasi columna, supra quem Christus Dominus sedit, dum coronaretur. Et est hic indulgentia septennis & totidem Carenarum.

CAP. VII.

Capella Montis Calvariæ. AB hinc per decem & octo gradus B. ascendentes, imò potiùs, nudatis pedibus, & genibus cernui repentes, venimus in Capellam Montis Calvariæ, ubi Crucifixus est Dominus. Ibi nescio, quis cordis motus, quale gaudium, qualis mixta lachrymis ac pavens exultatio mentibus nostris insedit. Videbatur sanè nobis locus ille quodammodo tremere ac motari. Recordatio etiam passionis mortisque Dominicæ pavorem nobis quendam jubilosum incusserat vehementer. Hic itaque corpore animoque prostrati, sanctam Domini passionem sanctamque mortem humiliter adorantes, grates egi- C. mus ex cordis medullis altissimo. *Scrobs defixæ Crucis Christi.* Dehinc foramen, in quo Crux sancta impressa erat, affectuosissimè deosculati jocalia nostra in illud ob venerationem demisimus. Hic habetur (& quidem dignè) omnium peccatorum plenaria remissio.

Porrò foramen illud trium palmarum habet profunditatem, oris verò amplitudinem una tantum palma perficit. Os enim ipsum foraminis laminâ est circumdatum æreâ, ne quia inde à curiosis auferri possit. Ad Dexteram bujus foraminis est scissura quædam hominis capax ferè, quæ in morte Christi facta, in D. profundum usque cryptæ illius descendit, ubi ut supra memini, Crux sancta est reperta. Hic etiam habetur plenaria remissio. Cæterùm ex utraque parte foraminis, ubi Crux Christi stetit, est una ferè cubitalis columna, quæ illic cruces latronum stetisse demonstrat. In eadem Capella ad dextrum est Altare, ubi fratres celebrare solent Divina.

Forma & structura Capellæ. At verò Capella ipsa tota est, & intestudine & in pavimento, opere Musaico ac mirabili vermiculatione adornata, quam jugiter illuminant quadraginta sex lampades. Verùm in pluribus locis ruinas locus hic sacerrimus sentit. Nempe Saraceni nec novi aliquid exstruere, nec collapsa patiuntur restaurare, volentes & putantes, quod deficientibus locis illis, sanctisque insigniis, simul etiam Christiana fides intereat. Sed multùm eos fallit opinio. Si enim nec locus ille, nec templi illius restaret vestigium, adhuc tamen fides nostra Catholica virorem suum servaret. Nam hoc ita futurum veritas ipsa promisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* *Matt. 28. 20.* Porrò; ut locus ille testatur, Christus Dominus in Cruce pendens faciem habuit versùs occidentem; dorsum verò ad Civitatem Jerusalem.

Capella in Golgatha. Exinde descendentes venimus ad quandam Capellam in Golgatha dictam quæ est in honore Beatæ Mariæ Virginis & sancti Joannis consecrata. Ibi cernitur fixura illa, quæ est in Monte Calvariæ ad dexteram Crucis Christi facta. In hac fixura inventum tradunt caput Protoplasti Adæ. Nam, ùt vult Divus Hieronymus, in hoc loco tum & habitâsse dicitur & mortuus esse Adam. Unde & locus, ubi crucifixus est Dominus noster, *Calvaria* *Unde Mons Calvaria dictus?* dicitur, scilicet, quòd ibi sit antiqui hominis *Calvaria* condita, ut secundus Adam & Sanguis Christi de Cruce stillans, primi Adam & jacentis protoplasti peccata dilueret.

In hac Capella extant duo monumenta, unum Regis Godfridi: aliud Balduini cum tali Epitaphio

> *Rex Balduinus, Judas alter Machabæus,*
> *Quem formidabant, cui dona tributa ferebant*
> *Cedar, Ægyptus, Dan, & homicida Damascus.*
> *Proh dolor! exiguo hoc ossa tegit ecce Sepulchro.*

In jam dicta Capella est indulgentia septennis totidémque carenarum.

Ante hanc Capellam contra fores templi decem passibus, est in pavimento locus lapillis tectus diversicoloribus, ubi Beatissima Virgo Maria, Mater dolorosa sedebat, tenens in sinu suo gemebundo exsangue unici filii sui Corpus, dum aromatibus condiretur sepeliendum. Hic habe-

habetur plenaria peccatorum omnium remissio. Ardéntque super hunc locum jugiter octo aut decem lampades.

Paulùm ab hic ad lævam est locus in pavimento duobus subalbis signatus lapidibus, ubi primùm Beatissima Virgo Maria stetit cum Joanne & aliis Sanctis Mulieribus. Non enim poterat Cruci appropinquare præ turba tumultuante. Et hic indulgentia septem annorum & carenarum.

Capella S. Sepulchri. Tandem venimus ad Capellam sacratissimi Dominici Sepulchri. Illic in vestibulo ante ostium Sepulchri vidimus lapidem ferè tripedalem, super quo Mariam Magdalenam dicunt vidisse Angelum sedentem. Post hæc intravimus ipsam Capellam Sepulchri Domini interiorem per ostium valde humile ac depressum, ita ut vix duos cubitos capiat in altum. *Figura structura Sepulchri.* Porrò hoc Sepulchrum olim fuit Domus rotunda de subjacente rupe excisa, tantæ altitudinis, ut intus consistens homo vix manu extenta posset culmen attingere. Habet quoque introitum ab Oriente, cui lapis ille magnus impositus erat. In cujus monumenti aquilonari parte Sepulchrum ipsum, hoc est, locus Dominici Corporis, de eadem petra factum est octo habens pedes longitudinis, trium verò palmorum mensurâ cætero pavimento altiùs eminet. Celebraturi tamen super eo fratres tabulam ligneam superponunt, ac sic Altaris formam competentem efficiunt. Hic verò locus non desuper, sed à latere meridiano patulus est, quo Corpus inferebatur. Nam fenestram quidem nullam habet: sed triginta octo lampadibus perpetuè illuminatur. Hic habetur plenaria omnium peccatorum indulgentia.

Vestibulum autem hujus loci, id est, anterior quædam sed contigua Capella ejusdem est longitudinis atque latitudinis, sicut illa interior. Et deforis quidem apparet esse una Capella; deintus verò videtur, quod sit alia ab illa, sed commurata. Tota verò structura Sepulchri Domini foris habet speciem turris quadratæ, in cujus angulis eminent columnæ hexagonales, amplitudine palmæ grossiores: & hæ usque supra tectum Capellæ surgentes, testudinem quandam, quæ est super tectum Capellæ, sustentant. Supra testudinem verò tabernaculum quoddam eminet cum duplici ordine sex columnarum, quæ mensuram trium, aut eò plus cubitorum continere videntur. Super has autem columnulas est fornix modica, tota olim inaurata, quæ globi speciem præ se ferre videtur. Postremò templum ipsum, in cujus fere medio Capella hæc consistit, desuper habet formen tanti capax spatii, quanta est ipsa Capella, ita quòd Sepulchrum Domini penè sub divo est. Et hæc quidem ita se habent.

Nos verò loco illo Sacratissimo Venerabiliter adorato, cum gratiarum actione finem processionis illius fecimus, ac ita demum Capellam fratrum, unde prodieramus, intrantes, aliquantulo cibo refecti, quiescere non potuimus. Nam eadem nocte, soli nos tres eadem omnia loca eodem modo & ordine, sed majori mora & devotione bis visitavimus, adoravimus, jocalibúsque nostris contrectavimus. Sed quia Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam; & Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: non valuimus tantum efficere, quantum cupiebamus. Fatigati enim aliquantulum somno indulsimus. Rursùmque impetu Spiritûs expergefacti, tertiò loca illa Sanctissima invisimus. Tandem jam ferè circa diluculum Sacerdos noster in sacro Domini Sepulchro Missam legit: quâ peractâ etiam Officio Missæ Fratrum interfuimus in Monte sancto Calvariæ.

CAP. VIII.

Die XXII. Novembris Sole jam exorto venit Abraham multis comitatus & Mamalucis & Saracenis, templum recludit: & nos exire jubet. Paremus, ac illico in transcursu locis Sanctis vel adoratis vel visis, tandem templo progredimur. Ante cujus fores sunt tres Capellæ; prima in honore omnium Angelorum: secunda in honore sancti Joannis Baptistæ & tertia in honore sanctæ Mariæ Magdalenæ. Has omnes devotè visitavimus. In harum verò qualibet est indulgentia septennis & totidem carenarum.

Porrò ante fores templi est planities quædam ampla, lapide qudro tota strata: in cujus ferè medio est locus saxo signatus, nescio, an ex Sanguine Christi, ùt tradunt, an naturaliter, quasi cruento. Hic tradunt Christum Dominum sub Crucis

onere

onere graviter corruisse. Et hic habetur indulgentia, quæ & supra.

His ita, laus DEO, peractis Montem Sion ascendimus, Monasterium intramus, reficimur.

Locus, in quo Corpus B. Mariæ V. ad Sepulturam delatum fuit.

Refectione sumpta perreximus cum quibusdam fratribus extra urbis ambitum ad loca sancta invisenda. Et primò quidem descendimus de Monte Sion ad plagam orientalem, & venimus ad locum, ubi Discipulis Corpus intemeratum Beatæ Mariæ Virginis ad Sepulturam ferentibus, accurrerunt Judæi, Corpus illud Virgineum, DEItatis reclinatorium, sancti Spiritus Sacrarium, manibus Sacrilegis rapere, ac ignibus tradere conantes. Verùm non est Sapientia contra Dominum. Fit manus Domini super eos: excæcantur turbæ, & Sacerdoti manus aruerunt. Cui tamen postmodùm scelus agnoscenti sanitas, Beneficio Virginis redditur: & Apostoli cœptum Officium exequuntur. Hæc pleniùs habentur in Historia Assumptionis ejusdem DEIparæ Virginis. Hic etiàm habentur indulgentiæ ut supra.

Ecclesia Galli Cantus.

Paululùm descendendo venimus ad locum in læva viæ situm, ubi sanctus Petrus post chari Magistri sui fœdam abnegationem egressus, flevit amarè. Eratque olim in hoc loco Ecclesia, quæ *Galli cantus* dicebatur. Hic etiam habentur indulgentiæ, quæ & in proximo.

Ampliùs descendendo venimus ad locum sub muro antiquo & ruinoso civitatis; ibi vidimus lapidem illum angularem, quem reprobaverunt quidam ædificantes: ipse tamen figuram Christi Domini nostri tenens factus est in caput anguli. Et hic fertur haberi plenaria indulgentia.

Torrens Cedron.

Ab hinc ulteriùs sub muro urbis & templi descendentes venimus ad *torrentem Cedron*; qui torrens venit per medium Josaphat, & æstivo quidem tempore siccus est: vere autem, tempore videlicet Quadragesimæ, aquis copiosè ebullit. In hunc torrentem ferunt Christum Dominum præcipitatum, dum ex horto captus duceretur, impletúmque illud Prophetæ David ad literam vaticinium; *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.* *Ps. 109. 8.*

Super hoc torrente est pons lapideus arcualis, à sancta Helena erectus. Et super hoc torrente ferunt lignum sanctæ Crucis fuisse olim positum, per quod Viatores torrentem illum transirent. Sed dùm Regina Saba Jerusalem ascenderet ad audiendam Sapientiam Salomonis, essétque transitura torrentem, cognovit in Spiritu, Salvatorem mundi in eo passurum, & proindè pedibus suis illud contingere exhorruit. Hic habetur indulgentia septennis cum totidem carenis.

Sepulchrum Josaphat Reg. & Vallis.

Trans torrentem Cedron propè viam, quæ ducit Bethaniam, est *Sepulchrum Josaphat Regis Juda*, à quo & vallis illa nominatur. Estque Sepulchrum illud solida rupe excisum, habens desuper Capitellum pyramidale. Vulgus verò dicit, sed falsè, hoc esse *Sepulchrum Absalonis* filii David, qui, quoniam contra Patrem suum belligeraverat, prætereuntes Viatores, etiam Saraceni, lapidibus hunc locum, maledicentes impetunt: estque ibi magnus acervus ejusmodi lapidum. Quòd autem hoc non sit Sepulchrum Absalonis, & per sacram Scripturam, & per veridicam Josephi probatur historiam. Legitur nempe 2. Reg. cap. 18. quod Absalon erexerat sibi, cùm adhuc viveret, titulum, qui est in valle Regis. Vallis autem Regis distat duobus à Jerusalem stadiis: hoc verò Sepulchrum est sub ipso penè civitatis muro. Josephus etiam Sepulchrum Absalonis dicit fuisse statuam marmoream; hoc verò Sepulchrum, neque statua est, nec marmoreum: sed quasi turris quædam vivo lapide excisa. Contiguum est penè loco huic *Sepulchrum Zachariæ* Prophetæ, opus sanè grande & ex rupe solida excisum. Hic habentur septem Anni indulgentiarum & totidem Carenæ. *Sepulchrum Zachariæ Proph.*

Spelunca, olim Ecclesia S. Jacobi Min.

Ibi etiam est Spelunca, olim Ecclesia sancti Jacobi Minoris Hierosolymorum primi Episcopi. Hic enim, ùt Hieronymus in libro de viris illustribus meminit, in Parasceve mortuo Domino votum vovit, se non comesturum, donec videret Dominum à mortuis resurrexisse. In ipso autem die Resurrectionis, cùm ad illam usque diem Jacobus non gustâsset cibum, apparuit Dominus, ac eis, qui cum eo erant, dixit: ponite mensam & panem. Quo facto, accipiens panem, benedixit & dedi Jacobo justo, dicens: surge frater mi, comede, quia filius hominis à mortuis resurrexit. Hoc in isto specu factum est. Insuper postquam idem sanctus Jacobus occi-

occisus & ex pinnaculo templi præcipitatus A. esset, in hoc ipso loco conditus est, sed postea ad alium locum translatus. Hic habetur indulg. ubi supra.

CAP. IX.

Hortus Gethsemani.

INde ad Vallem Josaphat reversi, venimus ad locum, ubi quondam erat *Hortus Gethsemani.* Hic Christus Dominus in agonia oraturus octo Discipulos dimisit. Hic indulgentia uti supra. Ab hoc loco versùs orientem ascendentes venimus ad locum, ubi Dominus JESUS Patrem oraturus dixit Petro, Jacobo & Joanni: *Tristis est anima mea usque ad* B. *mortem; sustinete hic & vigilate.* In hoc etiam loco ab oratione rediens invenit eos præ tristitia dormientes. Hic habetur indulgentia quæ & supra. Statim ubi te versùs civitatem verteris, est locus lapidum congerie septus. Hic Dominus JESUS à nefanda scribarum, Pharisæorum, Sacerdotum, populi & cohortis turba captus, tentus, & ligatus est. Hic habetur plenaria indulgentia. Circa hunc locum est, ubi Petrus Malchn auriculam abscidit. Hic indulg. septennis & totidem Carenarum.

Ecclesia B. Mariæ V. in Valle Josaphat.

Ab hinc digressi, venimus descendentes C. ad Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis ferè in Vallis Josaphat medio constructam, in quam per quadraginta octo gradus descenditur. In horum graduum medio ex una parte scilicet dextera erat olim Sepultura Beatissimæ Annæ, Matris Virginis Mariæ: & è regione ejus erat Sepulchrum sancti Joachim Mariti ejus.

Locus Sepultura S. Annæ & Joachim.

In medio Ecclesiæ est Sepulchrum Beatissimæ Virginis Mariæ ex candido structum marmore, quod nisi amplius esset, Sepulchro Dominico simillimum videretur, habétque duo ostiola contra se opposita. Hic Beatissima Virgo carnis resoluta nexibus D. per Apostolos deposita est. Sed inde post triduum, ut piè creditur, cum Corpore & anima gloriosè assumpta est. Hic ergo propter DEI & Beatæ Mariæ reverentiam, simul etiam propter indulgentias, quæ illic plenariæ habentur, consequendas, fratres frequentiùs solent celebrare Missas. Porrò Ecclesia hæc, mirâ & pretiosâ lapidum nobilitate est structa. Sed quià fere tota sub terra est, parùm foris eminet parumque intus etiam habet luminis.

Locus Agonia Christi.

Abhinc versùs Orientem viginti quinque passibus est spelunca, octo graduum descensum habens. Ipsa sub rupe quadam concava sita desuper habet foramen quo illuc lumen infunditur. Hìc Dominus noster JESUS Christus factus in agonia prolixiùs oravit. Hic factus est sudor ejus, tanquam guttæ sanguinis decurrentis in terram: hic etiam ab Angelo confortatus est. Videtúrque ibidem lapis, super quem Angelus stabat confortans eum. Et habetur plenaria indulgentia.

Ubi lapidatus S. Stephanus vid. inf. c. 13.

Supra hunc locum versùs portam civitatis, quæ, ut puto, *Porta gregis* dicebatur, est locus, ubi sanctus Stephanus lapidatus est. Et habetur ibi indulgentia septennis cum totidem carenis. A quo loco, jactu ferè lapidis est locus, ubi Saulus sedebat, lapidantium vestimenta custodiens. Rursum per Vallis Josaphat medium descendentes, quoniam illic futurum dicitur extremum judicium universæ carnis, morem aliorum peregrinorum imitati, projecimus singuli singulos lapides, designantes nobis loca, ubi stare & coram Judice comparere debeamus.

Via ad M. Oliveti.

Ascendendo autem montem Oliveti, venimus ad saxum quoddam vestigium pedis claré habens. Hic ferunt, Christum Dominum, dùm asello sedens Jerusalem iret, ob viæ scabritiem descendisse, ac illico petram subjacentem sacri ejus pedis vestigium recepisse. E Regione loci hujus videtur *Porta aurea*, per quam Dominus noster JESUS Christus, asello sedens in die Palmarum gloriosa humilitate intravit.

Porta aurea.

Sunt etiam circum eam (ut loco suo pag. 108. dicetur) Sepulturæ Saracenorum, quas ipsi ab hominibus à fide sua alienis contingi Sacrilegium putant. Verùm, quoties fidelis quisquis flexis contra eam genibus *Pater noster* oraverit, toties plenariam consequitur indulgentiam.

Ampliùs ascendendo venimus, ubi Christus Dominus in die Palmarum videns civitatem flevit super illam, ingratitudinem ejus futurámque cladem prævidens. Circa eum tunc stabant Discipuli rupi adjacenti dorsa appodiantes. In hoc loco non solùm fideles consequuntur indulgentiam septem annorum & totidem carenarum, sed etiam Saraceni, ubi dolorem spinæ sui dorsi per senserint, hic se resupinant, & sine mora sanitatem consequuntur.

Indè

Indè altiùs procedentes venimus ad locum, ubi (si tamen verum est, quod in Apocryphis legitur) dum Angeli Corpus Beatissimæ Virginis Mariæ in cœlum jubilanter ferrent, & Thomas Apostolus, qui tum absens erat, rediret, & narratis credere nollet, subitò Zona, quæ B. Virginis erat, de aëre cecidit super eum integra, ut vel sic crederet eam totaliter fuisse assumptam.

Zona B. Mariæ V.

Ulteriùs in procedendo venimus ad locum: ubi, dum Beatissima Virgo desiderio filii sui vehementer accensa, exuberantiùs lachrymis madens, absentiam ejus æquo animo diutiùs ferre non valeret. Adstitit ei Angelus cum multo lumine, quæ revelante dies ei obitûs sui innotuit, ac palmam de paradiso acceptam ei obtulit, quæ ante feretrum ejus portaretur. Hic habentur septem anni & totidem Carenæ indulgentiarum.

A B

Supra hunc locum ad sinistram quinquaginta ferè passibus est collis, qui Galilæa dicitur; de quo Christus Dominus passurus Discipulis prædixerat: *Præcedam vos in Galilæam &c.* Et hic est indulgentia quæ & in proximo; suntque ibi ruinæ cujusdam Ecclesiæ.

Collis Galilaa.

Matth. 26 32.

Postremo in summum montis Oliveti ascendentes, venimus in Ecclesiam in eo constructam loco, ubi Dominus JEsus videntibus Discipulis elevatus est in cœlum, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. De hoc loco Sulpitius Episcopus Hierosolymorum dicit, quod, cùm ædificata esset ecclesia, locus ille, in quo steterunt Christi ascendentis vestigia, nunquam potuerit sterni pavimento: imò resiliebant marmora in ora collocantium. Calcatis eis plurimis à Domino, hoc dicit esse documentum, quòd vestigia impressa cernantur ibidem; & eandem adhuc speciem velut impressit vestigiis terra custodit. Nec (ut Beda dicit) summum Ecclesiæ cacumen propter Dominici corporis meatum contegi potuit: sed à terra transitus Christi usq; ad cœlum apertè patet.

Ecclesia Montis Oliveti.

Vestigia pedum Christi.

C D

In hoc loco etiam factum est, quod dico. Miles quidam de transmarinis partibus, cùm omnia sancta loca devotè visitâsset, venit postremò ad hunc locum: & post longam orationem cum lachrymis dixit. Ecce Domine, ubique te quæsivi diligenter ad hunc usque locum, ubi in cœlum ascendisti; proindè ubi te alibi quæram, nescio. Jube ergo Spiritum meum suscipi, ut ad dexteram Patris videam te residentem in gloria. Et his dictis sine ullo dolore emisit Spiritum. Hic plenaria habetur indulgentia.

Historia de milite hic Christi desiderio mortui.

Cæterùm mons oliveti, templum Salamonis directè aspiciens; versùs Orientem ei opponitur, & ita sole orto illustratur ante alia loca, quibus omnibus altior est. Sole verò occidente resplendentiam habet à lampadibus templi, quæ in eo jugiter ardent. Quia insuper oleis est consitus, quæ arbor lumen ministrat, ob has causas Mons trium luminum dicitur. Ex hinc vastissimus est undique prospectus. Nam & mare mortuum & Arabia, Montésque Abyron, Nebo, Hasga & plura alia procul hinc conspiciuntur.

Situs M. Oliveti.

Cur dictus Mons trium luminum?

Ex latere hujus dictæ ecclesiæ, versùs Bethaniam, est sacellum aliquot graduum descensum habens. Hic, ut habetur in *Vitas patrum*, Pelagia, meretrix olim famosa assumpto & nomine & habitu virili, strictam egit pænitentiam, ibique mortua & sepulta est. Hic habentur septem anni & Carenæ.

Pelagia pænitens.

Sub hoc loco versus Jerusalem est locus, quondam Sancti Marci Ecclesia, ubi Discipuli post Christi Domini Ascensionem, Spiritus Sancti dictamine conferunt Symbolum fidei Catholicæ. Hic habetur, ut supra.

Ecclesia S. Marci.

Ibidem propè est Ecclesia ruinosa, ubi Dominus JEsus docuit Discipulos modum orandi, dicens: *Cùm oraveritis, dicite; Pater noster &c.* Hic etiàm indulgentia, quæ supra.

Circa hoc est locus grandi signatus lapide, ubi, ut habetur Matth. 24. Discipuli interrogaverunt Dominum, *dicentes: Magister, quando hæc erunt, & quod signum adventus tui?*

Ampliùs versus Jerusalem descendendo venimus ad saxum quoddam, super quo Beatissima Virgo Maria, dum post dilecti filii sui Ascensionem loca sancta visitaret atque eo labore fatigaretur, sedere ac pausare consuevit. Hic etiàm indulgentia, quæ supra.

Rursùm Montem Oliveti ascendentes, atque Ecclesiam Ascensionis Christi ad lævam relinquentes, descendimus montem versùs mare mortuum. Et statim venimus ad locum, ubi quondam erat *Bethphage*, unde Christus Dominus in die palmarum misit duos ex discipulis pro asina

Bethphage.

na adducenda. Es hìc habentur indulgentiæ, ut supra. In boc loco Guardianus de Monte Sion solet omni anno in die palmarum cum suis fratribus ascendere asellum, ac Jerusalem intrare ob memoriam facti, quod hìc Dominus patravit.

Iode aliquantùm procedendo, & à dextris Bethaniam relinquendo, venimus ad petram quandam, supra quam Dominus JEsus, dum iret ad Lazarum suscitandum, resedit fatigatus. Hìc etiam ei occurrit Martha primùm, deinde & soror ejus Maria Magdalena. Et hìc indulg. ut supra.

Domus S. Marthæ & Magdalenæ.

Haud procul hinc est *Domus Sanctæ Marthæ* Hospitæ Christi, & circa eam *Domus Mariæ Magdalenæ:* utraque tota in ruinis; utrobique tamen habetur in indulgentia, quæ & supra.

CAP. X.

Bethania

POst hoc venimus in Bethaniam, olim castellum nunc exiguam Villulam, quæ uno ferè milliari Germanico distat à Hierosolymis. Ibi venimus ad quandam Ecclesiam, quæ tota sub terra latet, ubi usque hodie extat sepulchrum Lazari fratris Magdalenæ & Marthæ, quem in eodem loco Dominus JEsus Quatriduanum à morte suscitavit. Hoc sepulchrum nedum Christiani, sed à Saraceni plurimum venerantur. Super illud pendet quoddam vexillum literis Saracenicis, & quibusdam figuris depictum. Hìc habetur plenaria remissio.

Ecclesia & sepulchrum Lazari.

In ea Ecclesia, decem ab hinc passibus, est locus, in quo Dominus stetit, vocans Lazarum de sepulchro, & dicens: *Lazare, veni foras.* Et ab hinc tribus passibus ad dexteram est Crypta quædam angusta, & ipsa angustum habens ingressum, ubi ferunt, Mariam Magdalenam aliquamdistrictam egisse pœnitentiam. Habentur quoq; hic septem anni iodulg. & totidem Carenæ.

Domus Simonis leprosi.

Ex hoc sacello ascendentes, venimus per aliquot gradus in domum Simonis leprosi, ubi Dominus JEsus frequenter convivatus legitur, ac tunc præcipuè, cùm Mariæ Magdalenæ pedes sibi & ungenti & extergenti benignus dimisit. Quæ domus ex ruinis extantibus magnificum quid olim fuisse monstratur. Est enim ex lapide secto fortiter constructa, & fossâ satis parenti & profundâ communia. Et hic indulgentia, ut supra.

Ex Bethania Hierusalem revertentibus nobis occurrit primò ad lævam viæ, locus lapidum acervo consignatus, ubi quondam stetit arbor illa fici, cui, dùm in ea Dominus fructum quæsîsset nec invenisset, maledixit, quæ & illico aruit. Post hoc venimus ad truncum arboris, quæ est dexteram viæ, in quo trunco Judas, Mercator pessimus, sibi laqueo vitam conscivit. Statim ad lævam viæ est Domus ejus, à Judæis undique propter Christianorum contumelias muro septa & obducta: circa quam domum est sepultura Judæorum.

Domus & patibulum Judæ Iscariotæ.

His itaque visis, corpore quidem fessi, aoimo tamen satis superque coosolati, rursum per pontem torrentis Cedron, sub muro urbis & templi Hierusalem, accedentes in Monasterium reversi sumus, ibique cibò primùm, deinde sapore nos refecimus.

Die XXIII. rursum ad loca sancta, quæ supererant, extra urbem processimus. Et primo quidem versùs meridianum descendèntes, venimus ad *Natatoria Siloë:* ad quem locum Christus Dominus cæcum, quem sanaverat, misit, dicens: *vade & lava in natatoria Siloë.* Hic habetur indulgentia septennis, totidem quoque carenarum.

Natatoria Siloë.

Joan. 9.11.

Propè hoc versus Jerusalem est fons *Silo* claras & puras evomens aquas; ubi tunc cerdones erànt pelles levantes. Hìc olim Beata Virgo Maria traditur panniculos fasciolásque lavare solita. Indulgentia, ùt supra.

Fons Silo.

Ibi etiam versùs Montem Sion & locus, ubi stetit *quercus Rogel* sub qua Isaias à Manasse Rege Serrâ ligneâ sectus est. Indulg. quæ supra.

Quercus Rogel.

Supra hanc locum in montis medio est *ager Haceldemach*, emptus eo pretio, quo Christus à Juda venditus fuit. Hunc agrum Sancta Helena undique muro alto circumsepsit, ac desuper testudioe texit: in qua fecit novem foramina per quæ & lux desuper, & mortuorum corpora inferuntur. Habet verò in latitudioe pedes fere quinquaginta, in longitudine autem septuaginta tres. Et habetur indulgentia, quæ & supra.

Ager Haceldama.

Ab hinc in Orientem conversi, intravimus antra quædam spatiosa in petris;

ubi

ubi feruntur Apostoli tempore & aliquantùm post passionem Christi latitâsse. Et hîc indulgentia, ut supra.

Aucupium per aquam.

Sub his speluncis vidimus aucupium, nobis hactenùs non visum. Non enim escâ, ut in partibus nostris; sed aquâ in rupem effusâ aves capiuntur. Siticulosa enim & aspera est admodùm ea regio, quò fit, ut aviculæ in aëre volitantes, & ex resplendentia in aquam petris infusam despicientes, appetitu sitis ad laqueum convolitent atque ita demum capiantur.

His ita visis, quia tempus refectionis erat in Montem Sion regredimur, ubi refectione simúlque repausatione percepta rursum ad visitanda loca intra urbem eximus. Et primò venimus ad portam templi, quæ dicitur *Speciosa*: ubi S. Petrus sanavit ex utero claudum, ibi jacentem Actor. 3. Hujus verò portæ platea tota est testudinata lapidibus, cui desuper lumen per testudinem infunditur.

Porta Templi Speciosa.

CAP. XI.

Templum Salomonis Christianis clausum.

Post hoc volentes, propriùs templum Salomonis accedere, à Saracenis probibiti sumus ac repulsi. Proindè in medio ferè graduum portæ illius consistentes, locum illum sanctum breviter & & carptim propter Saracenos circumstantes adoravimus. Habentur hìc & quocunque loco templum illud videntibus & contra illud adorantibus plenaria indulgentia. Sanè quantum tunc & alias ex locis aliis videre potui, templum illud non est admodum amplum, quippe quod vix mediam partem prisci illius & veri templi obtineat. Forma ejus est duodecim angulorum, tectum plumbeum habet, in cujus medio globosa & rotunda quædam fabrica eminet, cui superest luna media, quam in omnibus suis Muschkeis Saraceni, vel foribus vel tecto applicare in more habent. Intus duo lampadum millia jugiter ardere dicuntur.

Non est admodum amplum.

Ejus forma & ornatus.

Splendidi atrium.

Circa hoc templum est area quædam fere in quadro, tantùm spatii occupans, quantum arcus jacere solet: estque tota marmore strata candido, quod templo illi addit multum splendoris & Majestatis. Solis enim radiis resplendentibus ita refulget, ut intuentium oculi quasi à solis radiis avertantur. Facit ad hoc multum candor, lenitas & munditia loci. Hoc

A. templum Saraceni in maxima tenent reverentia, adeò ut ipse Soldanus summum se ejus sacerdotem, turrem & conservatorem scribat. Vocántque illud, *rupem Sanctam* propter saxum quoddam, quod in medio ejus existit, crate ferrea undique circumclusum, cui, ut tradunt Mamaluci, nemo Saracenorum aut infidelium aliquatenus appropinquare audet. Ex multis tamen & remotis partibus valde, ad hanc rupem adorandam creberrimè confluunt ob multa, quæ in ea leguntur mira facta.

Rupes sancta, ubi Melchisedech panem & vinum obtulerit, & alia plurima mira patrata sunt.

B. Constanter enim asseritur hæc rupes locus ille esse, in quo Malchisedech Rex Salem obtulit panem & vinum Abrahæ regresso à cæde Regem. Hoc saxum Jacob domiturus capiti suo subposuit, viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen ejus tangens cœlum. Super hoc saxo vidit David Angelum Domini evaginatum gladium babentem &c. Super boc saxo holocausta, quæ sacerdos imposuerat; ignis de cœlo consumpsit 2. Paralip. cap. 7. In boc, ùt asserunt judæi, Jeremias tempore captivitatis Babylonicæ arcam testamenti miraculosè conclusit, dicens: *iste locus non revelabitur, donec* C. *Dominus propitietur populo suo*: & multi judæorum credunt usque hodie ibi arcam contineri. Super boc saxo puer JESUS oblatus à matre, & à Sancto Simeone fuit in ulnas acceptus. Hìc etiam duodennis à matre perditus, in medio Doctorem sedere repertus, est inventus. Insuper postmodum adultus, hìc sæpe numero prædicavit.

Arca Testamenti ubi.

Porrò hoc templum in Monte Moria Salomon primus construxit, quod deinde sæpè bellicus ignis absumpsit; ac illud rursùs diversorum Regum ac populi pietas excitavit. Hoc autem templum in multis D. DEUS honoravit. Postquam enim Salomon illud perfecisset, arcámque in illud introduxisset, implevit illud nebula, & non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini Domum Domini. 3. Reg. 8. In templo hoc virga Joseph floruit; virgo Maria est præsentata: JESUS à diabulo in pinnaculum ejus est collocatus. Hinc vendentes & ementes ejecit: boc Domum Patris sui nuncupavit: hìc crebriùs prædicavit, disputavit, oravit, & deambulavit, ac multa signa fecit. Ex boc etiam tem-

Prærogativa Templi Salomonis.

templo sanctus Jacobus præcipitatus occubuit. Verùm nemini Christiano nec Judæo in hoc templum aditus patet.

Sub qua pœna vetitus Christianis ingressus hujus Templi?

Si quis talium hic deprehenderetur, sine mora aut fidem suam abnegare cogeretur, aut dissecaretur medius. Id, quod Christiano cuidam de Secta Maronitarum ab hinc ante semestre contigisse, nobis dictum est. Hic nempe dum in habitu Saracenico templum hoc exploraturus, introiisset, Christianus esse, nescio quomodo, agnitus est. Proinde morte sibi intentatâ territus, fidem abnegavit, ac Mahometicam induit: sed conscientiâ stimulante non diu in eo errore moratus, B acta sua revocavit. Sic ante templi Sepulchrum Domini ductus, atque ibi per medium sectus est. Nihilominùs sic cæsus tribus supervixit horis multa pro fide sua, multa contra Saracenorum deliramenta locutus. Affirmabat insuper Angelos DEI se videre, atque ad se hinc deducendum lætabundos astare. Inter hæc verò & alia verba illi, pro cujus fide passus est, reddidit Spiritum.

Exemplum in Maronita.

Per idem fere tempus Frater quidam, qui erat ex eorum sacra & omni laude dignissima Congregatione, qui Montem Sion inhabitant, nescio quibus Sathanæ C technis delusus apostatavit, quem nos ante hoc tempus Cairi Mamalucantem & vidimus, & de apostasia sua allocuti, nihil apud eum profecimus.

CAP. XII.

Porticus Salomonis, Domus Saltus Libani, nunc Templum, olim B. V. Mariæ sacrum.

PRopè hoc templum versùs montem Siun est Ecclesia quædam oblonga, plumbo similiter contecta, quæ quondam *Porticus Salomonis* dicebatur, sive *Domus saltus Libani*, quia in ea Salomon docebat & judicia faciebat, & quia de lignis, quæ erant in saltu Libani, constructa erat. Dùm verò Christiani Hierosolyma poti- D rentur, Ecclesia ipsa fuit Beatæ Mariæ Virgini & Sacrata & intitulata. Feruntur nunc in ea supra octingentæ lampades perpetuè ardere, estque multo amplior, quàm nunc est templum Salomonis. Sub hujus Ecclesiæ & sub templi Salomonis ambitu subterraneo (ut nobis Judæus quidam, qui noster Comes fuit usque Damascum, retulit) est sumptuosa quædam & mirabilis structura adeò ampla, ut multa millia hominum ibi recipi commodè possent. In qua sunt columnarum mul- A ti & stupendi ordines, ita, quòd ambo jam dicta templa cum areis suis super illis columnis consistant.

Domus S. Magdalenæ. Domus divitis epulonis.

A Templo Salomonis prodeuntes venimus ad domum quandam Mariæ Magdalenæ, ex qua ductum est arcuale quoddam supra plateam ædificium. In proximo hujus est domus divitis illius epulonis, ante cujus fores Lazarus pauper & ulcerosus jacebat. Luc. 16. Exin venimus ad bivium, ubi Christus Dominus Crucis sibi onus & supplicium ferens graviter corruit. Ibi etiam Judæi angariaverunt Simonem Cyrenæum, venientem de villa, ut Crucem Christo portaret Luc. 23. Hic habentur septem anni indulg. totidémque Carenæ.

Ecclesia B. Mariæ V. de Spasmo.

Ex platea illa versùs orientem procedentes, venimus ad locum, ubi dolorosa Virgo Maria obviavit afflicto & deformato filio suo, sibi Crucem portanti, ad quod tam triste commota spectaculum exanimis in terram corruit. In hoc postea loco sancta Helena construxerat Ecclesiam: quam & *sanctæ Mariæ de Spasmo* ab eventu jam dictæ rei nuncupavit. Hujus hodie Ecclesiæ ruinæ paucæ admodùm extant. Hic tamen, ut certa relatione dici, nemo Saracenus ædificare nec audet, nec potest: tametsi id sæpenumerò incassum tentatum sit. Hic habetur indulgentia, quæ & in proximo.

Abhinc venimus ad locum, ubi arcuale quoddam ædificium ab una domo ad aliam ductum super unam eminet. In hoc arcu cernuntur duo lati & candidi lapides, super quorum uno stetit Dominus JESUS, dum à Pilato Sententiam mortis exciperet. Super alio Pilatus ipse iniquam contra Creatorem suum protulit mortis sententiam. Hic habetur plenaria remissio.

Domus Pilati.

Post hoc venimus ad *domum Pilati*, in quam pretio dato intromissi, vidimus & adoravimus locum, in quo Dominus JESUS ad columnam ligatus, flagellatus, coronatus, irrisivè salutatus, ac multis aliis opprobriis & malis fuit affectus. Et hic habetur plenaria indulgentia, licèt hoc sacro loco profani Saraceni pro stabulo equorum utantur. Ad dexteram hujus domus semidirutæ habitat Mamalucus, Dominus Hierosolymitanæ Civitatis.

Quantum spatium à

Porro à Domo Pilati usque ad montem Calvariæ (si bene mensuravi & memini;

Domo Pilati usque ad Mt. Calvariæ?

mini) sunt mille quinquaginta septem passus. Tantum est iter, quod pro nobis indignis Dominus noster JEsus Christus sub Crucis onere, sub iniquorum contumeliis, sub infiniti populi aspectu dolorosè peregit.

Domus Herodis.

A Domo Pilati ad lævam per aliquot gradus ascendentes venimus ad Domum Herodis, quæ regalem adhuc obtinet decorem, structa marmore coloris varii. Estque hodie ibi Gymnasium sive Schola Saracenorum. In hanc etiam dato pretio introgressi, vidimus per foramen ostii cameram quandam amplam, in qua cœpe & allia tunc jacebant. Hic est locus, in quo Dominus JEsus per Judæos Herodi adductus & falsò accusatus est. Hic ab Herode & ejus exercitu de multis interrogatus, cùm staret velut Agnus innocens, os non aperiens, spretus, illusus & alba veste indutus est. Verùm in hanc & Pilati domum, non, nisi occultè & pretio, ingredi permittuntur Christiani. Hic habentur septem anni & totidem Carenæ.

Domus S. Annæ, ubi nata B. V. Maria.

Inde transivimus ad Muschkeam quandam grandem & egregiam, olim in Domo & honore sanctæ Annæ constructam. Et licet capitale esset Saracenorum Muschkeas intrare, nos tamen præ fervore sancti loci videndi, obliti discriminis, ex favore cujusdam nobis familiaris Saraceni, per illam Muschkeam rapido cursu transeuntes, venimus in domum illius Saraceni, Ecclesiæ illi adjacentem. Erat inter Ecclesiam illam & domum Ambitus quidam arboribus & herbis floridis consitus, ut solet apud nos fieri circa Ecclesias vel in Monasteriis. Ibi ergo allato nobis lumine descendimus, imo decidimus per duodecim interruptos gradus in Cryptam quandam squalore & horrore obsitam. Hic Beatissima Virgo Maria asseritur feliciter progenita. Hic etiam videtur sanctæ Annæ Matris ejus prima sepultura. Hic habetur plenaria indulgentia. Dehinc actis gratiis datóque pretio Ductori nostro, rursum concito gradu per eandem Muschkeam exivimus. Et quia locus est à frequentia populi semotus, à nemine alieno visi, liberè & impunè hinc evasimus.

CAP. XIII.

Piscina Probatica.

IN proximo ab hinc venimus ad probaticam piscinam, ubi Nathinæi lavare A. solebant hostias in templo offerendas. Hic, ut habetur Joann. 5. Dominus JEsus sanavit languidum, triginta octo annos in infirmitate sua habentem. Hæc piscina habet in profundo suo cubitos ferè triginta, estque toto desuper obmurata: unum tantùm in angulo quodam versus portam sancti Stephani foramen habens, per quod Christiani, simulque Saraceni aquam ad bibendum extrahunt, singulare contra febres & torsiones remedium. Hic habentur septem anni indulg. & tot. Carenæ.

Ab hinc versùs Templum Salomonis B. regressi venimus ad fossam quandam miræ & amplitudinis & profunditatis, totam undique quadro lapide extructam, intus arbustis & oleribus consitam. Fuitque ab olim hic piscina quædam aquis ad summum usque repleta. Postea ex porta sancti Stephani exeuntes vidimus & salutavimus locum, cujus suprà memini, ubi scilicet sanctus Stephanus lapidibus Judæorum in Domino obdormivit. Rursus Civitatem intrantes venimus per priorem viam ad Domum Pilati, ac deinceps ad locum, ubi Christo Domino Crucem portandi occurrit Simon, quem & anga-C. riaverunt, ùt supra memini.

Via Christi Crucem bajulantis.

A jam ergo dicto loco, octoginta passibus, aut eo plus, est trivium, ubi Christo Domino ad Crucis eunte supplicium confluxerunt mulieres, quæ & flentes sequebantur eum. Ad quas Dominus conversus: *Filiæ*, inquit, *Jerusalem, nolite flere super me; sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Hic habetur indulgentia septennis & totidem Carenarum.

Domus Veronicæ, & Imago Christi.

Ab hinc centum viginti passibus monstratur domus & locus Veronicæ, ubi Dominus JEsus faciem suam deformatam panniculo ejus impressit: quæ iconia ho-D. die monstratur Romæ apud sanctum Petrum, quam & ego indignus satis propè clarèque conspexi. Et hic indulgentia, quæ in proximo. Porro à domo Veronicæ ad Domum Pilati sunt fermè quingenti quinquaginta passus.

Carcer S. Petri.

Post hoc venimus ad locum, ubi S. Petrus fuit ab Herode incarceratus: sed Angelo Duce inde liberatus & eductus Act. 12.

Templum Sepulchri D.N.J.C. semper occlusum.

Demum ad Sacram sancti Sepulchri Ecclesiam venientes, ante fores ejus, omnia in ea sancta loca, mente salutavimus atque visitavimus. Nam templum ipsum sem-

non nisi multis nummis reservandum.

semper ac jugiter clausum manet, nisi dum aliquis exire & intrare vult. Tunc enim venit Saracenus custos templi, qui illud non nisi magno accepto pretio, apertum, iterùm deforis occludit.

Domus Armenorum.

Post hoc venimus in domum quandam Monti Calvariæ adeò cohærentem, ut non nisi modicus eam paries ab eo disterminet, habitatúrque ab Armenis Christianis. Ibi ostensus est nobis lapis quidam latus, in pavimento honorificè positus; sub quo ferunt Abraham voluisse immolare Filium suum Isaac. Gen. 22. Ibidem monstratur Oliva pervetusta, in eo loco, ubi levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus; quem assumens obtulit pro filio. Ibi in pariete monstratum est nobis Altare quoddam obmuratum, in quo ferunt, Melchisedech DEO Altissimo offerre solitum. Quæ tamen res apud me propter multa in dubio est. Quapropter his, qui me sunt in scripturis oculatiores, hanc rem ventilandam relinquo.

Ara Abraha & Melchisedech.

Domus Mariæ Matris Marci.

Ab hoc loco versùs Montem Sion redeundo vidimus ad dextram viæ nostræ, piscinam quandam amplam & profundam, totam secto lapide constructam, sed aquis omnino vacuam. Hinc venimus in domum quandam, quæ dicitur fuisse Mariæ Matris Joannis, qui cognominatus est Marcus. Ad hanc domum sanctus Petrus per Angelum de carcere liberatus venit pulsans & intrare volens. Indulgentiæ hìc septem annorum & totidem Carenarum. Inde exeuntes habuimus ad dextram, arcem quandam fortissimis lapidibus egregiè constructam. Et, ut ego ex his, quæ unquam de hac re legi, conjicere possum, hæc est *Turris David*; quam etiam ambit fossa quædam, quæ in Scripturis *Vorago* dicta est, & dividebat *Mello*, id est, Civitatem sive Montem Sion à reliqua Civitate, circa cujus repletionem Reges Juda plurimùm laborâsse leguntur.

Turris David.

Propè hunc locum ad lævam, Christus Dominus post resurrectionem suam apparuit mulieribus ad monumentum euntibus, & dixit eis: *Avete, illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.* Hic indulgentia, quæ & suprà.

Matt. 28. 9.

Ampliùs procedendo venimus ad Ecclesiam satis egregiè constructam, quam Armeni Christiani inhabitant, ad honorem sancti Jacobi Majoris, qui etiam ibi ab Herode fuit decollatus. Vidimus etiam ibi, sub Altari quodam ad lævam Ecclesiæ, locum, ubi primùm fuit Sepulturæ traditus. Hic etiàm indulgentia, quæ & in proximo. Postremò venimus in Monasterium Montis Sion, ibíque de visis satis consolati, eo die requievimus.

Ecclesia S. Jacobi M. Armenorum.

CAP. XIV.

Die XXIV. Nusquam processimus disponentes nos cum Confessionibus, Orationibus, aliisque sacris Exercitiis ad intrandum templum Sepulchri Domini secundò. Proinde circa Solis occubitum, assumptis nobiscum quibusdam fratribus, templum Sanctum secundò intravimus: omnia priùs descripta loca suo ordine salutamus, adoramus, & jocalibus nostris contrectamus. Interim verò in Choro Græcorum nobis monstratus est locus lapide ferè cubitali signatus, quem dicunt esse centrum terræ inhabitabilis, juxta illud Davidicum: D*Eus autem Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ*, quod etiam ad literam volunt intelligi. Ostensa sunt nobis præterea Sepulchra Regum Hierosolymæ, scilicet Melchisedech, Balduini, Fulconis, aliorúmque, qui terram sanctam à Saracenis vendicatam per multos annos gloriosè rexerunt.

Centrum Terræ. Ps. 73. 12.

Sepulchra Regum Hierosolymitanorum.

Die XXV. Magister Vincentius Capellanus noster celebravit nobis Missam super sacratissimo Domini Sepulchro, ex cujus manibus nos reliqui duo Sacramentum Venerabile percepimus. Mansimus autem illic totum triduum, sanctissima illa loco frequenti visitationi adorando, desideriúmque nostrum ad satietatem implendo. Quo etiam tempore, templi & locorum in eo sitorum formam, habitantiúmque in eo Christianorum genera, sectas, morésque magna ex parte didicimus, quæ hic subinserenda censui.

Templum Sepulchri, de quo superiùs * plura memini, formam habet orbicularem; intrinsecùs versùs occiduam plagam turrim quandam, totam fortissimis ac sectis lapidibus & adornatam & munitam, quæ olim fuit campanile. Ipsa etiam intrinsecùs per gyrum fortissimis columnis

*Uberior descriptio Templi S. Sepulchri. * V. d. sup. c. 6. & 7.*

nis fulcitur, à quarum una ad aliam diametraliter septuaginta trium pedum spatium est: à columnis verò ad reliquos templi parietes decempedale est spatium. In ejus medio foramen est desuper tanti capax, quantum est sub eo Sepulchrum Domini. Porrò Ecclesia Golgothana est in modum chori sita, uno tantùm tecto operta.

Sectarum & hominum genera in Templo Sepulchri.

In hoc itaque templo plures hominum Sectæ, quæ se Christianos profitentur, habitant; unaquæque in loco suo DEO laudes suo more persolvit. Et operæ pretium est audire tot dissonas linguas, voces, melodias, ritus, cæremonias atque habitus, morésque hominum illorum: qui licet penè in omnibus differant, in uno tamen concordant, quòd Christum, DEUM laudant, credunt, fatentur. Inter quas hominum Sectas præcipui sunt Latini, & etsi sunt fratres de ordine observantium sancti Francisci. Secundi sunt Græci, tertii Syriani, quarti Georgitæ, quinti Jacobitæ, sexti Indiani & Abassini, septimi Armeni; de quibus singulis, ùt & ipse vel vidi, vel ab eis sigillatim didici, utque in libro quodam in Monte Sion legi, pauca ex multis subinferam.

CAP. XV.

Mores, & vita gen. FF. Min. de observ.

FRatres Minores de observantia sancti Francisci inter illas Sectas, velut Sol in tenebris, emicant. Isti per superiores suos in Civitatem sanctam ordinati transmittuntur: priùs tamen, si bene memini, triennio in Candia expleto. Quorum de numero cùm quis morte occumbit, alius in locum ejus subrogatur. Vivunt verò sub Regula sua integerrimè, victum & vestitum habent ex eleemosyna peregrinorum ad eos advenantium. Multùm etiam Venetorum liberalitas eos reficit. Nam, si verum est, quod sæpe numero audivi, singulæ (naves) quæ velo teguntur, portui Candiæ applicantes unum aureum Nummum sive Ducatum solvunt. Et hanc summam, quæ sine dubio magna est, Veneti Fratribus ibi manentibus tribuunt; & illi rursùs vel pecuniam, vel cambium, vel res usui necessarias suis Hierosolymitanis transmittunt. Plerique etiam Christiani Principes eos sumptibus refovent. Et sanè eo anno, quo ego ibi fui, Christianissimus Rex Franciæ Ludovicus quingentos eis ducatos per quendam Confratrem & consocium peregrinationis liberaliter direxerat.

Ætas Auctoris.

Eorum in Palæstina Monasteria.

Habent Jerosolymis Monasterium in Monte Sion, ubi sunt frequenter viginti Fratres DEO servientes. Habent etiam non procul Monasteriolum, ubi plerumque quinque aut sex DEO devotissimæ, ordinis eorum Moniales habitant. Præterea habent in Bethlehem Monasterium, ubi sex aut septem fratres tenere solent. Ampliùs habent in templo Sepulchri Domini duos Fratres, unum Sacerdotem, & alterum laicum, qui spatio unius mensis ibi constituuntur, & mutantur juxta ordinem vicis suæ. Illi verò duo Fratres Sepulchrum Domini custodiunt, officium canonicum peragunt, loca sancta ampullis illuminant, atque in munditia & decore conservant. His omnibus numeratis personis prædicti fratres de Monte Sion necessitatem omnem subministrant.

Insuper dicti fratres habent in custodia Capellam Beatæ Virginis Mariæ in Ecclesia Sepulchri Domini, & duo eorum fratres mansiunculam habent cum fonte salubri, In Monte Calvariæ habent Altare dextrum, in quo & sæpe celebrant; item & Altare inventionis sanctæ Crucis ipsi custodiunt, & ampullis illustrant. Habent etiam in Valle Josaphat Ecclesiam cum Sepulchro Beatissimæ Virginis Mariæ, in Bethania Sepulchrum Lazari, in Monte Oliveti locum Ascensionis Domini. Hæc omnia cum ingenti cura, sumptu, ac devotione custodiunt, visitant, ac conservant. Missas ibi & reliqua officia propter Saracenos ante lucem peragunt; reliquum omne diei tempus in peregrinatione consumunt, nunc ad sanctum Domini Sepulcbrum, nunc ad Montem Oliveti, ac Vallem Cedronam, Vallémque Josaphat: aliquando ad Bethaniam, nonnunquam Bethlehem, plerumque ad montana Judææ, & in desertum S. Joannis, ac in alia loca, urbi viciniora exeunt, ibique devotionem suam perficientes cum gratiarum actione Montem Sion repetunt.

Occupatio.

Vitæ discrimina.

Quamvis eorum vita etiàm Saracenis placeat, sitque Venerabilis: multa tamen à Saracenis, Judæis ac reliquis Christianis patiuntur incommoda. Nam præter id, quod Saracenos ad se venientes cibo reficere soleant, quódque Domino Hierosolymæ annua munera offerant, & Sol-

Soldano etiam ipsi mille, ùt audivi, ducatos pendant, inter hæc tamen nulla bora est vel momentum, quo sibi vitæ securitatem polliceri possint.

& in omnes charitas. Hi fratres peregrinis ad se venientibus omnem exhibent humanitatem, consilium, hospitalitatem. Insuper quid facto opus sit, quid sit declinandum, cum fide edocent: loca sancta demonstrant, ac ad illa conducunt. Sine ipsis nec loca ipsa sciri possent, nec sine eorum opera adiri.

CAP. XVI.

Mores Græcorum. G*Ræci* sunt de primitiva Ecclesia, quondam Romanæ Ecclesiæ obedientes, nunc omnino adversi, nec Papam curant, nec ecclesiasticas censuras. Eorum Clerici in majoribus Ordinibus ducunt uxores, nedum singulas, verùm & binas & ternas. Barbas protensas nutriunt, imberbes sacerdotio arcent. Sabbatum, ùt Judæi, multùm observant, nec in eo ab esu carnium abstinent; præterquàm in Sabbato Paschæ in quo jejunant.

Infantes illicò post baptismum confirmant, & eis sub utraque specie sacramentum porrigunt. In pane fermentato Sacramentum conficiunt, conficientes, aquam vino non miscent: Sacramento per nos confecto nullam reverentiam exhibent; sed neque nos in locis suis, tanquam excommunicatos celebrare permittunt. Si verò ex ardua quavis causa permiserint, continuò locum illum, tanquam sacrificio nostro contaminatum, abluunt. *Hæresis,* Inter alia, quæ erroneè admittunt, dicunt Spiritum Sanctum à solo Patre procedere, & alia, quæ causa brevitatis omitto.

Inter omnes Orientales Christianos, plùs nobis adversantur, ita ut habeant Proverbium. - - - - *Latini canes.* *odium Latinorum* Habent in templo sepulchri Domini Chorum Ecclesiæ, in quo officia sua suo more peragunt. Item locum Montis Calvariæ, ubi *& loca sacra.* crucifixus est Dominus. Item Capellam, ubi Christus Dominus ligatus sedit, dum Crux appararetur. Extra templum sepulchri habent Capellam SS. Angelorum, quæ omnia & custodiis observant & ampullis illuminant.

Surianorum seu Syrianorum *Suriani* sunt, qui provinciam Syriam incolunt, sub fœdo Saracenorum jugo degentes. Genus hominum meticulosum, fallax & leve, Christianorum ad Saracenos delatores; ex convictu Saracenis consimiles. *rum, ingenia, errores &c.* Ritus ac errores omnes Græcorum amplectuntur. Habent in templo sepulchri Domini Capellam Sanctæ Helenæ: extra templum habent Domum Mariæ Matris Joannis, ad quam Petrus de carcere liberatus venit pulsans, Utuntur in negotiis suis lingua Saracenica, in sacris verò Græca.

Georgiani *Georgiani* sunt populi Orientales, fortes ac bellicosi, virorum pugnantium numero abundantes, à Sancto Georgio sic dicti, quo Patrono ac vexillifero utuntur, magnam ei exhibentes reverentiam. Eorum dominium ad Caspios usque montes protendi tradunt. Hi populi, quamvis undique Saracenis septi sunt, neminem tamen formidant, sed ipsi potiùs formidantur. Et quoties Hierosolymam peregrinantes veniunt, semper aperto Marte, signísque erectis, sine ullo tributo aut molestia, liberi intrant. Eorum fœminæ nobiliores more Amazonum arma tractant: Viri Capillos ac barbam nunquam deponunt: pileos diversi coloris gestant; in omnibus articulis Græcorum sequuntur errores: eorum Clerici habent coronas rotundas, laici quadratas. Habent in templo Capellam Sanctæ Crucis inventionis cum tribus ampullis. Habent etiam Montem Calvariæ. Præterea habent in Monte Sion Ecclesiam Sanctorum Angelorum, quæ fuit olim Domus Annæ Pontificis. Utuntur in Sacris lingua Græca in negotiis verò Saracenica vel Chaldaica.

Secta Jacobitarum. *Jacobitæ* sunt populi Asiæ, cujus magnam partem inhabitant, & majorem Æthiopiæ usque in Indiam superiorem, adeò, ut quadraginta dicantur occupare regna. Hi primùm à Sancto Matthæo Apostolo ad fidem conversi, post à Jacobo quodam Hæresiarcha erroribus sunt implicati. Gestant in frontibus vel in brachiis cruces ferro inustas ob Crucis, ùt ajunt, amorem, & ob discrimen inter se & Saracenos. Peccata non nisi soli DEO occultè, confitentur. Ponunt nempe thura foco, & orantes credunt preces suas cum fumo conscendere, atque ita à peccato purgari. Cruces faciunt digito uno ad innuendum, quòd unam tantùm in Christo credant naturam. Infantibus ad ubera matrum pendentibus Sacramentum porrigunt. Habent in templo Capellam, quæ se-

sepulchro Domini in dorso cohæret. Præter hanc, est locum, in quo Christus Dominus de cruce depositus, à suis unctus est aromatibus.

Indi, seu Abyssini. *Indiani* sive *Abassini* populi sunt ex dominio præpotentis illius Regis, quem nos Presbyterum Joannem dicimus, quæ natio per Sanctum Thomam Apostolum ad Christum conversa est. Isti Indiani nigerrimi sunt, Æthiopibus persimiles, ad peregrinationes locorum sanctorum inclinati, in orationibus ac sacrificiis admodùm devoti. Paupertatem valdè zelantes, etiam inter divitias multùm voluptates abhorrent. Omnes tam viri quàm fœminæ Blaveo amictu capita operiunt, vestes coloratas ac lineis quibusdam distinctas portant. Humiles gestu nudis incedunt pedibus. Circumcisionem observant: Cruces pueris inurunt in fronte, naso, aut maxillis; per quam rem peccatum originale se expiare credunt. In pane fermentato conficiunt Sacramentum: sub utraque specie tam pueris quàm adultis ministrant. In solemnitatibus, maximè Paschæ, Viri ac fœminæ simul conveniunt; tympanis, Cytharis, aliisque instrumentis personant: vocibúsque clamosis & cantu dissono perstrepunt, ad plausum magnuum Choreas ducunt, ac totam noctem, usque dum lucescat, adeò affectuosè, imò laboriosè saltando tripudiant, ut sæpenumerò debilitatem & malam valetudinem incurrant. Habent in templo Capellam, in qua est lapis, super quo Dominus JESUS coronatus sedit. Sacramento per nos confecto, & nobis magnam reverentiam exhibent, ac proinde permittuntur celebrare in sacro Domini sepulchro. Utuntur lingua & literis propriis. Notûnt tamen etiam linguam Saracenicam, quâ & utuntur, dùm volunt.

CAP. XVII.

Armenorum ritus & instituta. ARmeni sunt dicti ab Armenica provincia, nobis in ritu fidei non multùm dissimiles. Habent enim Episcopum, quem *Catholicon* dicunt, cui, ut nos Romano Pontifici, obedientiam humilem exhibent. Græcis sunt maximè adversi. Quadragesimæ jejunium eodem, quo nos, tempore observant, verùm & laborè & diligentia majori quàm nos. Neque enim solùm carnibus abstinent, sed etiam caseo, ovis, lacte, oleo, ac piscibus & vino. Fructus tamen ac pulmenta, quoties vel necessitas vel voluntas tulerit, comedunt. Et quoniam Græcis ac Saracenis maximè adversantur, in eorum contemptum nonnunquam sextis feriis carnes manducant. In officiis Missæ sunt nobis persimiles, nempe Calice, patena, ac reliquo ornatu more nostro utuntur. Solent etiam habere Episcopum Hierosolymis, qui duas crinium tricas sive Cincinnos ad usque humeros diffluentes nutrit: reliquo capite rasus est. Armeni nostris Sacramentis & Ecclesiis magnam ostendunt reverentiam, offerentes tapetia, ornatus sericos & aureos, & alia, quæ ad decorem spectant ecclesiarum, id quod ego sæpenumero nedum in locis illis, sed etiam in Polonia, Russia, & Polodonia ab eis fieri vidi, & sæpiùs audivi. Magnus enim numerus eorum ad illas partes cum diversis confluit mercibus.

Habent in templo habitationem quandam in sublimi penes Indianos: & ut fertur, habuerunt olim Montem Calvariæ, sed anteacto tempore Rex Georgianorum tanta obtulit Soldano munera, quòd ipse Soldanus Montem Calvariæ Armenis adeemptum dederit Georgianis. Habent insuper egregiam Sancti Jacobi Majoris Basilicam in eo exstructam loco, ubi ipse Beatissimus Apostolus ab Herode decollatus est. Habent etiam Ecclesiam in Monte Sion, quæ Sancti Salvatoris dicitur, quo in loco erat quondam Domus Caiphæ, in qua Christus Dominus est consputus, velatus, colaphis alapísque cæsus, à Petro negatus, multísque probris & incommodis affectus. *Domus Caiphæ.* In eadem Ecclesia est lapis ille magnus valde, qui advolutus erat ad sepulchrum Domini. Hic etiam est locus quidam strictus & ater, qui fuit olim carcer, in quo Dominus JEsus aliquamdiu nocte illa fertur sedisse reclusus. Ante hujus Ecclesiæ fores est atrium illud, in quo Ministri pontificis ad prunas sedentes calefaciebant se, inter quos Petrus existens Christum Dominum & Magistrum suum negabat. Supra hoc Monstratur locus, ubi gallus trino cantu negationem Petri arguit.

Tonsura Armenorum in modum crucis cur? Porrò omnes Armeni laici tondent capita sua in modum crucis ex hac causa. Ferunt eos quondam magnis & belli & pestis turbinibus implicatos, à quibusdam Chri-

stia-

stianis id responsi & consilii accepisse, ut in quo capita sua in mndum crucis conderent. Quod, cùm fecissent, ab utroque liberatos evasisse periculo. In cujus rei gratam memoriam, morem hunc condendi hactenûs observâsse. Utuntur autem tam Clerus, quàm laici lingua & literis propriis.

Nestoriani. Præter istos sunt alii, qui *Nestoriani* dicuntur à Nestorio quodam hæretico, qui magnam Orientis partem suo errore infecit. Erat ipse Episcopus Constantinopolitanus, qui in tantum vesaniæ processit, ut Christum, purum hominem fuisse asseret. Istorum ergo Clerici in fermentato conficiunt, Græcos sequentes: porrigúntque Sacramentum infantibus æque ac adultis. Nescio saoè, utrum aliquem locum Sanctum babeant, vel in templo, vel in Civitate.

Maronitæ. Sunt insuper alii, qui *Maronitarum* vocabulo dicuntur. Isti accolunt regionem circa Montem Libanum, haud procul à Tripoli. Illi Credebant quondam unam tantùm in Christo voluntatem ac operationem, seducti à quodam Marone hæretico: postea verò ad unitatem Ecclesiæ rereducti hæresi n illam abdicârunt. Nunc quoque contra omnium, quæ dictæ sunt, sectarum ritus, nobiscum sentiunt: Campanis utuntur; hostiis talibus, ut & nos, consecrant, & in cæteris Sacramentis nos similant. Sunt verò subditi Patriarchæ Antiocheno, qui inter eos non procul à Tripoli moratur quem ab Ecclesia Romana tradunt approbatum.

CAP. XVIII.

Montana Judææ. DIe XXVIII. Novembris, mane ex templo emissi ascendimus in Montem Sion ad refectionem. Qua sumpta, exivimus cum sex fratribus & uno asino in montana Judææ. Inprimis ergo extra civitatem egressis obtulit se lapis quidam juxta viam, in quo ferunt Dominum JEsum lassum sæpius resedisse. Ab hinc paulùm progressi vidimus ad lævam Monasterium, cujus Abbas transfuga fidei factus, ibidem postmodùm sepultus est. Hinc per colles valesque clivosis procedentes venimus ad Monasterium, quod Græci Callogeri, id est, Monachi inhabitant. Ibi in Ecclesia sub altari majori vidimus foramen, in quo fertur Crux Domini & nata & adulta. Crucem dico arborem, unde Crux facta est. *Arbor crucis Domini ubi nata.* Monstrata est nobis insuper manus cum brachio Sanctæ Barbaræ Virg. & Mart. In hac Ecclesia habetur indulgentia septennis & totidem carenarum.

Hortus Conclusus Salomonis. Circa hoc Monasterium est olivetum, in quo olim asseritur fuisse nominatus ille Salomonis Regis *hortus conclusus*. Recedentes ab hinc perreximus viam spinosis arbustis obsitam, in qua colles ac valles sibi vicissim succedentes, scabritie simul ac spinositate molestum viatoribus iter efficiunt. Demum pervenimus ad pagum quendam, vix duas aut tres casas habentem, ibique intravimus stabulum pecorum, & ruinis & immunditia plenum. Hìc dicunt natum esse Sanctissimum Præcursorem Domini, Joannem baptistam. Hìc indulgentia plenaria. *Locus Nativit. S. Jo. Bapt.*

Domus S. Zachariæ. In proximo est fons Zachariæ, supra quem versùs meridianum ad lævam est domus Zachariæ, ubi Beatissima Virgo Maria post Angelicam salutationem intravit, & salutavit Elisabeth. Ac de tantis perceptis beneficiis gratias DEO referens, dulce illud ac Mariale canticum: *Magnificat anima mea Dominum*, decantavit. Luc. 2. Hìc babentur septem anni & totidem carenæ. In superiori parte hujus Domus est capella quædam semiruta, ubi quondam Zacharias repletus Spiritu Sancto, prophetavit, dicens: *Benedictus Dominus DEus Israël &c.* Et hìc habentur indulgentiæ, ut supra.

Desertum & antrũ S. Jo. Bapt. Inde versùs occidentem progressi venimus in desertum Sancti Joannis Baptistæ; vidimúsque antrum, & tandem intravimus speluncam, in qua ipse teneris sub annis civium turmas fugiens habitavit, ac de fonte, qui sub ore hujus antri ebullit, sitim suam restrinxit. Porrò antrum illud totum est in rupe cava, nescio an arte excisum, an sic natura exstructum, habens in colles vallésque circumiacentes vastum permanentémq; prospectum. Et hìc indulgentia, quæ & supra.

Ex hoc loco ad anstralem plagam profecti habuimus quendam arduum & difficilem montem: quo superato, descendimus ad fontem illum, ubi, ùt habetur Actor. 8. Philippus Baptizavit Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopem. Hìc etiam indulgentia quæ & suprà.

Su-

Sicelag. *Becech.*

Supra hunc locum visuntur in colle saris alto ruinæ *Sicelech* Civitatis, quam Achis Rex Geth dedit David ad se profugo ad inhabitandum. 1. Reg. 27. Inde venimus ad vallem quandam peramœnam, viribus quidem, sed non satis accuratè consitam. Ac inde pervenimus ad quoddam Olivetum, supra quod ad dexteram vidimus Becech villam, olim castellum, ubi vina nascebantur in ea regione præcipua. In hoc loco, ùt habetur Judic. 1. Judas Dux filiorum Israël occidit decem millia virorum, & comprehendit Regem Abdonibezech, cæsis summitatibus manuum ejus & pedum. Qui Adonibezech habebat sub mensa sua septuaginta Reges, quibus manuum & pedum amputaverat summitates, colligebántque sub mensa ejus micas ac ciborum reliquias.

CAP. XIX.

Monasterium S. Hieronymi. *Bethlehem, quondam Ephrata.*

Post hæc quia Sol declinaverat, rapido cursu Bethlehem properantes, dimisimus in ipso pene itinere *Monasterium* quoddam desolatum, quod *sancti Hieronymi* titulo decoratum quondam fuit. Atque ita nocte tenebrescente contigimus *Bethlehem*, atque in Monasterio fratrum recepti pernoctavimus. At verò Bethlehem, Civitas olim David, hodie permodicus est viculus in sorte tribus Juda sexto ab Hierosolymis milliario, contra meridionalem plagam juxta viam, quæ ducit Hebron. Situs ejus est in monte alto sed angusto, cujus longitudo ab Oriente in occasum porrigitur, introitum habens ab Occidente. Hæc prius *Ephrata* dicta est, sed post hoc ob frugum exundantiam *Bethleem*, id est, *Domus panis* dicta est. Secundùm verò Saracenæ linguæ proprietatem Bethleem dicitur quasi *domus carnis*. *Beth* namque domus, *Lahem*, caro, apud eos dicitur. Et hoc non incongruè. Ibi enim *Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis*. Joan. 1.

Ejus situs. *Etymon vocis.*

** Cap. 4.*

Die XXIX. Nov. manè consurgentes audivimus Missam ad S. Hieronymi primam Sepulturam, cujus suprà * mentio facta est. Dehinc sumptâ refectione perreximus ad visitandum loca sancta circumjacentia. Et primo ad Orientalem partem descendendo, ferè quantum est jactus lapidis, sunt ruinæ Ecclesiæ sanctæ

A. Paulæ & Eustochii filiæ ejus, ubi etiam erat Sepultura earundem. Erat etiam hic olim Hospitale & diversorium pro peregrinis, ab eadem exstructum. Amplius inde est semirutum Sacellum Beatæ Virginis Mariæ in eo loco ædificatum, ubi olim erat *Turris gregis*, cujus supra * feci mentionem. Circa hunc locum, ùt habetur Luc. 2. Pastores erant super gregem suum vigilantes; quibus Angelus Domini apparuit dicens: *Ecce annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator &c.* Hoc verò Sacellum licet totum ferè collapsum sit, asserunt tamen, Saracenos ne unum quidem lapidem ex eo auferre audere sine ipsorum notabili periculo. Insuper tradunt pecora loco nequaquam appropinquare. Hic habetur indulg. septennis cùm totidem Carenis.

Ecclesia S. Paulæ & Eustochii. ** Cap. 5.* *Locus Pastorum in Nativit. Domini.*

Haud procul inde est olivetum, ubi, ùt est Lucæ 2. Subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium DEUM & dicentium: *Gloria in Altissimis DEO &c.* Qua in re nos quoque sanctos Angelos imitati cecinimus hoc ipsum canticum cum cordis & oris jubilo Domino gratias agentes.

C. In proximo hujus est locus, ubi David Goliam in funda prostravit. 1. Reg. 17. Illic etiam ostenditur *Ager Booz*, de quo legitur Ruth 2. Ab hinc versùs Orientem sex milliaribus ostensa est nobis *Thecua*. Indè Amos Propheta, qui etiam ibidem ab Ozia vecte transfixus occubuit.

Ager Booz. *Thecua.*

His ita visis Bethlehem rursus repetimus, venimúsque primùm ad Monasterium sancti Nicolai titulo insignitum, quod vix jactu lapidis ab Ecclesia Bethleemitica recedit, ac hodie totum est desolatum. Superest tamen ibi antrum quoddam, & D. introitum perangustum & ipsum sui spatium non admodùm patulum habens. In hoc antro, ùt legitur in Legenda trium Regum, quæ Coloniæ habetur, post recessum Regum tumultus populi factus est ad Mariam & puerum JESUM propter . . . . . . Ideo Maria timens periculum pueri fugit latenter ad domum cujusdam pauperis, qui eam cum puerulo occultè in Cellarium istud prædictum recepit. Ubi Maria supra lapidem sedit, puerumque lactavit: & cecidit gutta lactis Virginei super lapidem istum, quod usque hodie,

Monast. S. Nicol. *Lac B. Mariæ Virg.*

hodie, quò plus tangitur, eò candidius efficitur. Proinde & à Saracenis & à peregrinis multum de terra ejus exportatur, ac prægnantibus lactantibusque fœminis in potum data, lactis eis præbet exuberantiam. Tulimus nempe & nos de hac terra sacculum plenum, & cum diligentia nobiscum portavimus. In hoc Monasterio, ùt in Vitis Patrum legitur, sanctus Abbas Pinufrius causâ humilitatis conservandæ ex Monasterio suo fugiens dum aliquamdiu latitaret, tandem à suis repertus, agnitus, & ad propria, licèt invitus, reductus est. Reliquum diei hujus noctémque insequentem in Bethleemitico Monasterio egimus, loca illa sanctissima, quorum priùs memini, visitando, adorando, jocalibúsque ea nostris contrectando.

CAP. XX.

Reditus Hierosolymam.

Die trigesima Novembris ante lucem Missâ auditâ Hierosolymam repedantes, visitare cœpimus loca sancta in Monte Sion hinc inde dispersa. Et primo venimus ad locum, ubi Judæi volebant rapere Sacratissimum Mariæ Virginis Corpus, dum ad Sepulturam efferretur: de quo loco priùs * dictum est. Inde venimus ad locum, ubi Petrus post negationem flevit amarè: & hujus loci mentio facta est suprà.

** Cap. 8.*

Ecclesia SS. Angelorum, Domus Annæ Pontif.

De hinc intravimus Ecclesiam sanctorum Angelorum in eo erectam loco, ubi olim fuit Domus Annæ Pontificis, in quo loco Dominus JEsus ex Monte Oliveti adductus, multa pertulit incommoda, præsertimque Colaphum à Servo Pontificis. Post hoc venimus in aliam Ecclesiam ad sanctum Salvatorem dictam, in quo loco erat olim Domus Cayphæ Pontificis. Quid verò in hoc loco actum sit, dictum est supra, * dùm Armeniorum ritus moresque describerentur.

Ecclesia Salvatoris, Domus Caypha.

** Cap. 17.*

Ex hac domo exeuntes venimus ad aciem sive angulum ejusdem domus, ubi ferunt Beatissimam Virginem Mariam auscultantem stetisse, dum Petrus post negationem exiret lachrymans: ab eoque de filio suo quid ageretur, quæsivisse. Qui quoniam præ lachrymis & pudore nihil ei respondisset, Beatam Virginem tamdiu illic tradunt perstitisse, donec filium suum videret exeuntem, quem procul dubio dolorosa Mater indè creditur consecuta.

Locus dormitionis B. Mariæ

Ampliùs venimus in locum lapidibus temerè obseptum, ubi Beatissima Virgo Maria post desideratissimi filii sui passionem, Resurrectionem atque Ascensionem quatuordecim annis habitavit. Ibique carnis onere soluta è sæculo migravit. Hìc habetur plenaria indulgentia. Circa hoc est locus, quondam Capella, in qua ferunt Beatum Joannem Virgini gloriosæ Missam celebrâsse. Hìc indulgentia habetur septennis cum tot Carenis.

Locus electionis S. Mathia.

Haud procul inde versùs Monasterium est locus sub rubro signatus lapide, ubi sors Apostolatus cecidit super Mathiam. Hìc habetur indulgentia, quæ in proximo. Adhuc propiùs Monasterio sub gradibus, qui ducunt in Ecclesiam Monasterii, fuit olim Oratorium Beatissimæ Virginis Mariæ, ubi ipsa quotidianas, juges, ac DEO gratas offerebat Orationes, quarum ipsa nos faciat participes! Et hìc indulgentia, quæ & in proximo.

Oratorium S. Mariæ V.

In eodem fermè loco visuntur duo lapides, super quorum uno tradunt Christum Dominum sedentem Discipulos docuisse: super altero Virginem gloriosam verbis ejus diligenter intendisse. Hìc etiam indulgentia, ut in proximo.

Sepulchra Regum Israël & Prophetar.

Ampliùs sub Ecclesia Monasterii sunt Sepulturæ David, Salomonis, aliorumque Regum Israël & Prophetarum. Quem locum Saraceni in maxima tenent reverentia, neminem illuc, nec Christianum nec Judæum, admittentes. Quod, an faciant ex devotione, an propter thesauros, quos ibi reconditos putant, nescio. Hic tamen etiam habetur indulgentia, quæ & in proximo.

Locus inventionis S. Stephani.

Ad sinistrum hujus est locus candido signatus lapide, ubi sanctus Proto-Martyr Stephanus primò translatus est sub septimo Honorii Principis anno. Nam primò Sepultus erat cum Gamaliele, Nicodemo & Abiba filio Gamalielis in villa Gaphargamala, quæ distabat ab Jerosolymis viceno secundo lapide. Hìc est indulgentia quæ supra.

Locus Divisionis Apostolor.

Paululùm ab hinc est locus Divisionis Apostolorum, grandi signatus lapide, ex quo ego postea Hierosolymis discessurus mulum conscendi. Et hic indulgentia, ùt supra.

Locus assati Agni Paschalis.

Huic loco contiguum est cameratum quoddam ædificium, in quo tradunt assatum esse Agnum Paschalem Domino & Disci-

Discipulis ejus. Propè hoc est exiguum A. quoddam Monasterium, quod ab Indianis exstructum inhabitatur. In eo est crypta ipsa quædam tenebris ac squallore horrida, ac in pluribus locis ruinosa: descensus verò in eam per novendecim gradus est strictus admodum & periculosus. Hic est locus, in quo David post adulterii homicidiique patrata peccata pœnitentiam egit. Hic in quodam angusto sedili sedens septem Psalmos, qui pœnitentiales dicuntur, contexuit. Quem & nos imitati singillatim eosdem ibidem persolvimus Psalmos. Et hic indulg. quæ & in proximo.

Locus pœnitentiæ Davidis.

Reversi postea in Monasterium, intravimus Ecclesiam, quæ est in eo exstructa loco, ubi olim erat Cœnaculum illud grande stratum, cujus Dominus eo tempore fertur fuisse Nicodemus, occultus JEsu discipulus. Porro Altare majus est in eo loco, ubi Dominus JEsus ultimam cum Discipulis suis cœnam manducavit, ibique Sacramentum Corporis & Sanguinis sui Sacratissimi eisdem dedit atque instituit. Hic habetur plenaria indulgentia.

Cœnaculum grande ultimæ Christi Cœnæ.

Ad hujus dexteram est Altare, ubi Dominus JEsus humilitatis ac totius Virtutis C. Magister pedes Discipulorum suorum lavit. Et hic est indulgentia septennis cum totidem Carenis.

Extra Chorum Ecclesiæ in eodem Cœnaculo supra Sepulturam David, Salomonis & aliorum Regum est locus ille, ubi in die Pentecostes Spiritus sanctus in linguis igneis missus apparuit, Discipulósque calore verbi complevit. Hic habetur plenaria indulgentia.

Locus apparit. S. Spiritus in Pentecost.

Sub Ecclesia in Refectorium eundo, ad lævam est modica capella, in qua erant Discipuli congregati propter metum Judæorum. Ad quos veniens JEsus januis D. clausis dixit eis: *Pax vobis*. Et post dies octo idem faciens dixit Thomæ: *Infer digitum tuum huc & vide &c.* Hic antiquitùs habebantur tantum septem anni indulgentiarum cum totidem Carenis: sed, ut ego certa fratrum relatione didici, Sixtus Papa concessit hic plenariam indulgentiam.

Ampliùs in Refectorium intrando est Fons David, de quo etiam Christum Dominum cum suis tradunt in cœna bibisse.

Fons David.

CAP. XXI.

Die Decembris prima mansimus in Monasterio, necessaria nobis disponentes. Posterà verò die, duabus fere ante Solis exortum horis consurgentes perreximus versus Jordanem. Comitati sunt autem nos omnes penè Monasterii fratres, numeri novendecim. Ductor verò & protector nobis erat quidam Juvenis Saracenus cum uno Servo. Venimus ergo primò Bethaniam, quam prætergressi, appulsi sumus ad fontem quendam, si benè memini, Solis nuncupatum. B. Ibi mulis adaquatis processimus itinere octo milliarium, & venimus ad ruinas Adomyn, quæ sita erat in confinio Judæ & Benjamin. Hic, ùt habetur Lucæ 10. Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Jericho; & incidit in latrones &c. Estque ibi Castellum in via situm ad lævam euntibus propter auxilia viatorum. Hujus sanguinarii & cruenti loci terra juste vulgò *Terra rossa*; id est, terra rubea dicebatur. Ibi etiam est locus, ubi Beatissimus Patriarcha Joachim, sanctæ Annæ Maritus; posteàquam ab Abiathar Pontifice, tanquam maledictus in lege, quia sterilis, esset cum oblatione sua repulsus, domum redire propter ruborem nolens, cum pastoribus suis tamdiu mansit, donec Angelico monitu ad propria redire juberetur.

Iter ad Jordanem.

Bethania.

Adomyn.

Ab hinc per Montes & Valles petrosas valdéque periculosas ob scabritiem aliquamdiu perreximus. Postquam verò ad descensum montium illorum venissemus, habuimus ad lævam locum illum, ubi cœcus sedebat secus viam &c. Marci 10. Delati autem in vallem refleximus ad lævam à Jericho, ac non multo post venimus sub montem Quarentanam. Ubi quà hactenus eramus jejunii, consedimus humi inter fruteta propter rivum, radicem montis illius radentem, prolatóque in medium cibo refecti sumus, fontem utraque manu potantes. Hic fons juxta veterem Hiericho scaturiens, quam Josue, Rege illius interfecto, subvertit, non solùm terræ arborúmque fructus sed & fœminarum partus obtundere solitus perhibetur, certóque pariter morbo ac peste corrumpere. Sed cum Elisæus Propheta misso in ipsum sale, ab omni ejusmodi corruptione & purgavit, & salubrem

Mons Quarentana.

Fons Elisei.

brem insuper reddidit. Ibi itaque Mulis ad arbusta ligatis, montem Quarentanam conscendimus.

Calebat verò tunc Phœbus vehementer, nobísque ascensu præcipiti laborantibus augebat laborem. Fiebat nempe, ut super lapides minutos temerè hinc inde jacentes reptando, sæpenumero unà cum congerie lapidum longiùs delaberemur. In quibus casibus rara pars corporis lapidum scabritiem evadebat. Sed quia labor improbus omnia vincit, fœdúmque nobis videbatur in monte isto succumbere, qui priùs Oreb & Sinai, longè isto & altiores & difficiliores superavimus, animo confortati ad medium Montis venimus. Ibi in rupe, sive ab arte, sive à natura, est Capella quædam semiruta, ubi Dominus noster JEsus Christus jejunavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Super hoc est alia, sed angustior spelunca, in qua etiam Christum Dominum jejunantem tradunt mansitâsse. Ab hine quoniam reliquus mons & difficilior & periculosior videbatur, cæteri Comites à nobis defecerunt, ex quibus tantùm tres robustiores nobis adhæserunt: reliqui ad mulas redeuntes, nostrum regressum præstolabantur. Nos itaque, sex tantùm numero, cum labore & difficultate, DEO adjutore, tandem in summum montis cacumen evasimus, atque ibi frigidiuscula aura afflati, recreati, ac confirmati repausavimus. In hunc autem locum tradit sanctum Evangelium, Christum Dominum à diabolo assumptum fuisse atque tentatum. Et in hoc & in priori loco est plenaria indulgentia.

Specus Christi jejunantis.

Locus, ubi Christus à Diabolo tentatur.

Ex hoc monte vidimus situs ac ruinas Civitatum & locorum, videlicet Galgala versùs orientem, ubi filii Israël transmisso Jordane castra habuerunt. Illic etiam sunt secundò circumcisi à Josue. Vidimus etiam ruinas Hay & Bethel & aliarum quarundam Civitatum.

Galgala.

Hay, & Bethel.

Rursus de Monte illo Quarentana non sine labore descendentes, vel potiùs decidentes venimus ad Comites nostros. Cum quibus, sumpta refectione, profecti sumus versùs Hiericho per dumeta diversis arborum generibus condensa. Quarum quædam maturis fructibus onustæ erant, quos cùm quidam nostrûm, capti pulchritudine eorum, carpentes aperuissent, nihil in eis nisi vacuum cinerem favillámque quandam vaporosam repererunt. Inter arbores verò illas, plures volitabant aviculæ, & genere & colore nobis ignotæ, quæ cantu suo melodico aërem aurésque gratè mulcebant. Vidimus ibidem magnam quodammodo naturæ inesse contrarietatem. Nempè arbores quædam maturos gerebant fructus, quædam florere incipiebant, nonnullæ decussis floribus gemmatas fructuum baccas gestantes ad maturitatem adspirabant. Sub arboribus per totum illud nemus fons Helisæi leniter immurmurans, & temperamentum auræ, & crescentibus terræ præstabat nutrimentum.

CAP. XXII.

BRevi & post hoc venimus Hiericho, ibique in Domum quandam recepti pernoctavimus. Hanc Domum *Venerabilis Pater noster Ludolphus Carthusiensis.* In Libro Vitæ Christi dicit esse domum Meretricis Raab, quæ, ùt habetur Josue 2. exploratores Josue hospitio suscepit. Maneat veritas apud Authorem. Verùm, ut pace sua dixerim, omnes, qui nobiscum erant fratres, dicebant hanc esse domum Zachæi, qui, ut habetur Lucæ 19. Dominum nedum in materiali verum etiam Spirituali domo suscepit. Potest tamen esse, quod priùs domus Raab fuerit, sed postea Zachæi. Hic habetur indulgentia septennis & totidem Carenarum.

Hiericho.

Domus Raab, vel potiùs Domus Zachæi.

Cæterùm ex tanta olim urbe, sola hæc domus extat lapide secto in quadrum exstructa, habens in singulis angulis turres singulas, sed modicas; ipsa tota, quanta est, sine tecto solem imbremque recipit. Circum hanc sunt ferè duodecim tuguriola, si tamen ea hoc nomine dicere conveniat: nihil enim in eis ædificiorum apparet, nisi quòd sint sepibus altis & spinosis obsepta, habentia intus spatium amplum pro pecorum statione & reclusione: in medio verò habent tentoria, in quibus homines cum supellectili solem imbremque declinant.

Porro Hiericho, ùt ait B. Hieronymus, in medio magnæ vallis versùs mare mortuum sita, à Josue primùm subversa est: pro qua exstruit aliam Oza de Bethel ex tribu Ephraim, quam Dominus noster atque Salvator sua vel prædicatione vel præsentia illustrare dignatus est. Sed hæc

Triplex Hiericho.

hæc eo tempore, quo Jerusalem oppugnabatur à Romanis, propter perfidiam Civium capta est atque excisa. Pro qua & tertia ædificata est; quæ etiam hodie omnino eradicata est, adeò, ut vix ejus aliqua supersint vestigia. Sita verò erat in planitie campi, qui inter montes à Septentrione ad meridiem vergens à mari mortuo excipitur. Habet autem iste, ut testatur Josephus de bello Judaico lib. 5. cap. 8. ducentorum triginta stadiorum longitudinem, latitudo verò est centum, mediúsque à Jordane dividitur, optimos olim paradysos ac densissimos producens, palmarúmque genera tam sapore quàm nominibus varia, quæ calcibus pressæ, plurimùm mellis emittunt, non multùm alio melle deteriùs. Quanquam & mellis altrix erat illa regio, & Opobalsami quondam ferax, qui omnium carissimus est fructus. Cujus fructus palmetum Cleopatra Ægypti Regina, potentia ac favore Antonii freta, in contemptum magni Herodis transplantavit in Cairum. Hanc regionem idem Josephus tantis effert laudibus, ut dicere non vereatur, eum, qui tractum illum divinum dixerit, non errare, cùm ibi largè & optimè nascerentur ea, quæ sunt optima. Sed nec in aliis cum ea fructibus, aliqua facile regio in toto orbe certaverit, adeò cum fœnore, quod satum fuerit, reddit.

Palma mellifera.

Fertilitas & temperies regionis Hierichuntinæ.

Tanta est autem cœli ejus temperies, ut, quo tempore in alia Judæa ningit, lino tamen illic Indigenæ vestiantur. Distat autem ab Hierosolymis . . stadiis, & ab Jordane sexaginta. Totum habet ad Jerosolymam spatium desertum atque saxosum: ad Jordanem verò & lacum Asphaltidem, id est, ad mare mortuum, licèt humilius, æquè tamen incultum ac sterile. Porrò vallem illam scriptura nominat *vallem illustrem* ob jam dictam nobilitatem: nominat etiam *vallem salinarum* propter sal, quod ibi extrahebatur. Hæc de Jericho & tractu ejus.

Vallis illustris & Salinarum.

Die tertia Decembris volentibus nobis ex compacto ad Jordanem pergere, Ductor noster restitit, dicens ad vada fluminis Arabes multos de industria consistere, nostrúmque in insidiis adventum præstolari. Quod, utrum ex composito, an ex amore, vel fortè propter donum aliquod extorquendum fecerit, nescio. Nos rogamus, eum pergere, nihil vereri. Sed perstante eo in sua sententia, nos etiam tam suspectum iter soli ire formidantes, versùs Jerosolymam, etiam sine eo, proficisci cœpimus. Vix dum quatuor stadiis ab Jericho processimus, à ductore nostro revocamur; reversi tempus terimus, reque infecta rursus abscedimus, minitantes nos eum Hierosolymæ Domino accusatores. Iterum ergo revocati redimus, tantum ea, quantùm & prima revocatione proficientes. Tandem verò irati abscedimus, non reversuri, etiamsi nos obsecraret. Ille videns obstinationem nostram, cum pluribus comitibus nos insecutus, inquit: *ad mare mortuum vobis ductor ero, si lubet, sequimini.*

Nos ne tantos labores sumptúsque frustra expendisse videremur, eum secuti ad mare mortuum perreximus. Inter eundum vidimus plagam illam horridam, quam divina severitas in Sodomitas exercuerat. Terra in circuitu, puteis quibusdam plena, tota cineri noviter elato simillima, nihil ferè viride gignit: sed tota exusta fulminibus conflagrâsse memoratur. Et licet cinerei sit coloris, sæpè tamen adustione quadam nigra conspergitur. Habet hiatus crebros & fissuras, in quas mulæ nostræ crebriùs impingentes, nos quoque proinde in terram excutientes, præbebant nobis materiam nunc etiam compatiendi. Pluebat verò tunc jugiter, quo fiebat, ut terra suapte natura fungosa & mollis, ubi quis desuper cecidisset, leviter cadenti cedebat: eúmque superius operiens, subtùs tenacitate sua constringebat, ac gremio complexa, ægrè se erigere patiebatur. Brevi pòst, pluvia durante, ad mare mortuum pervenimus, ibíque mulis ad rubeta alligatis ipsi in littus processimus. Ibi odor teterrimus, facies tristis ac ferè tartarea; littus arundinibus putridísque arboribus plenum; sapor aquæ & salsissimus & fellea quasi amaritudine stipticus, tristem nobis illam & horrendam DEI justitiam oculis ingerebant. Latiorem verò lacus ejus prospectum nimbus & vapidæ nebulæ auferebant.

Regio Sodoma.

Facies atra Maris mortui.

Porrò Maris hujus naturam & situm quis meliùs Josepho explicabit, qui de bello Judaico libro Quinto cap. 9. Sic de eo refert. *Lacus Asphaltides* (sic enim hoc mare nominant) *falsus quidem ac sterilis est; nimia verò levitate, etiam quæ gravissima sunt, in eum jacta referuntur:*

Ejus aquæ levitas &c.

tur: demergi autem quis in profundum, nec de industria quidem, facile potest. Vespasianus enim Imperator, qui ejus visendi gratia illuc venerat, jussit quondam natandi nescios, vinctis post terga manibus, in altum projici: & evenit omnibus, tanquam Spiritus sursùm impulsos desuper fluitare. Ad hæc mirabilis est coloris aquæ mutatio, quæ terræ in singulis diebus superficiem vertit, & solis radiis variata resplendet. Multis autem locis vomit nigras bituminis glebas, quæ super undam & habitu & magnitudine tauris sine capitibus assimiles natant. Ad eas autem cùm lacûs exercitatiores accesserint, nacti, quod egestum est, ad naves trahunt: & quia lentum est, repletas eas abrumpere nequeunt; sed quasi repleta scapha pendet à cumulo, donec menstruo mulieris sanguine atque urina solvatur. Est autem utile non modò ad compagines navium, sed ad corporum etiam curationem multis remediis admiscetur. Hujus lacûs longitudo est Quigentorum & octoginta stadiorum, qui à Zoara versus Arabiam tenditur: latitudò verò centum quinquaginta stadiis putatur. Eique Sodomorum terra vicina est, olim quidem tam fructibus quàm circumstantia Civitatum fortunata: nunc autem omnis exusta, ut quæ habitatorum impietate conflagrasse memoratur. Denique in ea adhuc reliquias ignis & oppidorum quinque videre licet imagines, & renascentes in fructibus cineres qui carpentium manibus in fumum & cinerem dissolvuntur. Hæc Josephus.

Bitumen.

Strabo verò lacum hunc * *Sirbonem* nominat, *circa quem & petras asperas exustásque ostendunt; & multis in locis prærupias, & terram cinerulentam, & picis guttas ex petris stillantes, & flumina fœtido ore effervescentia, & habitationes passim eversas, ut his fidem adhibeant, quæ ab indigenis prædicantur; quod in hoc loco tredecim urbes olim, quarum metropolis Sodoma adhuc LX. stadiorum ambitum servet.* H[illegible]ille.

* lib. XVI. Geogr.

CAP. XXIII.

AD Dexteram hujus laci est Civitas Segor desolata, ùt & cætera ferè omnia, pro qua, ùt habetur Genes. 19. Loch precatus est Angelum dicens: *est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, & salvabor in ea?* Et sequitur: *Sol egressus est super terram, & Loth ingressus est Segor.* Sub hoc oppido ferè medio itinere videtur usque hodie statua illa salis, in quam, uxorem Loth fuisse conversam idem, qui suprà, locus Geneseos ostendit.

Segor.

Statua Salis.

A mari mortuo versùs Hiericho redeuntes, venimus per vastam solitudinem ad Monasterium Sancti Hieronymi, quod est inter mare illud & Hiericho in valle illa grandi, vasta ac deserta, quæ æstatis tempore, ardore solis adeò incenditur, vitiosóque aëris tractu opprimitur, ut omnia circùm arida sint præter Jordanem & agros Hiericho, qui Elisæi fonte, ut prætactum est, irrigantur. In hoc quondam Monasterio gloriosus Hieronymus aliquamdiu habitavit, quod egregium quiddam fuisse & structura ipsa, & depictura, licèt utraque semiruta, declarat. Et hìc habentur septem anni & totidem Carenæ.

Monaster. S. Hieronymi.

Intra hoc ergo Monasterium per humile quoddam foramen irrepentes, aliquantisper propter pluviam substitimus, reficientes nos eo, quod nobiscum tuleramus.

Ab hinc licèt Jordanis vix quatuor milliaribus distaret, non valuimus tamen, nec prece nec minis, à ductore nostro extorquere, ut nos ad eum duxisset. Dumque ei duos ultra debitum Zeraphos dare polliceremur, annuit quidem; sed quia illico aurum habere volebat, nosq; tunc omnino auro vacui eramus, re infecta versùs Hiericho processimus. Proficientibus verò nobis, ad dexteram Jordanis fluenta se ostendebant, adeò ut clare viderimus ruinas Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ: ubi ipse morabatur prædicans, & baptizans in Jordane confitentes peccata sua Matth. 3. Ibi quoque est locus, ubi Dominus JEsus ab eo baptizatus est, & confestim ascendit de aqua, & ecce &c. Matth. 3. Et habetur hìc plenaria indulgentia.

Fl. Jordanes.

Ecclesia S. Jo. Bapt. ad Jordanem.

Ferè ibidem est passus ille Jordanis, quem filii Israël sicco pede transierunt Josue 3. Ibidem trans Jordanem est locus, ubi, ùt habetur libro Reg. 4. cap. 2. cùm Elias & Elisæus pergerent sermocinantes, tunc currus igneus & equi ignei diviserunt utrumque &c. Hæc omnia sub oculis nostris

stris sita erant, nec tamen illuc sine ducto- A. re pergere consultum erat. Brevi ergo in Domum Zachæi revertimur, toti pluviosi & usque ad cutem madidi, ubi igniculo utcunque congesto & nos & res nostras desiccavimus. Quamvis autem tunc Jordanem non attigissemus, aliàs tamen * per eundem trajicientes & bibimus ex eo & manus, pedes, caput & faciem abundè ex illo conspersimus. Ad hæc & in vasculo nobiscum usque in patriam sine omni foetore aut corruptione aquam attulimus.

** vid. Lib. 3. fol.*

Descriptio amplior Jordanis, ejusq; memoranda.

Libet ergo mihi præconia ac prærogativas fluvii hujus post dictam ejus originem B. altiùs repetere. Jordanis itaque fluvius, ut communis habet opinio, nascitur sub Monte Libano ex duobus fontibus, quorum unus *Jor*, alter *Dan* vocitantur. Verùm aliter de hoc meminit Josephus de bello Judaico lib. 3. cap. 30. ita inquiens: *Medius fons est in fluvio Jordane Panium nomine, qui terra conditus fertur ex ea, quæ vocatur Phiale. Hæc autem est, quà in traconitidem* (quæ & terra Hus dicitur) *ascenditur ad centesimum vigesimum stadium Cæsareæ, non longius in dextro itineris latere, & propriè quidem ex rotunditate Phiala dicitur lacus,* C. *rotæ speciem præferens. Semper autem intra ejus labra continetur unda, nunquam deficiens vel exuberans. Cumque interim hoc esse principium Jordanis nesciretur, à tetrarcha quondam traconitidis Philippo deprehensum est. Is namque missis in Phialem paleis invenit eas apud Panium redditas: unde ante nasci fluvius credebatur.* Hæc Josephus.

Hic fluvius inter cætera sua præconia, Judæos olim fideles à cæteris infidelibus distermiavit: & post multos circuitus juxta Hiericho in mare mortuum influit, & D. ibi absorbetur. Cessit filiis Israël cum arca Domini per se transeuntibus. Lepram Naaman Syri abluit & mundavit. Ferrum infundum abire prohibuit contra reliquarum naturam aquarum. Reg. 4. cap. 6. Præbuit testimonium sanctitatis Eliæ ac Elisæo: dum se primo ad tactum palli per manum ipsius Eliæ, secundo ad tactum pallii ejusdem per manus Elisæi divisit. Reg. 4. Super omnia autem, quia Dominus noster Jesus Christus in eo baptizatus per Sanctissimæ carnis contactum ipsum sanctificavit: ubi etiam vox paterna de cœlo audita est: & Spiritus Sanctus in specie columbæ super ipsum apparuit. Matth. 3. Et tantum de Jordane.

CAP. XXIV.

Die Quarta Hierosolymam reversi, mansimus in Monasterio: ac quoniam tempestas prohibebat, sola per montem Sion loca sancta visitavimus. Porro die sequenti ex simili causa idem fecimus.

Porta aurea Ierosolymis.

Sepultura Saracen.

Die sexta tribus ante solis exortum horis monasterium exeuntes eum silentio pedes ac Spiritum liberantes, descendimus versùs portam *auream* juxta urbis mœnia, atque inter excubantium vigilum clamores desuper, inter noctis opacæ horrores, inter denique imbrium molestias; studio pertinaci & certè audaci, illic advenimus. Nam interdiu id facere nec Christianis nec Judæis licet. Habent namque Saraceni illic sepulturas suas, quas nemini, non Mahometistæ, contingere impunè permittitur. Ibi ergo oratiunculis pro tempore persolutis descendimus in subjacentem vallem Josaphat: intravimusque Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis atque illic in sacro ejus sepulchro duas nobis Missas lectas audivimus. Quo peracto regressi sumus ad monasterium ante solis ortum. Post hæc, tempus pluviis ventisque conceptum, longiùs nos ab urbe procedere non permisit. Nihilominus tamen tempestates illas fervore devotionis superantes, ter montem oliveti cum locis adhærentibus, semel verò Bethaniam visitavimus.

Interim verò venit tempus templum Sepulchri Domini tertiò intrandi. Imus itaque ad Abrahim, jus nostrum expostulantes. Negat ille, ac diem differt: quo veniente rursùs dilationem nectit. Nos nequitiæ illius impatientes, accusationem ei intentamus. Qua audita per caput suum more gentis jurat, ne momento quidem amplius se dilaturum; si tantùm ei Zeraphum unum donaremus. Fit, & donamus, atq; nos eo die ad ingressum templi disponimus.

Die XII. Decembris hora Completorii Sanctum Domini sepulchrum intramus, ac ibi noctem illam fere sine somno in sanctis locis visitandis consumimus. Non enim am-

ampliùs nos illuc venturos sperabamus, postridie ad discessum nos apparaturi.

Eadem nocte Dominus Martinus Missâ in sepulchro Domini glorioso auditâ Equitis aurati insignia accepit.

Ubi verò dies illuxisset, aliquamdiu juxta morem, ut aperiretur, exspectavimus. Abrahim nempe nequam ac nummorum sitiens noverat; nos ad discessum festinare: proinde multa causabatur, quo nos adhuc aliis nummis exueteret. Qui tamen ad ultimum magis fratrum precibus victus, aperto templo nos suspirans emisit.

Die illa XIII. conduximus Mucrelum, qui nos Damascum conduceret & portaret. Sed quia Muli ejus *Baruthum* missi, nondum redierant, loca interim Sancta in vicino urbis posita sæpè numero visitavimus.

Baruthum.

Die XIV. & tribus sequentibus, quoniam Mucrelus omni momento mulorum reditum exspectabat, ne in mora fieremus, in Monasterio mansimus, cum molestia non parva, mulos jam jamque exspectantes, nosque ad discessum accingentes. Quam moram dum molestiùs ferremus, Die XVIII. ad loca nondum visa circa urbem egressi sumus. Per portam itaque judiciariam exeuntes, ac magnam urbis partem extra urbem ad Aquilonem girantes venimus in quandam vastam ac horridam speluncam, ex qua ferunt Salomonem & templum Domini extruendum ingentia saxa excudisse. Hoc verò antrum adeò amplum & profundum est, ut magnam Civitatis partem sustineat. Intus opacum ingens, vespertilionibus plenum, odore terrum, ac sine Duce perito atque lumine propter varios anfractus periculosum.

Exinde ampliùs Septentrionalem urbis partem obeuntes, vidimus ingentes quorundam magnificorum ædificiorum ruinas, quæ Sectis & eis prægrandibus erant firmata lapidibus, multa in eis tabulata, multi ordines, multæ ac mirabiles testudinum sinuositates se nobis offerentes, non parvâ nos percellebant admiratione.

Hierosolymitanorum Ædificiorum ruinæ ac rudera.

Ampliùs inde promoventes venimus ad portam S. Stephani, sub qua in Vallem Josaphat descendentes loca Sancta visitA.vimus, sicque tandem Montem Sion ascendimus.

Die XIX. quia nobis tempus supererat, Montem Oliveti ac Bethaniam visitavimus. Non enim semel nec bis loca illa Sanctissima vidisse satis erat: sed delectabat nos in eis immorari, oculósque simul & animum pascentes.

Die XX. ad fores Sepulchri sancti euntes, flexis illic poplitibus, humiliter adorantes procubimus; ac deinde loca Sancta per Civitatem visitavimus. Eodem die Dominus Hierosolymæ, qui illic Soldani vices gerit, comprehendit viginti B.octo grassatores, qui regionem illam latrociniis infestabant: quorum capita hastis infixa præ se ferri faciens, Civitatem triumphabundus intravit.

Die XXI. perreximus versus *Emmaus* cum tribus fratribus ac Saraceno quodam Duce. In eo loco nihil aliud memoratu dignum vidimus, nisi ruinas Ecclesiæ cujusdam in eo loco exstructæ, ubi, ùt habetur Lucæ ult. Dominus JEsus cum duobus discipulis ab Jerosolymis illuc euntibus intravit, ab eis coactus accepit panem, fregit, porrexítque illis: ad quod factum aperti sunt oculi eorum & cognoC.verunt eum. Ipse verò confestim evanuit ex oculis eorum. Et habentur ibi septem anni & totidem Carenæ indulgentiarum.

Emmaus, Nicopolis.

Erat hîc tempore Domini Castellum, seu potiùs vicus. Sed dum Romani vastâssent Hierosolymam, Judæamque vicissent, locum hunc amplhantes, & Civitatem insignem facientes, eam ab eventu Victoriæ *Nicopolim*, id est, Civitatem Victoriæ vocaverunt.

Ante hanc urbem in trivio (ubi Christus Dominus cum Cleopha & alio Discipulo noscitur ambulâsse, tanquam ad D.alium vicum iturus) est quidam fons, licet exiguus, tamen salutaris, in quo passiones hominum diluuntur, & alia pariter animalia diversis detenta languoribus emundantur. Quæ ut ita contingerent, traditur ex quodam itinere apparuisse Christum Dominum cum Discipulis suis & lavisse pedes, ex qua re aqua ipsa est diversarum medicina passionum.

CAP. XXV.

Haud procul inde versùs Hierosolymam repedantes, venimus in collem

lem quendam omnibus aliis excelsiorem, super quo sita erat *Ramathaym* de qua Samuel Propheta natus memorabatur. Vidimus & nos in Domo ejus (quæ usque hodie instar arcis fortissimæ superest) Sepulchrum ipsius, ubi & corpus ejus traditur quiescere. Nam nos idipsum à quodam Judæo ædium illarum custode audivimus: & ipsi vidimus multos circa illud, in magna habere illud veneratione; quod non frustra fieri credo. Divus tamen Hieronymus tradit ossa Samuelis ab Arcadio Augusto in Thraciam translata. Hunc locum sanctum Evangelium Arimathiam nominat, dicitque ex eo fuisse Joseph illum nobilem Decurionem, qui Christum Dominum à Pilato impetratum Sepulcbro suo condidit.

Ramathaim. *Domus & sepulchrũ Samuelis.* *Arimathia.*

Exinde vastissimus patet undique prospectus. Videtur enim hic Silo ubi arca testamenti quievisse legitur annis . . . Insuper & Gabaa Saulis, & ipsa quoque Hierosolyma exinde clarè cernitur, licèt decem fere ab hinc semota sit milliaribus. Eodem die Hierusalem regressi nusquam tunc & insequenti die pedem movimus partim ob aëris intemperiem, partim verò quia mulos ad discessum jam jamque adventuros sperabamus.

Silo. *Gabaa Saulis.*

Die XXIII. ultra consuetudinem peregrinorum intravimus templum sacri sepulchri quartò; non plus pro capite singulo quàm binos Maydinos custodi templi donantes, quod inde accidit. Venerat nempe negotiator quidam Italus ex Damasco loca sancta invisere & cum eo duo de ordine Minorum fratres. Atque ita evenit, ut dum illos templum intrantes ad fores usque prosequimur, misericordiam ab Abrahim, nescio unde, consecuti, in templum etiam ultro admissi fumus.

Die XXIV. in Vigilia natalis Domini cùm omnibus ferè fratribus profecti sumus in *Bethleem*, ibique in Crypta Nativitatis Domini vesperis devotissimis interfuimus. Nocte sacratissima sequenti surreximus ante noctis medium, atq; in eadem capella ternas, ùt eo die moris est, à tredecim sacerdotibus Missas audivimus, gratias agentes Domino, qui sua nativitate nos liberavit de diabolica potestate. Et credo, Divina nobiscum actum fuisse dispensatione, quòd muli nostri tam diu exspectati venire tardaverint, ut in loco & in die Nativitatis Dominicæ præsentes Sacrosanctis interessemus mysteriis.

Interim verò in superiori parte Ecclesiæ attollitur mirabilis, dissonus, ac tumultuosus clamor, sonitus, clangor, cantus & ululatus. Fiebat id à Græcis, Surianis, Georgitis, Armenis, Indianis, & à reliquis orientalium Christianorum sectis, quas supra enumeravi. Unaquæque pro suo more natio DEUM laudat, perstrepit cantibus, tubis & sistris intonat, adorat thure, unguentis odoriferísque aromatibus loca sancta perungit, contrectat, salutat, osculatur. Ad hæc mulierum Chorus à viris segregatus ad sonitum tympani Choreas agit, per totam Ecclesiam orbes sinuosos cum plausu manuum & jubilo facit, toto corporis mentisq; annisu tripudiat. Erant inter fœminas quædam aliis & cultu & forma præstantiores. Hæ tympana digitis arte quadam quatientes, reducebant nobis in memoriam Mariam Sororem Aaron. Quæ, ùt habetur Exod. 15. post submersum in mari Pharaonem cum exercitu suo sumpsit tympanum manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & Choris, quibus ipsa præcinebat dicens: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est; equum & ascensorem projecit in mare &c.*

Festum Nativit. D. N.I.C. quomodo in Bethlehem ab Orientalibus celebretur?

Die Sacratissimo Natalis Domini officio peracto vidimus in eadem Ecclesia Græcos & Surianos, baptizantes pueros suos, non, ùt apud nos fieri solet, noviter natos, sed jam grandiusculos & ferè anniculos, aut & bimulos.

Sumpta dehinc refectione, locis ibi sacratis valedicimus, nos & nostra recommendantes: sicque Hierosolymam regressi ad discessum nos accinximus. Sed quia muli nondum redierant, nocte illa iterum intravimus sepulchrum Domini cum supra memorato negotiatore Damasceno duobúsque fratribus, datis non plus quàm tribus Maydinis, ibíque loca illa sacratissima ultimo vale salutantes recommendavimus nos ac iter nostrum tam vastum ac periculosum in manus Altissimi.

Die XXVI. manè templo emissi visitavimus valedicentes omnia loca sancta, tam intra quàm extra Civitatem, frequentiùs ea respicientes, nec tamen aspectu eorum satiari valentes.

CAP.

CAP. XXVI.

Jerosolymæ amplior descriptio.

PORrò quoniam tanto tempore Hierosolymis demorati fumus, ejusq; situm crebriùs lustravimus, non absonum putavi describere, quæ quondam fuerit, quæ ejus facies, quis conditor, quis situs, quæ forma qualisque nunc videatur.

Jerosolymæ conditor Melchisedech.

Itaq; Hierosolyma, urbium orientis longè clarissima, de qua tam gloriosa in sacris scripturis dicuntur; Judæorum metropolis primum (ùt vult Josephus de bello Judaico lib 7.) conditorem habuit Chananæorum potentissimum, qui à patria lingua justus Rex est appellatus, & erat talis etiam, Melchisedech sacerdos DEI Altissimi. Hic sacerdotium DEO primus exhibuit Fano ædificato: *Solymam* Civitatem vocavit, cùm antea *Jebus*, posteà *Salem*, deinde *Jerusalem*, hinc *Hierosolyma*, aliquando *Bethel* & *Luza*, ultimo *Ælia*, diceretur: de quo extant isti versus:

Ejus varia nomina.

Solyma, Luza, Bethel, Hierosolyma, Jebus, Helia,
Urbs Sacra Jerusalem, dicitur atque Salem.

Incola & situs.

Quæ Civitas Chananæorum gentis usque ad tempora David Regis habitatio fuit annis quingentis quindecim. Ejus urbis situs ac munitio petrosa trino muro circumdata erat, nisi qua vallibus inviis cingebatur. Ex ea namque parte unius muri ambitum habebat. Quæ partes duæ erant, una ab Oriente, ubi erat templum Salomonis: altera à meridie, ubi erat Sion & Civitas David qui eam exstruxit & habitavit.

Hæc Civitas, ùt veraciter strabo libro XVI. meminit, interiùs aquis abundans, exteriùs verò fossàm omninò siccam habebat in lapide excisam quadraginta pedum profunditate, & latitudine ducentorum quinquaginta. Et ipsa quidem supra duos colles erat condita contrariis frontibus semet aspicientes, interveniente valle discretos. Quæ vallis in Sacra Sprìptura *Vorago* dicitur, circa quam implendam Reges Juda multùm laboraverunt. Colliumalter autem, qui superior Civitas sed & multo est excelsior & in prolixitate directior, *Castellum David*

Vorago.

Castellum David.

A. dicebatur. Alter autem, qui inferiorem sustinebar Civitatem, undique declivis est, & usque ad Silöam fontem pertingit.

Munitio.

Trium verò murorum vetustissimus quidem propter valles, imminentémq; his desuper collem, in quo erat, facilè capi non poterat. Ad hoc autem, quod longe præstabat, firmissimè structus erat David & Salomonis aliorúmq; interea Regum largissimè impensis operi sumptibus. Omne autem Civitatis in gyro spatium tringinta & tribus stadiis finiebatur. Etsi autem in toto admirabilis esset tertius B. murus, admirabilior tamen erat ob excellentiam turris *Prephinos* dictæ. Ex ea namq; per septuaginta cubitos edita, sole exorto, Arabia perspici poterat, & usque ad mare, itémq; ad ultimos fines Hæbreorum. Erat autem octoangularis. Contra eam verò turris erat *Hypicos*; & juxta erant duæ, quas Rex Herodes in antiquo muro ædificaverat: quæque magnitudine sive pulchritudine ac firmitate universis, quæ toto essent orbe præstabant. Mirabilis autem fuit lapidum magnitudo. Nec enim ex vulgaribus saxis, aut quæ homines ferre possent, verùm C. ex secto marmore candido, & singulis per viginti cubitos longis, latisque per decem, ac altis per quinque erant ædificatæ, quæ inter se ita copulata erant, ut singulæ turres singula saxa viderentur. Sic autem manibus artificum in facies angulósq; formata erant, ut nusquam junctura compaginis appareret.

Turris Prephinos

& Hypicos

Aula regia.

His autem in septentrionali parte positis, intus *aula regia* conjungebatur narratione omni præstantior. Nec enim vel magnificentia vel structura operis aliqua ex parte superabatur, sed tota quodam muro per triginta cubitos edito cincta D. erat. Æquali autem ambitu turribus ornatissimis ambiebatur; itemque virorum receptaculis & cœnaculis centum erat capacius in ea. Inenarrabilis autem fuit saxorum varietas, collectis ibi plurimis, quæ ubiq; rara esse vindebantur. Sed neque pro merito exponi poteſt, qualis hæc Regia fuerit. Habet memoria cruciatum, referens, quantas res latrocinalis flamma consumpserit. Nec enim à Romanis hæc incensa sunt, sed ab insidiatoribus intestinis.

Porrò

Templi Salomonis, magnificentia.

Porrò de Templi magnificentia ac splendore incredibili nihil unquam pro dignitate referri potest, cùm ipsum ex saxis quadragenum cubitorum longitudinis, latitudinis autem sex aut septem constructum, triplici muro cinctum, porticibus auro aut argento tectis adornatum, nihil, quod non animus aut oculi mirarentur, haberet. Sed etenim neque antiquitas, neque ingentes divitiæ, neque per totum orbem terræ diffusa natio, nec magna Religionis gloria, quidquam juvit, quò minus periret. Tantæ verò & amplitudinis & magnificentiæ erat; ut, cùm Civitate capta Victores gentium Romani & præ cæteris Titus Imperator esset ingressus illud, & alia & civitatis munitiones ac turrium, causas sit miratus, ob quas tyranni per dementiam deseruerant. Conspecta denique insolita eorum altitudine, itemque magnitudine, subtilique lapidum compagine singulorum, quantumcunque paterent vel erigerentur; DEO, inquit, planè adjuvante pugnavimus; & DEUS erat, qui detraxit ab istis munimentis Judæos. Nam hominum manus & machinæ quid ad ista valent?

Joseph. de bello Jud. lib. 7. cap. 24.

CAP. XXVII.

Hierosolyma quoties capta?

Cæterùm hæc nobilissima Civitas sæpenumero variis temporibus capta ac vastata fuit. *Primò* per Nabuchodonosor Regem Babylonis, qui turres & muros ejus evertit, templum incendit, ac vasa ejus abstulit. *Secundò* ab Ægyptiorum quodam Rege Asocheo seu Asobeo. *Tertiò* ab Antiocho, Epiphane qui eam proditione cepit, sanctum locum spoliavit, Judæos à patriis legibus transferri jussit, & non templum Domini, sed Jovis Olympii cognominari jussit. *Quartò* à Pompejo magno, qui eam cum reliqua Judæa tributariam fecit. Et, ut Strabo refert, Pompejus eam cepit observato jejunii die, dum ab omni opere Judæi abstinerent, impletâ fossâ & admotis scalis, jussitque mœnia omnia convelli. Nihil tamen, ùt ait Josephus de bello Judaico Libro primo cap. 16. de Sacrosanctis Templi opibus sive instrumentis attigit. *Quintò* dùm Herodes & Sosius captum oppidum servaverunt.

Lib. XVI.

Sextò ad extremum funditùs evertitur dum secundo anno principatus Vespasiani die octavo Mensis Septembris à Tito ejus filio urbs capta ac templum subversum est. Quam cùm cepisset, jussit totum, quod erat, spatium complanare, adeo ut, qui ad eam accessisset, aliquando habitatam vix crederet. Cunctis enim maceriis & sepibus dirutis, quibus hortos ac locos incolæ muniverant, repletum est, quidquid erat vacuum & vallibus impeditum; Saxorum autem eminentissimis ferro truncatis humiliorem totum illum tractum fecerunt. Attonsis præterea omnibus ad nonagina usque stadia circa Hierusalem locis erat miserabilis terræ facies. Nam, quæ antea arboribus & paradisis ornata fuerat, ea tunc deserta præcisis undique nemoribus cernebatur. Nec ullus, qui Judæam pridem viderat & civitatis suburbana pulcherrima, alienigena, cùm ejus solitudinem tunc videret, continere lachrymas poterat vel non gemere mutationem. Omnia namque pulchritudinis insignia bellum deleverat: nec si quis subitò advenisset, qui locum priùs sciebat, eum cognosceret, sed præsens, quæreret Civitatem. Et hic finis fuit Hierosolymæ, nulla alia re tantæ infelicitatis dignæ, nisi quod talem progeniem, à qua subversa est, ediderit: quódque Christum Dominum non cognoverit, sed eum in Crucem fœdissimè sustulerit. Addit ad hæc Josephus de bello Judaico Lib. 6. cap. ult. *Non equidem recusaverim dicere quæ dolor jubet, Si Romani contra noxios venire tardassent, aut hiatu terræ devorandam esse Civitatem, aut diluvio perituram, aut fulgura Sodomitica passuram & incendia.*

Cæterùm qui Hierosolymæ vastationem scire desiderat, legat Josephum, non audita sed & visa & communia sibi cum cæteris referentem. Qui etiam inter cætera dicit, captivorum omnium numerum, qui toto bello comprehensi sunt, fuisse nonaginta & septem millia: mortuorum verò per omne tempus obsidionis decies centum millia.

Post hoc excidium urbis reliquæ sicariorum & latronum erat usque ad tempus Hadriani, qui eam mœnibus ac ædificiis instaurans *Heliam* de suo nomine appellavit. Et, ut scribit Divus Hieronymus ad Paulinam, ab Adriani temporibus usque ad imperium Constantini per annos circiter centum octogiota in loco resurrectionis simulachrum Jovis, & in Cru-cis

cis rupe, statua Veneris ex marmore à A. gentilibus, posita colebantur, existimantibus persecutionum auctoribus, quòd tollerent nobis fidem resurrectionis & crucis, si loca sancta per idola profanâssent.

Porrò qualis tunc urbis & terræ facies erat, cùm excisa solo complanaretur, talis & hodie & fortè tristior ac miserabilior videtur, ruinis omnia occupantibus, adeò ut, quæ olim terra lactis & mellis præ ubertate dicta est, ea hodie tribulorum, spinarum ac desolationis terra meritò dici possit.

Hanc tamen Civitatem Majores nostri B. per Carolum magnum multo labore quæsitam possederunt: ac per Godefredum recuperatam eum magna gloria octuaginta octo annis obtinuerunt: at rursùm per Saladinum Regem Ægypti ademptam cum ingenti damno & dedecore amiserunt. Atque ita quietè, imò ignominiosè, agentes Principes nostri, eam in manibus infidelium haberi patiuntur. O

Socordia Christian. Principum in recuperanda Palæstina. torpor! O mores perversi Principum nostrorum! Inter se quidem continuis seditionibus digladiantur: sed loca nostræ redemptionis, originem nostræ Salutis, Civitatem sanctam, de qua tot gloriosa dicta C. sunt, Saracenos conculcare permittunt, sine quorum voluntate, nemini Christiano loca illa sacra invisere licet, qui, ubi volunt, nos prohibent, admissos mille afficiunt malis, taxant, circumducunt, canibus viliores censent. Hæc nos patienter ferimus ac hostibus nostræ fidei, qui ne verbulum quidem acerbiusculè vel per imprudentiam emissum perpeti valemus: in Domesticos strenui, in hostes DEI & nostros ignavi.

Facies hodierna Hierosolymæ. At verò situs exterior interiórque Hierosolymæ nostro ævo talis est. Est formæ penè triangularis; ab oriente tem- D. plum Salomonis, à Septentrione verò templum Sepulchri Domini, murorum complectitur ambitu: ab austro autem, licet extra mœnia, ædificiis tamen interruptis, Montem Sion conjunctum habet. A quo, quoniam reliqua humilior civitas

Filia Sion. olim cutabatur, *Filia Sion* in sacris Histo-

Vallis Ennon. riis nominatur. Sub Monte Sion *Vallis Ennon* sive Gehennon subsidet, ubi erant horti Regis, ubi etiam Filii Israël idololatrantes habebant lucos, ibique circumducebant filios suos per ignem, idolis immolantes. In opposito colle ad austrum est ager *Acheldemach*. Inter torrentem & meridiem è regione Montis Sion est mons altus, tamen angustus, qui *Mons offensionis* dicitur, eò quòd ibi Salomon in complacentiam uxorum suarum ædificaverit Fanum Chamos idolo Moab, & Moloch idolo filiorum Ammon, in quo DEUM offendit, ùt habetur Lib. 3. Reg. 11. Sub Templo Salomonis est *Vallis Josaphat*, inter ipsum & Montem Oliveti media, quæ ad Septentrionem vergens à valle Cedrona excipitur. Hæc verò ipsa in vallem Ennon desinit. Sunt verò valles illæ profundæ nimis & præcipites. Porrò Mons Oliveti, de quo superius * plura dicta sunt, Templo Salomonis ad orientem oppositus sublimitate sua Hierosolymam longè superat. Reliqua civitatis pars triplici quondam muro ac fossa patenti & profunda cingebatur, quorum hodie ingentes ac stupendæ cernuntur reliquiæ.

Mons offensionis.

* *Cap. 9.*

Hæc habui scribere de Civitatis sanctæ & prisco statu & moderno, tametsi multo plura dicenda superfint. Sed neque omnia illa ad unguem edisserere propositi fuit mei: neque si id conarer, præ ingenii inopia efficere possem. Canens itaque receptui in hujus libelli alterius calce Lectorem pium piè obsecro, ut, sicut in primi libri fine, ita & in hujus dicere non vereatur brevem illam Oratiunculam, quàm & hic subjicio. *Benedictum sit millesies mille dulce Nomen Domini nostri JESU Christi: & laudabile Nomen gloriosæ Virginis Mariæ, Matris ejus dignissimæ in æternum & ultra. Amen.*

Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.

Finis Libri Secundi.

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

Exactâ Sanctorum illorum locorum peregrinatione, quod licuit & potuimus, advenit tandem vicesimus octavus Decembris dies, in quo muli diu multúmque exspectati demum advenerunt. Proindè Missâ mane in Monasterio auditâ, circa meridiem, supellectilem nostram & commeatus mulis imponimus; ipsi raptim & in transcursu loca sancta per Montem

tem Sion visitamus, salutamus, valedici- A. mus. Sicque ad ultimum à Guardiano omnibúsque fratribus sumpta benedictione, in Nomine Domini & ipsi mulos conscendimus.

Exeuntes ergo Hierosolymâ per *Portam judiciariam*, profecti sumus ad Septentrionalem urbis plagam per colles vallésque scabrosas ac præcipites. Inter eundum autem vidimus complura hinc inde ruinarum extantia monumenta, ubi, ut liquidò videri dabatur, castella olim munita habebantur. Quibus transitis, venimus jam circa vesperum ad vicum quendam magnis plenum ruinis, qui for- B. tassis olim fuit oppidum Hay, quod Josue expugnavit. Josue 8. Videbantur nempe ex illo loco *Vallis illustris* seu Hierichontina, mare mortuum, Galgala, mons Quarentana & multa alia Orientem versùs loca. In illo vico intrantes quoddam grande, sed desertum diversorium, plures illic nostri itineris comites confluxisse invenimus.

Hai.

Eo tempore ipse membris omnibus adeò invalidus eram, ut vix in terra commodè sedere possem, nedum equitare mulam claudicantem & jugi stimulo & clamore egentem, & hoc per rupes con- C. fragosas, inæquales & præcipites, ubi omnis equitandi aberat commoditas. Et erat quidem mihi animus Hierosolymis, quoad convaluissem, remanendi: sed amore tractus & comitum & patriæ, adhæc indies meliora sperans, ideoque labores & necessitates meas DEO committens, iter cœptum utcunque continuavi. Tum verò mihi (dulce est enim passorum meminisse malorum) in ore clunis quatuor pessima exorta sunt ulcera, quæ me nec commodè equitare nec pedibus incedere permittebant. Addebat se huic malo aliud malum. Nam cùm una pars D. natium sedenti super mulam obtorpuisset, ac in alteram me locaturus, auxilio id manuum agere attentarem, illis utpote semicontractus nequaquam valentibus, in priorem rursùs relabebar partem: atque ita dolore duplicatò cogebar patienter ferre, etiamsi noluissem, mei ipsius plerumque miserias; ac interea mihimet corridens Virgilianum illud sæpenumero inculcabam. *Dabit DEUS his quoque finem.* Et illud: *durate & vosmet rebus servate secundis.* Rursumque & illud: *forsitan & hæc olim meminisse juvabit.*

Die XXIX. circa meridiem cùm inde digressuri essemus, dissensio inter muliones nostros oborta est; his quidem hac via, aliis alia proficisci contendentibus. Qua ex re factum est, ut paucos admodùm nobiscum habuerimus comites. Progressi ergo inter permolestam vallium colliúmque vicissitudinem, circa vesperum descendimus in vallem illam grandem, quam mediam Jordanis intersecat: atque illic in valle quadam, donec Sol totus occumberet, unà cum mulis delituimus, suspectam habentes regionem illam propter latrocinia. Postquam verò noctis tenebræ increbuissent, surreximus inde cum silentio, & nemine loqui neque excreare permisso, cum trepidatione magna & formidine per vallem illam versùs Septentrionem processimus.

At ubi jam propè Jordanis fluenta venissemus, tum nos ingens timor & periculi terror invasit. Erat quippe littus utrumque grassatoribus plenum, id quod ex crebris ignibus haud dubiè conjiciebamus, ideoque nec commodè regredi nec procedere audebamus. Diutiùs itaque inter nos, quid facto opus sit, consultantes, ad ultimum Divinæ nos commisimus misericordiæ, tentantes, si quo modo angustias istas evadere possemus. Verùm ubi jam periculum illud superâsse putabamus, continuò incidimus in vigiles Latronum. Qui quoniam pueri erant & à fuis aliquantulum semoti, ad hæc fortè primùm & somno & terrore oppressi, donec eos pertransiremus, siluerunt. Tum verò ingens clamor exortus, his quidem signum dantibus, illis verò respondentibus, ac se mutuò cohortantibus. Nos actum esse de nobis credidimus. Deflectentes itaque à proposito itinere, montem proximum ad lævam rapidè conscendimus, ibi nos vel occulere, vel si res tulisset, defendere parantes. Interim verò illis se adunantibus, & præ strepitu equorum suorum & tenebris, fugam nostram non audientibus, montem quendam superamus: ac deinde in subjacentem convallem descendentes ibi nos tota nocte in silentio continuimus; ordinatis priùs, in superioribus montis locis, exploratoribus & custodibus ipsorum locorum exercitatis, qui omnia conspicerent.

Die XXX. illucescente exploratores A. nostri reversi, referunt latrones nusquam comparere. Adducunt insuper Arabem quendam loci illius indigenam; qui accepto à nobis pretio, ad Jordanem nobis ducatum præbuit. Eo itaque ducente ad vada Jordanis devenimus. Ibi Arabum ingens turba, pars in l[illegible]re alio consistens, pars nuda in flumen medium currens strictis gladiis, vibratis hastis, tensisque arcubus transitum nobis prohibebat. Nos per ductorem nostrum cum eis agentes obtinuimus amnis transitum, datis priùs pro singulo capite tribus Maydinis. Jordanis nempe tum defluxerat, & utramque ripam multùm nudaverat. Lento ergo gradu transvadantes, manus, pedes, faciem ac caput ex eo conspersimus, ac in vasis nostris in potum sumpsimus.

Vada Jordanis.

Transmisso Jordane venimus in campos feracissimos alto gramine & herboso consertos. Ibi Arabes pretio dato non contenti, nos nihil tale suspicantes, retrò adoriuntur, plerosque nostrûm, qui primi occurrerant, videlicet duos de ordine Sancti Francisci Fratres, extra ordinem abducunt. Hoc viso Muliones nostri, plùs mulorum quàm hominum tacti periculo, simul conglobati accurrunt, rem C. seriò agunt, arcus proferunt & sagittas vibrantium more aptant. Illi tensos arcus & noxia tela cernentes, pavore perculsi recedunt. Præcedimus cum onere mulorum gens inermis: Cæteri, quibus arma erant, sequuntur, nosque ab incursu Arabum tuentur. Vulgus enim illud Arabum non ad bellandum, sed magis ad prædandum venerat, ideoque pauci admodùm arma habebant. Tali pacto, id est, fugiendo & resistendo, ex eorum manibus elapsi, montana quædam altissima conscendimus. Transivimus deinde D. montem quendam longum, olivetis, vineis, fruge, ac fructiferis plenum arboribus. Vidimus etiam quædam castella ibi in tumulis sita & pagos. Hæc est regio, quæ, ut habetur Josue 13. sorte data est tribui Gad, Ruben, & dimidiæ tribui Manasse. Estque terra, etiam hodie, ad pastum pecorum aptissima, &, si cultores haberet, omnigenûm fructuum ferax. Diem illum cum sequentis noctis parte, equitando consumentes, tandem ad pagum quendam delati, in Mulionis nostri tugurium recepti sumus.

Pugna cum Arabibus.

Terra tribuum Gad Ruben, & Manasse.

CAP. II.

Die XXXI. Ibidem repausantes, ducti sumus per Mulionem nostrum, qui etiam Christianus erat, in quandam specum solida rupe excisum, ubi Christiani, pagi illius incolæ colligebantur, ibique officium more Græcanico persolvere consueverant. Et quia dies illa erat Vigilia Circumcisionis Dominicæ, adfuimus in Vesperis eorum. Quibus peractis, cum singulis triticum coctum panisque benedicti pars distribueretur, nobis quoque pars sua singulis donata est, quam, ne eos contemnere videremur, cum gratia deosculantes acce- B. pimus, & comedimus.

Anni 1508. Mensis Januarius.

Anno illo sic finem sortito illuxit veneranda Circumcisionis Dominicæ dies, quæ nedum Christianis, sed & Paganis omnibus ex antiqua eorum superstitione, celebris habetur. Erat porrò annus ille à Christi Domini Nativitate Millesimus Quingentesimus Octavus, ob cujus solemnitatem è tugurio Mulionis nostri nusquam pedem extulimus. Altera verò die aucti novo Comitum numero, inde profecti venimus ad casale quoddam, ubi alios itineris nostri comites reperientes, ibidem pernoctavimus inter Camelos, vaccas & mulos adeò strictè, ut vix sedendi, nedum corpus extendendi spatium haberemus; sed fatigatum corpus non curat de amplis delicatisq; locis.

Die tertiâ descendentes de illis montanis, venimus in amplissimam terræ planitiem, arboribus quidem omnino nudam, sed frugum feracem. Terra illa pinguis est valde & subrufa, sed pro sui capacitate Colonis egens & cultura. Illic ad viculum quendam delati die illo & duobus sequentibus ibi mansimus. Nondum enim erat tanta comitiva nostra, ut latrociniis suspectum iter aggredi auderemus. At verò Domus regionis illius omnes ferè in foveis exstructæ, intus & deforis lapidibus sine calce temerè sepiuntur. Et deforis quidem vix apparent, adeò ut si quis locorum imperitus ad vicum venerit, lapidum congeriem naturalem putabit, non hominum habitaculum, ac intra domos obambulans, domos inscius quæret.

Domus Syriæ.

Die sexta advenit nobis Carabena camelorum quinquaginta, quæ ex Galilæa frumentum Damascenis portabat. Huic nos juncti inde sustulimus, ac paulo post in

in diversorium quoddam grande, sed desertum appulimus, ibique aliam Carabenam rursùs invenimus.

Die septima inde digressi præterivimus ad lævam lacum * *Maron.* Hunc inter Cæsaream Philippi & mare Galileæ Jordanis efficit, & implet ex eo tempore, quò, vere novo, liquidus cano se Monte Libano humor dejicit, & Zephyro putris se gleba resolvit. Idem tamen æstate torrida totus arescit. Quamobrem propter humoris exundantiam arbusta illic multa, calamique ac spineta surgunt, ac sylvam sonoram efficiunt, in qua ursi, leones, ac aliæ feræ victum simul ac latibulum sibi quærunt, atque illic venationem regiam haberi tradunt. Ad has aquas, ut habetur Josue 11. convenerant Jabin Rex Asor cum multis Regibus auxiliaribus, super quos Josue irruit, & tradidit eos Dominus in manibus ejus.

** fortè Meron. Lacus Maron.*

Die octava per eandem profecti planitiem, plura desolata hinc inde vidimus castella, & casalia plura, etiam magna diversoria, in quorum etiam quædam ad repausandum declinavimus. Tandem ejusdem diei nocte jam in tenebrescente venimus *Damascum*, divertimúsque in Fonticum Venetorum: à quibus humanissimè excepti, lautè liberaliterque in omnibus tractati, adeò bonis omnibus abundavimus, ac si in patria propria essemus. Nam & lectorum mollissimâ mundiciâ, & ciborum omnigeno apparatu, ad hæc lotura pedum & capitis, mutatione camisiarum & reliquarum vestium adeò fumus refocillati, ut nobis ipsis jam non quasi delicati Domicelli videremur. Et certè grata nobis fuit admodum & necessaria talis refocillatio post tot ac tam diuturnos squalores, sudores, labores, fames, atque alias incommoditates.

Damasc.

Die nona intravimus in ædes Consulis Venetorum, ibique Missâ auditâ, ab eo & plerisque nobilibus Venetis honorificè ac humaniter excepti sumus: atque eadem die cum Consule cœnantes, multa ab eo inter loquendum de moribus & secta Machometistarum didicimus. Erat quippe Consul ille homo doctus, maturus & regalis, in cujus etiam vultu plurimùm inerat auctoritatis.

Die X. Sumptâ refectione duxerunt nos nobiles quidam Veneti extra urbem ad eum locum, ubi, ut habetur Act. 9.

Locus abi Christus Saulo apparuit.

A dùm pergeret Saulus Damascum, ut Christianos comprehenderet, à Christo in terram prostratus audivit vocem cœlitus dicentem: *Saule, Saule quid me persequeris?* In hoc loco erat olim Ecclesia Nobilis, nunc grandis ruinarum ingentium acervus: ibi tamen Christiani sepeliuntur.

Reversi per hortos vernantes, quibus tota illa urbs & regio abundat, venimus sub urbis mœnia, vidimúsque locum in muro, ubi Sanctus Paulus Act. 9. à fratribus in sporta demissus per fenestram evasit manus insidiantium. Extat usque hodie fenestra illa, nec ullo modo aut ferari aut obduci potest. Hic habentur septem anni indulg. & totidem Carenæ.

B

Ingressi urbem venimus in *domum Judæ*, in qua, ut habetur Act. 9. Saulus à Domino excitatæ percussus, mansit tribus diebus non videns, & non manducavit neque bibit. In hanc domum intrans Ananias, & imponens ei manus juxta præceptum Domini, visum ei restituit eumque baptizavit. Referebat nobis asserendo Incola loci istius Saracenus, singulis Sabbathis in loco illo clarissimum lumen videri, ac rursus disparere. Et hic est indulgentia uti in proximo.

Domus Judæ Damasci.

C Fuimus post hoc in *Domo Ananiæ* prædicti, quam Christiani de Cinctura inhabitant: estque ibi Capella subterranea satis pulchra. Haud procul ab hac domo est grandis quædam & egregia Musekhea, à Christianis olim constructa: in qua tradunt haberi corpus Sancti Zachariæ, Patris Sancti Joannis Baptistæ, quod & Saraceni apprimè venerantur. Ob hanc causam retulerunt quippe nobis negotiatores Veneti, quòd, dum aliquis Saracenus depositum aut debitum alicui Christiano negare contendit, ducatur ad aream Sancti il-

Domus Ananiæ.

Corpus S. Zachariæ patris S. Jo. Bapt.

D lius, atque ab eo illic juramentum exigatur. Qui si benè & justè jurat, benè se res sua habet: si verò pejeraverit, annum illum nequaquam supervivet. Intereadum urbis situm lustramus, hæc à viris fide dignis audivimus.

CAP. III.

Fuit quidam negotiator Florentinus sagax æque ac pecuniosus, qui Damasci mercaturam exercens, gratus admodum Principi & familiaris effectus, aulam ejus fre-

Quis mercatoris Damasceni?

frequentabat. Hic quadam die visam Principis filiam ardenter amare cœpit, &, nisi ea potiretur, præ nimia familiaritate fatetur Principi, omnino se mortis periculum incursurum. Ille filiam Matrimonio habendam se daturum pollicetur, si modò fidem suam abneget. Paret Florentinus, ac cæco amore cæcus & amens cæcam fidem amplectitur. Ducit uxorem, optatis potitur amplexibus; atq; eo pacto non solùm Principi sed & cæteris aulicis totiq; Civitati & regno gratus admodum redditur & admirabilis. Et non longè post fata Principis ipse obtinuit principatum, cui & strenuè vivens præfuit, & mortuus Ecclesiæ donatus est. Hunc ergo Saraceni pro Sancto venerantes, tumbam ejus manibus contrectantes osculantur, exindeque barbas suas demulcent. Hic verò Florentinus Damascum his, qui nunc extant, muris pro majori parte cinxit & munivit, eisque Leonem, florentinæ Civitatis insignium insculpsit.

Ante hoc nempe Damascus à Tamberlano Scbyta excisa, muro inbabitabatur interrupto. Extat tamen & hodie porta quædam pervetusta, continens quatuor Evangelistarum in formis suis insculptas imagines: quæ res eam Civitatem olim Christianos tenuisse indicio est.

Damasci prærogativa. Porro bæc Civitas aëris salubritate, aquarum copia, soli fertilitate, fructuum omnigena exuberantia, hortorum amœnitate, mercium diversitate, denique & originis vetustate omnibus Syriæ Civitatibus præcellit. *Ejus nomen.* Eam quippe primus Sem filios Noë fundavit, unde bodie linguâ Saracenorum Damascus *Sem* appellatur. Sunt tamen, qui dicunt, eam ab Eliezer servo Abrahæ ædificatam, ac de nomine Damasci filii sui sic vocatam. Mibi non absimile vero videtur (id quod etiam Lyra supra 15. cap. Genes. sentit) ut à Sem quidem sit constructa, posteà verò à Damasco ampliata vel instaurata.

Situs. Hæc Civitas campestris est sub monte Antilibano sita, agrum habens natura soli sterilem & arduum, præterquam ubi *Pharphar & Abana fluvii.* *Pharphar* & *Abana* fluvioli irrigant super illos fistulis cuniculisque subducti, quorum humor terram reddit fertilissimam, consitionibúsque promptissimâ, ita ut verè Paradisus dici possit. Inter alios fructus, qui ibi perpetuè copiosi habentur, *Pruna Damasc.* sunt *pruna Damascena*, ideo sic dicta, vel

A quia ibi & copia & bonitate præstant; vel quia inde primò in alias orbis partes diffusa sunt.

In Damasco comparavimus nobis, *Porcellana Indica* quæ & nobiscum in patriam detulimus, pannos sericos, lignum Aloës, uvam passam miræ magnitudinis & suavitatis, pruna damascena, pileos & vittas Saracenicas, & porcellanas. Sunt autem porcellanæ, scutellæ in India elaboratæ miræ artis, decoris & coloris ac subtilitatis. Sunt nempe quædam vario & miro adornatæ colore, quædam cùm sub tecto aspiciuntur, candidissimæ apparent nibil coloraturæ B admixtæ babentes; dum verò solis splendori opponuntur, mirabiles exbibent oculis & flores & colores. Ad levem cujuscunque tactum ita tinniunt, ut etiam æs & omne metallum dulci sono ac suavi suo tinnitu superent, cùm tamen ipsæ sint fictiles, factæ de pasta terræ, quam solent earum opifices sub terra obrutam, centum annis & ultra tenere.

Non procul à Damasco monstratur *Sepulchrum Abelis.* spelunca quindecim cubitorum, in qua tradunt jacere sepultum Abel, à fratre suo Cain in agro Damasceno occisum. Concordat huic historiæ Damasci interpreta C tio. Dicitur quippe Damascus, quasi sanguinolentus, vel sanguinem fundens: & ita omnes Authentici interpretantur, addentes ibi sanguinem Abel effusum. Sed pulsat animum meum vehementer quæstio bæc. Nam quòd Adam primus homo formatus sit in agro Damasceno, & sacræ Scripturæ & Doctorum omnium consona probat auctoritas. Quòd etiam ibidem sepultus sit in spelunca duplici, non dubium est. Adbuc quòd ibidem Cain occiderit Abel, comunis est omnium Sententia, locúsque occisionis ejus in Hebron propè speluncam duplicem consoD nâ omnium voce monstratur. Quò pactô ergo verum est, quod interpretantes hoc nomen, Damascus, dicant de Abelis occisione in agro Damasceno? sed puto, sine tamen aliquo præjudicio, interpretes nominum identitate confusos. Nam *Ager Damascenus duplex.* & ager circa Damascum *Ager Damascenus* jure dicitur: & locus, ubi creatus & sepultus est Adam, in Hebræo nihilominus ab omnibus *Ager Damascenus* appellatur. Cujus appellationis causam, cùm multa super hoc & legissem & quæsivissem, invenire tamen bactenus non potui.

Porro

Porro Damascus & Hebron septem dierum itinere ab invicem disjunguntur.

CAP. IV.

Catti, cur in Syria & Ægypto in tanta religione & cultu?

DIe XI. cùm perambularemus Civitatem, monstrata est nobis Domus quædam ampla, altis septa parietibus, quæ erat plena cattis. Cujus rei causam cùm perquireremus, hæc à viris maturis seriò dicta percepimus. Tradunt olim Machometem in hac ipsa civitate manentem, cattum in manica portare solitum, eum manibus suis demulcere, nutrire, atque in deliciis habere, nec non & auspiciis ejus omnia acta sua ordinare consuevisse. Hunc ergò sequaces sui imitati usq; hodie cattos nutriunt, atque in veneratione quadam præcipua habent eisque cibum ministrare eleemosynæ opus censent. At si fortè animal inediâ moreretur, putant eum, sub cujus cura animal est, in judicio à DEO condemnandum. Ob hanc causam complures inveniuntur, qui per macella, jumentorum extra mendicantes vel coëmentes, eisdem cattos nutriunt. Quidam verò id, quod dixi, non de Machomete sed de comite ejus asserunt. Qui dum semel ad populum concionaretur, atque cattum in manica gestaret alvi fœtu gravidum, illa gemellos edidit, & ab eo tempore concionator ille Buccorrea, id est, Pater cattorum est appellatus. Ego verò cattorum hanc superstitionem aliundè puto emanâsse. Scimus enim Syriam ab olim ab Ægyptiis occupari, quibus ex antiquo mos erat diversa animalium portenta pro Diis colere: è quorum numero erant canes, boves, accipitres, feles sive catti. Quorum rationes assignat Diodorus Siculus libro secundo dicens, id ideo fuisse, vel quòd Dii in ea animalia aliquando mutati essent, timore eos ac periculo ad hoc cogente; vel quòd in bellis hujusmodi animalium figuris ipsi usi, Victoriam consecuti essent: vel quòd eorum animantium utilitas aut victui aut defensioni hominum sit necessaria; vel quòd, cùm apud priscos Reges populus sæpe ab his deficeret, tradant, sapientem quendam Ægyptum in plures divisisse partes, edixisseque, quæ animalia colerent & à quibus cibis abstinerent. Eo id actum consilio, ut quique cætera animantia pro Diis haberent quæ ab aliis colerentur * - - - - - perosi, nequaquam simul adversus Principes conspirarent, quod & secutum est. Nam diversorum homines finium invicem dissentiunt, mutuò sibi cultus impietatem ac morum dissimilitudinem objicientes. Catti ergo, cùm ad serpentum, murium aliorumq; reptilium morsus, quæ in Ægypto abundant, plurimùm conferant, pro Diis habentur, & ex insolita illa superstitione etiàm hodie coluntur & nutriuntur.

** Deest in MS. aliquid.*

Plura ejus urbis monumenta & inquirere & videre volentibus obfuit, nescio quæ fortuna sinistra. Nempe dum à Nobilibus Venetis humaniter tractaremur, & per urbis insigniora loca duceremur, narratur Principi Civitatis adesse Christianos quosdam homines magnæ conditionis. Ille nummorum sitiens, Consuli Venetorum denuntiat, rogans, cur sibi ejusmodi homines non declaraverit: Se quippe paratum esse omnigenam eisdem exhibere humanitatem. Consul homo occulatus, & quorsum Principis animus tenderet, intelligens, pauperes nos esse homines & mercatores respondit; verùm pro jure hospitalitatis & antiquæ notitiæ à se & à suis ita tractari. Interim verò per internuntium nobis mandat, ut quantocyus occultè inde discedamus: alioquin si Princeps adeundus esset, magnum nobis rei pecuniariæ immineret dispendium.

Quibus compertis Die XII. res nostras tumultuosè complicamus, atque hora noctis tertia, Luna viam Monstrante, Damasco discedimus. Itaque per abruptos & invios collium vertices profecti, jam circa diluculum ad Casale quoddam applicuimus, ibiq; Carabenam Baruthum ituram invenimus.

Die XIII. cum aurora inde surgentes, ivimus per colles nivosos atque aquarum torrentibus jugiter sonantes: Quibus transmissis venimus in planitiem quandam grandem & peramœnam, in qua cùm plures rivulos, tum verò duos Jordanis fluviolos transvadavimus. Hæc planities hac tempestate *Bakar* dicitur. Sunt in ea plures ædificii ac quasi manu facti colles, quibus castella imminent. Ibi Noë arcam fabricâsse multi asserunt, ostendentes sepulchrum ejus in colle quodam exstructum opere egregio. Per hanc planitiem postquam versùs Orientem ieris, plura se tibi offerunt monumenta, inter quæ saxum unum magnitudinis adeo stupendæ, ut turribus aut collibus par videatur, juxta

Bakar regio.

Sepulchrum Noë.

quod

Castellum Baldag seu Baldach.

quod tres columnæ illis, quæ in foro sancti Marci Venetiis eminent, sunt persimiles.

Haud procul abinde est castellum desertum, *Baldag* nomine, unde dicitur fuisse Baldach ille Suites, de quo in Libro Job legitur. In hoc Castello columnarum ordines admirandi, saxa magnitudinis stupendæ, ædificia in sublime erecta, omnia tamen ruinosa. Magnum ibi quoddam ac illustre factum fuisse testantur. Ferunt Baldachenses saxum illud ingens, cujus memini, adducere volentes, frustra id præ ejus magnitudine sæpiùs attentâsse: tandem nactos mulierem quandam & pauperie & prole oneratam, quæ se artem scire diceret, quâ saxi illius molem sine omni fatigatione, quocunque vellent, adduceret: tantum si victûs sibi, donec partum ederet, præstare vellent solatia. Creduli Baldachenses necessaria mulieri præbent abundanter. Ipsa denique partu soluta cum eis ad saxum illud pergit. Tum more onera suscipientium se incurvans, levate, inquit, ac mihi illud supponite saxum; sic enim illud, quò libuerit, egregiè feram. Negantibus illis se id ipsum facere posse: O stulti, inquit, creditis id mulierculam unam & adhuc partûs molestiis imbecillem facere posse, quod vos tot & tanti efficere non valetis? Et quia non absurda loquebatur, data est verbis factisque ejus venia. Tali facto turba delusa est, & mulier in necessitate adjuta, saxum suo loco dimissum.

Boherse pagus.

Demum per planitiem illam transversim eundo, conscendimus rursus montana; ibíque in pagum *Boherse* dictum applicantes, Biduum in tugurio nostri mulionis consumpsimus tum ob valetudinem, tum ob aëris intemperiem.

Die XVI. circa meridiem inde moventes, rursus montana altiora conscendimus. Ibi ventus ingens nives nobis in faciem fundens ægrè nos in mulis sedere patiebatur. Ad hæc totum iter nive alta undique obductum, quia durare non potuit diu, nos hinc inde transitum commodum quæritare coëgit. Ubi verò monte illo superato per clivum descendere cœpimus, tum pluvia jugis ac gelida, vento vehementi ac rigido commixta adeò nos afflictos & madidos reddiderat, ut vix camisia nobis sicca remaneret. In A tuguriolum itaque quoddam satis commodè ac opportunè oblatum fugimus, igniculum furiosum excitamus, nos calefacimus vestésque utcunque exsiccamus.

CAP. V.

Mores Ritus Saracenorum.

Nocte insequenti plures Saraceni ad nos veniunt, pars ad calorem ignis, pars ad mulionem nostrum sibi notum jure vicinitatis visitandum. Et quia anno illo, Mensem Januarium loco Quadragesimæ jejunabant, unusquisque obsonia, prout potuit, in simul conferebat. Mo- B rem quippe hunc servant Saraceni jejunantes, ut in die quidem, omni abstineant cibo: noctem verò, quia longa est, commessationibus & omnigenæ incontinentiæ dedicent. Manducant verò non in scabellis sedentes, uti nostrates, sed in terra acclivi ac poplitibus innixi. Sessu suo orbem faciunt raptim, ac festinanter vorant. Post remotos vel absumptos cibos tunc demum potum sumunt, ac velut post diu neglectam sitim pleno se proluunt vase.

Neomeniam, id est, Novilunium summo observant studio. Primò visam sa- C lutant vel adorant: cursu ejus & decursu se suaque regunt; ideoque in domorum, turrium ac templorum foribus & summitatibus mediam lunam præfigunt. Vino non nisi occultissimè utuntur; uvis tamen vescuntur, ac melle ex uvis confecto. Solam aquam, & eam puram vulgus bibit; nobiliores & ditiores confectam bibunt ac medicatam aquam. Cochlearia in usu rari habent; dúmque liquidi quidpiam edunt, digitis cavè contractis cochleare efficiunt: atque ita cibo inter digitos per barbam defluente, ut sunt barbari, barbarè vorant. Imberbes D ac glabros exosi, barbas nunquam amovent. Caput solum radunt, atque illud duriore primùm pileolo, posteà multo vittarum volumine contegunt. Squalidi, investes calopedibus incedunt: à puero assueti nec frigus magnoperè curant nec æstum.

Inediæ atque laboris patientissimi, majorem vitæ suæ partem nudis peragunt pedibus: nisi vel frigus intensum, vel viæ cœnositas intervenerit; tunc enim calopedibus utuntur. Itinerantes solummodo calceos gestant. Caligas rarissimi noverunt,

verunt, & eas vix ad media genua protensas. Plerique spiritu flante ferociori, pellibus inversis & vix genua tegentibus vestiuntur: quarum manicæ adeò laxæ sunt, ut frigore urgente sine omni labore manus per eas ad nudum pectus complicent.

Hospitalitate multùm gaudent, quippe qui ab Advenis pretium cibi ministrati exigere, rusticitatis magnæ loco ducunt. Nam & nos ad cibi communionem sæpenumero invitati, assentientes eis grati fuimus: renuentes verò malè tractati sumus.

Panem toties pinsunt, quoties vel ipsi comesturi sunt, vel hospitibus ministraturi. Diem Veneris quasi pro Sabbato in contemptum Christianæ observantiæ celebrant: in quo nihilominus, ùt alio die feriali, laborant, in comessationibus tantum ac desideriis carnis diem festum agi debere putantes.

Saracenicarum fœminarum cultus. Eorum fœminæ totum corpus satis honestè contegunt: faciem velant nigro quodam ac transparenti panniculo, per quem ipsæ quidem commodè vident; sed ab aliis vultus earum non videntur. Labia infuscant, faciem characteribus cæruleis inurunt, manus circulis argenteis aut ferreis pro qualitate fortunæ adornant: labia, nares aurésque gemmis onerant; digitos qualibuscunque annulis, torques insuper pro fortuna capitibus gestant, quos panniculo in terram usque fluente candido operiunt. Plura de ipsis scribere, quæ vel audivi vel ipse vidi, non solùm supervacaneum, sed & nefarium puto: ne pium lectorem in ipsis offendam.

Natales Machometis. Sed quoniam incidentaliter mores Saracenorum utcunque depinxi, tempus me monet aliquid dicere de eorum Pseudo Propheta Machomete. Anno itaque à Natali Domini Sexcentesimo sexto sub Bonifacio ejus nominis Papa quarto, ac Phoca Cæsare, Vicesima tertia Aprilis natum ferunt Machometem, filium perditionis ex Patre quidem Arabe qui Deos gentium coleret: Matre verò Ismaëliticæ gentis, religione Hebræa. Is ergo ex duabus hujusmodi sibi omnino ad invicem adversantibus Sectis originem ducens, nulli earum omnino adhæsit. Sed homo acerrimi callidissimíque ingenii inter Christianos conversatus, perniciosissimum humano generi ex duabus hu-

A. jusmodi gentium legibus conflavit incendium. *Ejus calliditas.* Nam inter Arabes, apud quos magnum ambiebat honoris locum, publicè concionatus est; non injuriâ Cosdrohem cum omni familia delectum esse, quòd se pro DEO adorari fecisset homo omnium scelestissimus, qui & ipsa idola sculptiliáque manu facta adorare solitus fuisset. Subsequenter de lege Hebræorum, quam magna ex parte Arabes sectarentur, Christianorúmque traditionibus ita disputabat, ut unam eandemque esse utramque affirmaret, licèt magnis utraque gens abduceretur erroribus. Quos
B. quidem errores ita ipse moderabatur, ut Hebræos reprehenderet, JEsum Christum ex Virgine natum negantes, quem sui majores venturum exspectandúmque prædixissent: Christianos verò redargueret levitatis, quibus persuasum sit, JEsum *Impia dogmata.* DEI amicissimum & ex Virgine natum, opprobria & demum Crucis mortem à Judæis perpeti voluisse. Et suam ipse prædicans legem, futurum affirmabat, ut, si eam acciperent custodiréntque Saraceni, & sibi, Divino ad id nuncio, obsequerentur, sese in libertatem asserant & principatu regnóque finitimorum potiantur,
C. id quod demum Principum nostrorum ignavia, heu nimis, verificatum est.

Sunt, qui tradunt, eum infima natum conditione, & mulionem cujusdam præpotentis viduæ fuisse, quam ipse dolis ac blanditiis irretitam, uxorem tandem duxit. Cujus postea opibus elatus, majora de se sentire, ac se DEI prophetam nunciúmque homo stolidissimus dicere perperam ausus est. Inducit enim in Alchorano suo DEUM ad se ita loquentem: *Tu eras Sapiens, attamen disciplina educatus: tu eras in errore, & tamen inde evasisti: eras pauper, & effectus es mo-*
D. *do opulentus.*

Cùm igitur Machometes jam ad tegnum aspiraret, seductis primùm quibusdam hominibus rudibus, pòst, prædonum non pauca manu conflata, ausus est etiam Romani Imperii fines turbare. Sed ejus *Profligatur ab Heraclio Imp.* motus Heraclius Imperator citò compescuit, fugatóque eo, ac turpissimo in faciem vulnere inflicto, id quod erat contra prophetiam ejus dicentis, sibi à DEO datos decem Angelos ad sui custodiam, ne quoquo modo lædi posset. Post hæc tamen Saraceni & Arabes arma sumentes,

Ejus in armis progressus.

ita Heraclii Duces superârunt, ut hominem primò felicem, mox infelicissimum reddiderint Duce Machomete. Qui cùm se magnum DEI Prophetam assereret, & magicis artibus Africanos & Asianos deludens, ita populos quosdam concitavit, nova à se religione imbutos, ut paulùm abfuerit, quin omnino nomen Imperii deleret captâ Alexandriâ aliisque Syriæ, Ægypti ac Ciliciæ urbibus.

Sergius nequissimus Monachus.

Usus est præterea ad componendam Sectam suam dolo ac astutia Sergii nequissimi Monachi. Qui, cùm ob nefaria quædam ac intolerabilia scelera Monasterio extrusus, ad eum venisset, multa ex lege Moysis & Evangelii æstutè colligens, in unum corpus redegit. Et ut seductos populos fortiùs retineret, statuit, quòd

Polygamia.

unus uxores præcipuas ad quaternarium numerum de propria cognatione, & concubinas habere posset tot, quot facultatibus suis alere valeret: emptitias quoque vel: quas & vendere, & quidquid liberet, cum eis facere possit.

Alcoranum.

Porro de Alchorano suo ita dicit: *Si nos legem hanc nostram super Montem aliquem portaremus, mons ille ob DEI & legis ejus reverentiam sine mora se inclinans illam adoraret.* Tantam præterea eam legem esse, ut neque à Diis neque ab hominibus melior excogitari possit: per illam enim etiam Dæmones salvandos esse.

Saracenorum Oratio.

Ad hæc lex sua tantum quinquies in die orare jubet. Orantes autem ter in terram procumbunt versùs meridiem se statuentes. Qua in re hunc servant modum, ut unus ex oraturis, qui vel ætate vel aliquo insigni præeminet, primus genua figat: post eum reliqui quotquot fuerint secundùm rectæ lineæ tractum itidem faciunt. Porro primus ille, ubi singulos flexisse genua putat, illico prosternitur, post eum secundus, tertius, quartus usque ad extremum. Sicque aliquamdiu cum gemitibus & profundissimis suspiriis prostrati orant. Dumque se primus ille secundò vel erexerit vel rursus prostraverit, cæteri omnes per ordinem, ut eum facere vident, faciunt. Similiter autem postquam id tertiò perfecerint, tunc demum, quasi quod petebant obtinentes, læti simul consurgunt. Verùm antequam orent, quasi in locum vel Baptismi vel Confessionis, aquis se mersant. Inde & ante singulas

A. Muschkeas hujusmodi lavacra habent. Si verò in deserto loco fuerint, loco aquæ terrâ aut pulvere corpus aspergunt, hoc ipsum ad emundationem peccatorum sufficere putantes. Porro oratio eorum non est aliud, nisi quòd fateantur DEUM esse, fuisse & futurum: & Machometem esse Prophetam à DEO missum & inspiratum.

CAP. VI.

Jejunia.

Jubet præterea lex ejus singulis annis mensem unum jejunare, ita tamen ut interdiu quidem cibis abstineant; noctu

B. verò & usque ad auroræ lucem epulis & incontinentiæ indulgeant. Per singulos quoque annos jubet Domum DEI, quæ est in *Mecha*, visitare: quò convenientes circuire deberent similibus vestibus induti, & lapides per media foramina parietum, tanquàm Diabolum lapidando, jactare. Ipsam enim Domum Abraham pro filiis suis, potissimùm Ismaëlitis orationis causâ dicebat construxisse.

Mecham peregrinatio.

Odium in eos, qui ab Alchorano dissentiunt.

Jubet insuper suis sequacibus, ut fidei suæ adversarios, nisi secum sentiant, persequantur, occidant, vel saltem sibi subditos reddant. Indulsit eis omnis carnis, præterquam suillæ, esum ac morticinia &

C. sanguinem. Et morticinia quidem Camelorum eos comedere sæpius in deserto vidi. Esu verò carnis suillæ abstinent. Cujus esum ideo eis prohibuit, quia suem ex cameli stercore post diluvium natam fabulatur.

Victus.

Matrimonia.

Permittit etiam suis quatuor legitimas ducere uxores, ac eas, prout libuerit, dimittere, aliámque in loco dimissæ subrogare, ita tamen, ut quaternum repudii numerum non excedant. Emptas autem aut jure belli captas tot habere permittit, quot quis vel habere prævalet vel nutrire,

D. illásque & vendere permittit, nisi gravidæ fuerint: tunc enim amplius vendi eas non licet sed donari. Ad hæc permittit agnatas & affines ducere, quò genus eorum propagari & ex duplici conjunctionis jure, amicitia inter eos firmior valeat nutriri & conservari.

Jura, & juramenta.

Cæterùm in Bonis tam mobilibus quàm immobilibus leges tenent Hebræorum testamento veteri conscriptas. Raró jurant, ideoque non nisi honestas & magnæ auctoritatis personas in testes adhibent, quæ sine jure jurando testari possint.

Am-

Interdictio vini. Ampliùs vetat eis usum vini, quoniam ad multa ac varia mala impellit, quòd quoq; si eo uterentur, libertatem ac imperium retinere non possent.

Paradisus Machumed. Promittit eis insuper paradisum quendam voluptatis, ubi sub amœnissimis consedentes arboribus, nec frigus patientur nec æstum, sed, quidquid optaverint, ibi è vestigio consecuturi sunt. Vestiendos præterea vestibus sericeis & mollissimis & coloris omnigeni. Porrò Angelos DEI tanquam pincernas & œnophilos vina eis suavissima affatim ministraturos. Addit pulcherrimarum concubitus fœminarum, lectos delicatissimos, & cuncti generis delitias habituros. Transgressores verò legis suæ ac adversarios contra illis æternè passuros.

Machometis mendacia, & delira de Deo, Christo & Maria V. Porrò Machometes tantum sibi ipse tribuit, ut etiam audeat mentiri, Christum de se prophetâsse his verbis ferè. *Annuntio vobis de nuntio DEI, qui post me venturus est, cujus nomen est Machometes: quod scriptum est ab æterno in conspectu throni DEI ad dexteram ejus.* Ad hæc David ac psalterium ejus summis effert laudibus. Itidem facit & de Prophetis cæteris, præcipuè tamen Moysem commendat. Christum tamen eo majorem, se autem omnium dicit maximum. Dicit præterea Christianos Evangelium, Judæos verò legem Moysi corrupisse, tantúmque in utroque veritatis esse, quantum in Alchorano suo continetur. Fatetur etiam se in armorum virtute, Christum verò in miraculorum potentia à DEO missum.

Quid autem de Christo, de Maria Matre ejus, de Evangelio ac etiam de se ipso sentiat, ex Alchorano decerptum audiamus.

Dicit nempe DEUM, JEsum & Mariam hominibus miraculum fecisse. Et alibi: *Verbum DEI Christus JEsus Mariæ filius, à Creatore Mundi missus est: ut esset gentium omnium facies in hoc sæculo atque futuro.* Idem alibi fatetur, Christum DEI virtutem, verbum, sapientiam, animam, flatum ex corde DEI, afflatu quodam divino ex Maria semper Virgine generatum, suscitâsse mortuos, cæcos visu vestitisse, aliáque multa miracula fecisse: fuisse verò cunctis Hebræorum Prophetis excellentiorem, nullúmque Judæos post Christum habituros prophetam. Et JEsum quidem omnibus viris & A. Prophetis: Mariam verò cunctis anteponit mulieribus.

Inducit etiam in Alchorano suo DEum ita loquentem: *Mariæ mulierum omnium optimæ & à nullo unquam viro tactæ nostram insufflavimus animam; illam ac filium suum JEsum Christum manifestum posuimus miraculum.* Addit Corpus JESU incorruptum cœlos ascendisse. Christianos Judæis longè anteponit. Nam si quis Judæus fidem suam amplecti vellet, non priùs admittitur, donec Christiano more baptizatus, tandem fidem abnegans, transfuga nostræ religionis efficiatur. B. Christianos tamen imprudentiæ arguit, quòd Christum DEI Filium probra Crucis mortémque acerbam perpessum putent. Ipse quippe dicit, Judam proditorem, dum Christum Judæi in horto quærerent, in similitudinem Christi mutatum & loco ejus crucifixum fuisse.

CAP. VII.

Stultitia Machometanorum. In hoc verò sectatores ejus multùm desipiunt, quòd, quamvis Christum DEUM, Machometem autem hominem à DEO missum & fateantur & credant, dicunt tamen in extremo judicii die utrumque ante DEUM astare disputaturum, & C. JESUM quidem à Machomete vincendum, sed ad ultimum precibus Machometis rursus DEO reconciliandum. Idem Machometes in Alchorano suo dicit, neque se miracula fecisse neque facturum, plura se ignorare, esse purum hominem tametsi à DEO missum & inspiratum; neque se dare posse veniam peccatorum. Vetuit etiam se adorari; & fatetur præterea esse in libris suis quædam, de quorum veritate possit dubitari. Auctoritatem verò Evangelii liquidissimè fatetur, cùm ipsum lumen directorium ac perfectorium appellet. *Antilogia Alcorani.* D. Multum verò Alchorano suo detraxit, cùm dixit: *Quicunque DEUM verum adorans honestè & justè vixerit, sive Judæus, sive Christianus, sive Saracenus, misericordiam & salutem à DEO consequetur.* Ex his paucis de eo dictis liquet, quàm sibi frequenter fuerit contrarius.

Sectatores ejus creationem mundi, Adæ formationem, ac omnem Hebraicam probant historiam & Christi doctrinam. Exspectant Antichristum, fore hunc pessimum hominem & à Christo occidendum. Corporum resurrectionem, ul-

ultimum judicium, præmia & supplicia fatentur æterna, Christúmque DEO proximum in judicio assessurum.

Hæ sunt paucæ ex multis Machometicæ ineptiæ, quibus tamen vera multa permixta sunt. Tanta nempe virtus est ipsius veritatis, ut eam sæpenumero etiam ab ea extorres, quodammodo inviti proferre & fateri cogantur.

fortè 64.

Interitus Machometis.

Machometes ergo ubi 34. * ætatis suæ annos exegisset, tandem hausto veneno miserabiliter obiit. Sunt, qui dicunt, eum ante obitum septem diebus amentem effectum, ventre instar utris inflato indignantem exhalâsse animam. Tradunt præterea Machometem, antequam moreretur, petivisse ab amicis suis ac necessariis, ut ante triduum non humaretur; futurum enim, ut tertio die in cœlum assumeretur. At ubi obiit, non triduum sed toti duodecim dies nequicquam à suis exspectati sunt, ut assumeretur. Postquàm verò nihil, nisi fœtorem experirentur horribilem, ira ingenti perciti nudum eum sub terram intruserunt.

Ejus Sepulchrum à Magnete pendens

Post cujus infelicem mortem sequentes eum, & præcipuè Calipha, qui ei in principatu successit, timentes, ne propter tam ignominiosam & mortem & sepulturam secta noviter cœpta unà cum principatu dissolveretur, extractum vile cadaver in arca Ærea posuerunt, atque illam arcam in templo Magneteis parietibus fulto locaverunt. Atque ita arcula illa, puta ferrea à magnetibus sursum attracta, in medio aëris remansit pendula usque ad annum Domini 1470. Tunc enim grando fulgureus templi illius profani partem unam unà cum arca illa & corpore perdito adeò conquassavit, comminuit & in intima abyssi demersit, ut post hoc nequaquam nec videri nec inveniri possit.

Porrò hujus rei causam hanc tradunt Machometistæ, voluisse scilicet DEUM peccatis hominum ita merentibus totam mundi subvertere machinam: sed Machomete intercedente ac plagam illam in se ac sepulchrum suum converti orante, DEUM placatum sepulchro ejus conquassato, humano generi pepercisse. Illud verò sepulchrum imò & locus sepulchri tantâ apud suos veneratione percolitur, ut magna pars eorum, qui illud viderint, oculos sibi aqua bulliente obcæcent, tanquam nefas sit eos aliquid aliud videre, qui Machometis Mausolæum viderint. Merita certè stultis pœna, ut, qui omnino priùs cæcutiunt, postea etiam oculis capiantur. Et hæc de Machomete pauca ex multis sufficiant.

CAP. VIII.

Die XVII. Januarii cùm nos ex Casa illa ad discessum accingeremus, ecce subitò tonitrua, fulgura, ventorum tempestas horrida, nivium cumuli ac nimbi procellosi consurgunt, cœlum terrámque horrendo fragore quatiunt, nobísque exitum undique præcludunt. Itaque necessitate coacti totum illum diem in casula illa nos continuimus. Excitato denique qualicunque igniculo, quia Sarmenta & virgulta humida abundabant, fumúsque inde consurgens tugurio passim volitabat, afflicti admodum & penè cæcati proni jacebamus, donec mulionis nostri industriâ omne illud fumigans exturbaretur, & lætior ex adustis carbonibus focus extrueretur.

Die XVIII. Inde digressi, pedes iter carpsimus: adeo nempe confragosos colles vallésque nix alta oppleverat, ut vix muli cum impedimentis incedere possent. Cæterùm dum ex montibus illis Antilibani jam descendere cœpissemus, à pluvia jugi ac gelu non exiguo excipimur. Currebant passim (aquæ) cum impetu & murmure, quarum rivi & saxa & arenas secum trahentes, iter nobis non melius efficiebant. Aderat frigus non exiguum, quod & ex aura ipsa & ex vestium madore contraximus. Ad hæc triplicis tunicæ madidum pondus vix nobis portabile fuit. Inter hæc nihil, nisi pati, restabat, spéque vicina meliorum nos consolari. Majori ergo diei parte sic exacta tandem in planitiem descendimus, *Baruthum* intramus, in Venetorum Fontico humaniter excipimur, mutamus vestes, congelata membra foco, lætiorique cibo reficimus. Postridie venit nuntius in Antilibani jugis, in quibus & nos multùm laboravimus, tres homines cum quatuor camelis frigore concretos periisse. Quo audito, gratias DEO egimus, quod tale incommodum, licèt vix, evasissemus.

Baruthum veterum Berytus.

Monasterium S. Salvatoris unde dictum?

De hinc ivimus ad monasteriolum Fratrum ibique Divinis interfuimus, quod *Sancti Salvatoris* nomine ex hac causa manet

manet appellatum. Tempore quo *Beritthus* ista, quæ nunc *Baruthi* dicitur, à Christianis possidebatur, fuit quidam Christianus advena, qui illic mercaturam exercens, cùm ex una domo in aliam migraret, iconem Christi Salvatoris parieti affixam per imprudentiam efferre oblitus est. Contigit autem brevi post tempore Judæum quendam Domum illam ad inhabitandum conducere, qui figuram illam Christi (quia in obscuriore pendebat loco) minimè advertens, Amicum quendam suæ gentis ad epulas invitavit. Hic inter prandendum cùm hinc inde oculos curiosus spargeret, iconem illam advertit, & quasi telo iracundiæ perculsus in hospitem excanduit, quem ex icone illa Christianum putavit. Sed ultionem in melius tempus differre ratus, tunc quidem siluit. Verùm ubi domo exiisset, ad primores Synagogæ concitus venit, rem pandit, atque ut verbis ejus fides habeatur, ipsos eò ducit. Qui postquam rem perspexissent, in hospitem domus ira commoti, quid, inquiunt, Hebræum te simulas, cùm icon hæc Christiana te à nobis alienum arguat? Ille per ignorantiam & casum, se excusare, nec se unquam Christo favisse, nec iconem illic repertam se advertisse contendebat. Sed Judæi excusationem ejus non admittentes, verberatum eum extra Synagogam faciunt.

Judæorum Berytensium in Crucifixi Domini imaginem facinus.

Postea ad imaginem versi: audivimus inquiunt, Majores nostros JESum crucis patibulo affixisse: proinde ne & nos ab eis degenerare videamur, itidem tibi faciemus. Cumque iconem illam priùs spinis coronâssent, atque baculis, caput ejus contudissent, subsequenter ea omnia tormentorum ac opprobriorum genera eidem adhibuerunt, quæ Christus Dominus quondam à suis progenitoribus perpessus est. Ad ultimum cùm illam cruci affixissent, latus ejus crudeli foderunt cuspide: & continuo exivit sanguis copiosus, ut eum nequaquam obruere possent, sed in multis vasculis colligerent. Ad quod Miraculum territi, cùm quid agendum esset, hæsitarent, unus ex eis inquit: videndum est, an, ut Christiani asserunt, sanguis hic Christi Ægritudinibus conferat. Adductis itaque eo plerisque, qui multum temporis in gravissima exegissent invaletudine, cùm sanguine illo peruncti essent, omnes illico pristinæ restituti sunt sanitati.

Crescebat paulatim ejus rei fama ac magis magisque in lucem erumpebat, adeò ut ex tota Civitate magnus languentium numerus eo conflueret & sine mora potiretur optata sanitate. Quare Judæi tam aperta signa videntes, haud amplius morandum rati, omnes unanimiter Episcopum Civitatis adeunt, rem ordine pandunt, petunt veniam & sacri baptismatis undam. Quo obtento Domum illam in Ecclesiam convertunt. Quam, quia ibi salus multis data esset, *Sancti Salvatoris* titulo nominârunt.

Sanguis Domini in Ecclesiis pluribus unde.

Episcopus verò sacrum cruorem in vascula divisum per diversas orbis distribuit Ecclesias: atque ex inde venit, ut multæ ubique hoc titulo dedicentur Ecclesiæ. Et, ùt habetur in Rationali Divinorum, inde mos inolevit, ut Ecclesiæ consecrentur totaliter, cùm primò tantùm Altaria consecrarentur. Etiam Romæ consecrata est Ecclesia in honore Sancti Salvatoris, ubi quædam ampulla de illo Sanguine reservatur & solemne festum agitur.

Porrò, supradicta imago Christi fertur verè à Nicodemo composita, & Gamalieli post hoc tradita. Hanc Gamaliel Zachæo, Zachæus Jacobo, Jacobus supradicto Christiano per successionem quandam tradidisse memoratur.

CAP. IX.

Antrum & draco S.Georgii.

EOdem die cum quibusdam Monasterii fratribus ac negotiatoribus Venetis extra urbem procedentes venimus ad antrum quoddam ingens; quod est ad dexteram euntibus Tripolim penè in via. Ex hoc antro consonâ omnium voce dictum est nobis Sanctum Georgium draconem ingentem interemisse atq; filiam Regis Baruthi liberâsse. Addunt insuper circa hoc antrum haberi indulgentiam septem annorum & totidem carenarum. Quæ assertio an vera sit, multum dubito. Legi nempe in hujus sancti legenda, Historiam hanc Sancti & Draconis in Libya juxta civitatem Lysiam factam. Sed quia illa legenda est & sibimet contraria & apocrypha, ideo super hoc nihil certi asserere audeo, exercitatiori lectori omnia committens. * Ab hoc antro haud procul

ver-

* *In Margine ad præfatum dubium alius Sæc. XVI. scriptor notat sequentia;* tempore illo terra ipsa sic vocabatur; ex hoc oritur confusio in ipsius legenda. Et iterum: Nota non in Libya sed in Lydia civitate à Joppe distante 2. aut 3. Milliaribus.

Ecclesia S. Georgii. versus mare est Ecclesia Sancto Georgio Sacra, in qua etiam fuimus.

Inde per campos amœnissimos deambulantes, vidimus multa oliveta & amygdalos, quæ jam tum florentes terram feracissimam ac salubribus aquis irriguam, & malogranatis, malis pyoicis, musis, ac aliis arboribus, quæ eo tempore pomis erant onustæ, refertissimam ostendebant. Quæ res nobis non modicæ & admirationi & voluptati fuit. *Agri Berytensis fertilitas &c.* Nam, quo tempore apud nos nix alta omnia tegit, fluminaq; gelu constringuntur acuto, sylvæ etiam laborantes vix onus nivium sustinent: hic ver erat purpureum, Rivi dulce sonantes, ac floribus herbisque ornati campi, arbores adeò pomis gravidæ, ut pleræque suo onere procumberent & rumperentur. Quod eo nobis mirabilius erat, quia in conspectu erant undique montes nivibus refulgentes. Hic merito illud Virgilianum dici potuit.

Hic ver purpureum varios hæc flumina circum
Fundit humus flores: hic candida Populus antro
Imminet, & lentæ texunt umbracula vites.

Beryti descriptio. Hæc verò Civitas scilicet Berithus, ùt & amphitheatri ruinæ ostendunt, & Josephus lib. 7. cap. 29. de bello Judaico meminit, Phœniciæ quondam non spernenda Civitas, & Romanorum erat Colonia, ubi Titus post captam Hierosolymam diutiùs commoratus est, magna usus claritate circa Natalem patris sui diem tam spectaculorum magnificentia quàm sumptibus aliis excogitatis. Ubi etiam captivorum multitudo consumpta est: alii bestiis objecti, alii catervatim coacti more hostium inter se depugnare. In hac etiam urbe, ùt idem refert, Rex Agrippa theatrum multa pecunia instructum, animalibus * spectaculum condonavit. Frumenta namque populo copiosa & oleum opulenter exhibuit & omnem pariter civitatem statuarum pulchritudine & antiquorum imaginibus exornavit: & penè omne decus regium illic migravit. Strabo autem lib. 16. Berithum à Tryphone dirutam, sed post à Romanis instauratam tradit.

Fuit hic olim Christiana fide florente sedes Episcopalis; hodie verò plùs pago

A. quàm Civitati similis est. Multæ ibi vetustatis extant ruinæ; multæ etiam & variæ advehuntur & exportantur merces. Musi illic in tanta crescunt copia, ut inde multa circumiacentia loca deferantur, videlicet Tripolim, Damascum, Damiatam & usque in Alexandriam Ægypti.

Sunt verò Musi fructus colore fabis non dissimiles & figurâ, nisi quod multò fiunt grandiores, gustu sapidissimo, odore admodùm & suavi & salubri; & quasi similem cum melle saporem habentes. *Arbor & fructus Musarum.* Crescunt botratim, id est, plures in uno botro, aliquando decem, plerumque B. viginti, nonnunquam etiam supra. Ubicunque & quotiescunque inciduntur, in utraque parte incisa Crucifixi effigiem clarè ostendunt. Ferunt eam arborem esse lignum scientiæ boni & mali, de qua Dominus vetuit Adam sumere Genes. 2. atque ideo pleriq; eam, *arborem Adæ* nominant. *Arbor Adæ.* Folia ejus decempedalis longitudinis latitudinis verò palmi & semis crescunt, in quibus ante usum papyri veteres traduntur scriptitâsse. Nam & tales folia ejus lineas habent, quales in papyro fieri videmus.

Rupes S. Barbaræ. Haud procul à Civitate est scopulus in mari adeo præruptus, ut vix vel scala vel C. fune ascendi possit. In eo ferunt Barbaram Sanctam Sancti Georgii beneficio à Draconis faucibus liberatam mansitâsse, ac simul DEO sibique vacantem exegisse reliquam vitam.

Sarephta Sidonior. Cæterùm tribus ferè à Baruthi milliaribus est Sarephta Sidoniorum: ubi, ùt habetur 3. Regum 17. Elias pauperi mulieri farinam oleúmque miraculosè auxit, nec non & filium à morte suscitavit.

Sidon. Ab inde duobus circiter milliaribus est Sydon, phœnicis quondam egregia ac præpotens Civitas, de qua erat illa Dido Virgiliana, quæ demum insidias fratris fu-D. giens è regione urbis condidit Carthaginem Romani Imperii æmulam acerrimam.

Reversi Berithum complures illic dies exegimus exspectantes ad trajiciendum in Cyprum navigia.

CAP. X.

Die XXIX. Januarii advenit nobis è Tripoli nuntius, referens ibi navem onerari, ac in Cyprum jam jamque trajecturam. Proindè nil morati res nostras colli-

colligatas scaphidio imposuimus; atqueA. demum hospiti nostro valedicentes, ipsi etiam conscendimus scapham. Non enim per terram ire consultum erat propter grassatores, qui pridie duos in via jugulaverant homines. Eô quippe tempore Dominus Baruthi, & Dominus Tripolitanus graves & apertas invicem exercebant inimicitias. Per maris ergo sinum quasi tribus milliaribus remigantes, expositi sumus in terram comitatus Tripolitani circa locum, qui *passus canis* Latinè, apud Saracenos verò *Narrikhelb*, id est, flumen canis dicitur. Arabum quippe linguâ hæc dictio, *Narri*, flumen dicitur & idemB. significat: *Khelb* verò canis dicitur. Dicitur ergo locus ille *passus canis*, quia ibi fluvius quidam mare influens, in ipsis faucibus saxum habet ingens mediâ ferè sui parte aquis superius, quod & formam babet caninam. & propter impetuosam fluminis collisionem, latratus quasi canis edit.

Passus Canis.

In hoc loco erat olim terminus Patriarchatûs Jerosolomytani, & initium Antiocheni: hodie verò est medium inter Dominium Baruthi & Tripolitani; pertinet tamen ad Tripolim.

Limites Patriarchatuum Hierosol. & Antiocheni.

Cùm ergò circa hunc locum essemusC. scaphâ expositi, mulique nostri nondum advenissent, aliquamdiu hinc inde curiositate aliquid videndi ferebamur. Nec nos fefellit spes & opinio. Invenimus quippe ibi supra pontem, qui per flumen illud ducit, saxum quoddam imò rupem solidam: in qua hæc Latinis erant insculpta literis: *Impe. C. Aurelius Antoninus Pius:* & plura sequentia quæ vetustate oblitterata Indictiones significantia colligi non poterant. Et fortassis labor improbus effecisset, ut totum scripturæ istius textum perlegissem. Sed interim advenerunt muli nostri; quo factum est, utD. opus cœptum non perfecerim. Porro ex utraque pontis illius parte extant duo saxa se mutuo aspicientia, tota Arabicis plena literis.

Monumentum Aur. Antonini.

Exinde itaque profecti bonam diei partem circa mare pergendo consumpsimus. Inter eundum autem vidimus plures columnas vetustissimas, quasdam humi jacentes, plerasque adhuc stantes. Inter quas unam vidimus grandiusculam, quæ literis quidem Latinis erat inscripta sed ob vetustatem minimè legibilibus. Post hæc venimus ad flumen quoddam, quod Saraceni *Narri Abrahim*, id est, flumen Abrahæ dicunt, super quod pons quadro lapide structus egregie eminet. De hinc pluvia cogente in casale quoddam opportunè nobis oblatum intravimus; atque ibi inter mulos jacentes pernoctavimus.

Flumen Abrahæ.

Die XXX. Januarii ante solis exortum tribus fermè horis inde levantes, habuimus iter valde molestum. Nam propter viæ scabritiem, quæ nocte opacâ eligi non poterat, sæpenumero unà cum mulis ac toto desuper onère in terram delapsi afflictabamur. Sed tandem solis exorto jubare meliùs habere cœpimus. Venimus deinde ad oppidulum semidirutum, quod hac tempestate *jubiletum*, olim verò *Byblus* seu *Byblium* dicebatur: eratque hic Sedes Episcopalis. De hoc oppidulo habetur Ezechielis 27. *Senes Gibli & prudentes ejus habuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ.* Et, ut Strabo lib. 16. meminit, Byblus olim erat Cinyræ regia, in qua Adonidis erant templa: eam à tyranno oppressam Pompejus liberavit, illo securi percusso.

Byblus urbs Phœnicia, nunc Jubiletum.

Brevi post hæc venimus ad oppidum *Patron*, quod olim *Botros* dicebatur: ante quod in viridi considentes gramine, refectionem & ipsi sumpsimus, & mulis exhibuimus. Erat quondam hoc oppidum divitiis & gloria clarum, vino præcipuo, oleo ac multigenis fructibus abundans: sed hodie exiguum est, muro tamen qualicunque cinctum.

Botros oppid. nunc Patron.

A Botros profecti, quia hactenus circa mare perreximus, in sylvam montuosam intrantes, ac in ea aliquamdiu pergentes, demum montium jugis superatis, rursus ad mare devenimus, ubi viarum malignitate multum afflicti sumus. Tandem cum solis occubitu venimus Tripolim; ad Fonticum Venetorum divertimus, gratè & humaniter excipimur, humaniùs tractamur.

CAP. XI.

Die XXXI. Duce Magistro Alberto Coletho, Physico pro tunc Tripolitano exivimus extra urbem ad situm loci conspiciendum. Et ut id commodius fieret, in collem quendam conscendimus. Vide-

Tripolis.

Videbatur ergo supra urbem non ampliùs tribus milliaribus cantatissimus ille mons Libanus, alto ac nivoso protensus vertice, plenus Cedris, abjetibus, platanis, aliisque nobilibus arboribus. Inde aquarum ille impetus, quem Canticorum Salomonis liber describit, in nostrum mare prorumpit. Immi colles ac loca urbi viciniora, Baccho, Cerere ac Pallade frequentantur. Hic undique loca amœnissima, hìc fluvii perstrepentes, hìc Rivi immurmurantes, ac gelidæ fontium scaturigines: hìc prata in floribus semper, omni verna die. Hìc arborum multijugæ species fericum, bombycem ac fructus ferentes varios; hìc colores varii, odores multifarii ex floribus fructibúsque passim exhalantes: hìc denique tanta undique amœnitas; ut huic loco non immeritò adscribi possit, quod de Alcinoi Regis hortis scribit Homerus, dum dicit:

Libani prospectus.

Agri Tripolitani amœnitas.

Hom. Odyss. H. 10. & seqq.

Punicei pomum grani, malúmque pirúmque.
Hic nemora in Cœlum latè crescentia surgunt,
Et dulces ficus, & magni Palladis arbor.
Non illis borealis hyems, non officit æstas
Torrida: sed placidas Zephyris spirantibus auras
Arboribus totum superat fœtura per annum:
Et pomo inseruere recentia poma priori,
Et nova jam miti. Superadvenit uva racemo.

Porro loca adjacentia dites incolunt populi. Situs hic efficit eam regionem crebris & navigabilibus alveis fluviorum celebrem, ac pervia diversas opes terræ marísque facili commercio permutat & miscet.

Dicitur verò *Tripolis* hoc nomine propter numerum trium Civitatum singulis inter se stadiis distantium: vel, ut Strabo meminit, propter tres urbes, quas habuit, Tyrum scilicet, Sidonem & Aradum. Porro Libani mons altissimus, est sic dictus, quasi *Albus*, eò, quòd tam æstate quàm hyeme perpetuis abundet nivibus. Qui licèt aridus appareat, multis tamen & faberrimis scatet fontibus: Fert cedros, cypressos, olivas, ac gummi, quod olibanum dicunt. Alias præterea & arbores & herbas humano usui babet conducentes. A serpentibus noxiisque animalibus alienus est: & vini optimi quondam ferax erat.

Tripolis nomen. Et Libani.

Die prima Februarii exivimus iterùm ad situm loci & urbis ex alia parte conspiciendum: & occupato quodam editiori tumulo vidimus locum Monasterii, in quo sancta Marina virum simulans fuit, ac deinde maligni Spiritus instinctu, quòd puellam quandam gravidásset, infamata, pluribus annis præ foribus ejus Monasterii quasi criminis rea strictam egit pœnitentiam. Ibi habentur septem anni & totidem Carenæ. Hujus sanctæ Legenda habetur in *Vita SS. Patrum:* Corpus verò ejus Venetiis in Ecclesia sui nominis extructa requiescit.

Monasterium S. Marinæ.

Ex eo præterea loco vidimus portum Civitatis frequentissimum, multas & veterum antiquitates & numismata. Ostendit nobis ibidem Magister Albertus Physicus nummum aureum, illic nuper casu effossum. Habebat verò nummus ille imaginem Maris hastati cum tali inscriptione: *Restitutor Reip. Sp. ff. Aug. d. n. valen.* Iterùm & alios duos nummos æreos; unum Augusti Cæsaris, alterum Romuli & Remi sub uberibus lupæ, nutricis eorum.

Nummi veteres hic reperti.

Post hæc Domum reversi inter prandendum audivimus multa & mira de Zopbi & gestis ejus, deque aliis rebus, quarum per orientem fama & major & crebrior fuit.

Tradebant enim nobis veridica relatione viri & animo & ætate graves, esse vel potiùs fuisse in Arabia in itinere, quod Mecham ducit, Civitatem quandam grandem, in qua, horrendo DEI Judicio, & homines & jumenta insuper & universa utensilia eorum in lapides, singula secundùm formas suas sunt conversa.

Homines in saxa conversi.

Eodem die, penè dum hæc nobis & similia narrabantur, venerunt duo viri Cyprii cum mirabili quadam aqua, pro qua ex Cypro in Persidem missi, multa pertulerant incommoda. Illam verò aquam asserebant ejus esse virtutis, ut si ipsa & vas ejus terram attingeret, continuo evanescens disparerert. Et ob hanc causam semper in ligno bifurcato eam appendere necesse habebant. Valere vim ejus contra cantharides dicebant frugum vasti-

Aqua Persica contra cantharides.

vastitatem & corrosionem facientes. In quocunque loco aut Provincia habeatur, cantharides addebant radicitùs effugari. A quibus vermibus quia cyprus multùm infestatur, in Nicosia, quæ est Cyprinæ Tripolis, in templo quodam solere eam appendi, ac ita demum totam Insulam incommodo Cantharidum liberari. Dicebant insuper se à Duce Cypri pro hac aqua missos, decem aut eo plus menses in itinere exegisse: & initio quidem quatuor fuisse comites, sed postea præ frigoris rigiditate duos ferè consumptos subsequi non potuisse. Hæc nos tunc audita, postmodum in Cypro constituti vera esse cognovimus: & nedum contra cantharides, verùm & contra plerasque ægritudines aquam illam valere didicimus.

CAP. XII.

Die secunda Februarii supervenit mercator quidam Italicus ex Alepo civitate, quæ in confinio Turci & Soldani sita utriusque imperium intersecat. Hic nobis retulit mira ac penè non credenda de Zophi, ostendítque, & tandem vix & pretio & prece victus tradidit nummum ejus argenteum grandiusculum, valentem ferè unum Zeraphum, in quo talis continebatur superscriptio (literæ autem erant Arabicæ) verba hæc in lingua eorum continens, videlicet: *md roshel halla elkal barlihalladhei ana Sultan Zophi.* Quorum Sensus iste est: *Populé meus, ego sum ille verus Sultanus, id est, Princeps, Zophi missus à DEO in exterminium inimicorum meorum.*

Narrabat præter hæc dictus Mercator ipsum Zopbi babere in suo exercitu ultra ducenta millia bellacissimorum hominum, Turco maximè infestum, nuper ei supra quindecim millia hominum trucidâsse, ac præpotentis cujusdam Turcorum Principis, Halididuli nominati, tribus filiis occisis, contra ipsum Turcum maximè properare.

De Zophi, seu Sophi origine, ac progressu. Hali Nepos Machumetis novæ secta auctor.

De bujus ergo Zophi origine & gestis duxi haud absonum, aliquid commemorare, quod vel ab boc mercatore vel ab aliis pro certo tunc referri audivi. Erat Machometi Nepos, Haly nomine, qui etiam Sanctus & Propheta à suis babitus, novam Sectam commentus est. Nam superstitio Machometica in duas & septuaginta Sectas est divisa, ex quibus om-

A. nibus unam solam salvandam putant: sed quæ ea sit, pro certo definitum non habent. Unaquæque tamen Secta se ipsam salvandam deputat, cæteras omnes ex damnandis censet, & præcipuè hoc putat, quæ Secta Zophi appellatur.

Zophi nomen Ischa Ismahel.

Ex hac ergo jam dicti Haly origine, Zophi iste natus perhibetur, qui proprio nomine Ischa Ismabel dicitur. Zophi nempe, ut prædixi, est Secta, quemadmodum erat Arianorum, Manichæorum &c.

Ejus bella & victoria.

Iste igitur Zophi adhuc puer parente est orbatus utroque, atque ex natali solo per Tyrannum, Patris sui interfectorem pul-

B. sus. Qui deinde ubi adolevit, paucâ admodum & tumultuariâ militum manu collecta, civitatem quandam grandem & ditem hosti suo abstulit, & in ea truculentiam suam exercuit. Nam nec sexui nec ætati pepercit, & hac re & regi & finitimis terrorem non parvum incussit. Confluebat tamen ad famam gestorum ejus undique militaris caterva, eorum maximè, qui de sua Secta erant, tum quia fama divulgaverat, omnem eum captæ civitatis prædam militibus concessisse; tum quia vaticibio quodam audierant, ex genere Haly oriturum, qui Sectæ suæ famam &

C. imperium super astra efferret. Itaque Zophi auctus numero militum, & audaciâ in finitimos passim excurrens, omnia igne ferróque vastabat: & plures munitas urbes & arces tum vi tum ingenio capiebat. Sæpe etiam parva manu cum numeroso hoste congressus, victoriam semper reportavit & tropbæa: quo fiebat, ut nedum privatis ac civitatibus, verùm & ipsi adversario suo, Regi Persiæ formidolosus esset ac metuendus. Ipse nempe Rex Persiæ videns hostem indies viribus & animo augeri, veritus pejora, mittit contra eum Ducem militiæ suæ. Ad quæ

Præfectum de Persis relata.

D. Zopbi nil territus ei occurrit, congreditur, vincit. Quo triumpho positus, non jam quasi homo, sed uti DEUS Cœlo delapsus, adorari cæptus est à suis, ab adversariis verò sicut fulgur timeri.

Crudelitas in uxorem & matrem.

At Rex Persiæ, re per Ducem malè gesta, solus numerosiore conflato exercitu, cum Zophi congrediens capitur, ac trucidatur. His actis Zopbi occisi Regis filiam ducit uxorem: quæ demum, quia eum super Patris morte arguere ausa est, manibus ejus similem Patri sortita est necem. Quam crudelitatem dum Mater

ejus propria arguit, pari modo ab eo fertur necata. Tali modo Zopbi invaluisse tradunt, ut jam à toto ferè Oriente honores ei Divini exhibeantur. Ajunt, Eum gratiâ honoris, vel majoris Venerationis in publicum non nisi velata facie, incedere, nullius uti consilio: Cattum quendam in deliciis habere, cujus auspiciis agat omnia. Ad hæc eum porcum magnum Nutrire, & illi in Turcorum contemptum, *Turci* nomen indidisse. Turcos simul & judæos habere exosos; Christianos amplecti. Ut ex quodam Christiano ex Turcorum captivitate ad eum profugo patere potest. Qui dum se Christianum fassus genitali membro probâsset, ab eo & equo donatus est & multis nummis: atque liberè abire permissus Damascum postea venit, & hæc aliáque negotiatoribus Venetis illic demorantibus fideliter retulit. * Ajunt, esse statura mediocri, annorum ferè triginta septem, corpore subcrasso, in libidine satis honestum, omnia tenere cum suis communia, privati ferè nihil habere. Exercitu vallari auro bellicísque armis ornatissimo. Ejus legatio ante modicos dies ad Soldanum Missa Damasci aliquamdiu substitit. Omnes ferunt pileos longos cum duodecim plicationibus, colore rubeis; & ob hoc ab Italis in Oriente degentibus *Bireta rossa*, id est, rubrum biretum & ipse & sui dicuntur. Hæc de Zophi.

Superbia.

Odium in Turcas, Amor in Christianos.

* Cod. tenuit.

Mores, opes, & arma.

Titulus Soldani Ægypti.

Quid verò Soldanus Ægypti de se sentiat, audiamus. Scribens enim Duci Venetiarum his se ornat titulis, quorum mihi exemplar à Consule Tripolitano lectum & donatum est.

Soldanus Maximus Dominator, Nominatus Campssonal gauri Elmelekeletzeraph, eximius, excellens, nobilis, sapiens, justus debellator; Stabilis finium suorum conservator - - - - - Victoriosus Rex Regum, gladius mundi & Fidei, Soldanus & Princeps fidei Machometicæ & Machometistarum, vivificator justitiæ per totum orbem, & quæ habenda hereditario jure possidet regna; Soldanus Arabum, Persiæ & Turciæ: Umbra DEI in terra, observator præceptorum DEI & Prophetarum, & qui hoc tempore est alter Alexander, de quo procedunt multa bona, quia est Dominator sedentium in tribunali & in throno coronatorum; qui est Donator climatum & Provinciarum; perscrutor Rebellium, infidelium, Hereticorum & Paganorum: conservator duorum locorum peregrinationis, Summus Sacerdos duorum templorum sacrorum: qui est congregator & conservator verborum fidei, qui defendit inopes justitia & multis bonis, Dominus Dominantium, hoc tempore Sacerdos, eorúmque quæ possidet, ejus Vicarius, Calyphe, qui est Princeps bene credentium, Pater Vicariorum in Domino, in quo eum DEUS faciat perpetuum, & faciat exercitum ejus & populum victoriosum, & DEUS eum exaltet supra signum seu Planetam Gemini. Iste est Titulus Soldani.

Quid autem rationis isti tot, tanti, ac tam tonantes tituli in se habeant, quidvè sibi velint, etiam cœcus quilibet manu obvoluta potest percipere. *Vos quoque*, ùt ait Horatius, *spectatum admissi risum teneatis amici:* Risum, inquam, imo stomachum, nasum & bilem super tot tantísque ineptiis, mendaciis ac blasphemiis. Et ferret quidem animus singula hic mendacia referre & refellere; Sed brevitati studens ad me ipsum redeo.

CAP. XIII.

Die tertia Februarii itidem, ut & priùs, extra urbem progressi, vidimus in campo urbis totam ferè civitatem effusam, & spectaculis intentam. Eo nempe tempore jam exegerant Saraceni suum jejunium, & festum Pachæ celebrabant, cœtus facientes, ac in equis hinc inde cursim obequitantes. Nobis tamen in illo spectaculo nihil memoratu dignum visum est. Tumulo itaque ibidem arenoso occupato Consul Tripolitanus, quia me novas & vetustas ejus gentis res videbat avidè colligere: tu, inquit, rem stupendam & plus cæteris memoratu dignam nondum audisti. Accipe proinde tem, & à me ipso & ab hoc bono viro (senem sibi astantem monstrabat) sæpius visam. Est inter Baruthum & Tripolim Mons quidam mari adeò imminens & proclivè adjacens, ut non nisi navibus ad id, quod dicturus sum, aditus pateat. In ejus montis radice est antrum latè patens frigidásque aquas evomens: ad quod ubi accesseris, videbis illico manum quandam, vasculum ex ore antri porrigentem. Quod si curiosiùs scrutando accesseris propiùs, evanescit subito omnis illa visio. Si verò rur-

De antro, ex quo ignota manus vasculum porrigit.

rursus te abinde retraxeris, videbis rursùs clarè manum illam cum vase. His Consul addebat neminem posse antrum illud vel conscendere vel intrare : adeò locus præceps est ac difficilis.

Idem in eodem loco nobis retulit rem plûs pœna quàm memoria dignam. Esse scilicet in quodam loco sectam, quæ se Christianam dicit, sed diabolica dicenda est. Nam certo tempore congregati in antris passim commiscentur, aliquando Pater cum filia, filius cum matre, ut quisquis inciderit. Ex quo nefandissimo concubitu femellas quidem reservant, masculos verò singulos singulis annis acubus circumpunctos necant; eorúmq; tandem sanguine sacrificant.

Nefanda secta.

At verò à Tripoli quinque ferme milliaribus est urbs quondam non obscura Marathos, ubi hoc tempore Patriarcha Maronitarum residet. A Tripoli etiam ad Antiochiam octo dierum iter tradunt, quæ Civitas prima olim Petri sedes fuit & Christiani vocabuli sortita.

Marathos urbs.

Antiochia

Post hæc navi conducta voluimus statim in Cyprum trajicere; sed ventus nobis contrarius in mora fuit. Insuper & Patronus navis nos retardavit, quem Princeps Tripolitanus, ob nescio quas leves causas, bis carceri intrusit, & pecuniâ mulctatum non paucâ, vix ad preces Venetorum negotiatorum emisit.

Die Sexta Februarii, Divino invocato auxilio, navim intravimus, ac eodem vespere ventis Vela salubribus implentes versùs Cyprum solvimus.

Invenimus verò in Navi Patronum quendam, qui naufragium cum suis fecerat. Erat ipse è Patria Chios, quæ sola ex omnibus mundi Insulis Masticen gignit. Hujus insulæ Genuenses ita potiuntur, ut singulis annis duodecim aureorum nummorum millia pendant. Nempè, quòd, quando Turci Insulam hanc incolunt, Mastix nequaquam crescat.

Chios Insula, ubi Mastix præsente Turcanon provenit.

Oneraverat Patronus ille navim variis mercibus, ac è Damiata, quæ olim *Heliopoleos* dicta est, navigare intendebat. Dumq; in die Sancti Antonii vela fecisset, ad cæcum quendam scopulum ventorum violentia impulsus navem fregit : quæ in plerisque locis aperta & rimosa, multùm in se aquæ accepit, quæ eam profundiùs demersam triduo inter scopulos detinuit, Patronúmque simul & eos, qui cum eo erant, frigore omnino consumpsisset, nisi DEUS eis aliter providisset. Nam supervenit interea præruptus quidam aquæ Mons, qui in navim jam satis ante hiantem irruens, totam dissoluit ac cum omni onere fundis immersit æquoreis, hominibus tamen salvis præter unum, quem natare parantem rapidus vorat æquore vortex. Inde miseri illi paucas admodum, quæ mari superfluitabant, reliquias colligunt, ac læti pro salute sua, ubi Tripolim intraverunt, spoliati sunt per Dominum Civitatis omni eo, quod eis reliquum fuerat, vixque etiam ipsi evaserunt vincula & carceres. Et miserabile erat videre senem illum in cana barba, pedibus invalidum, ære ac bonis omnibus excussum, qui quondam alios pretio vehere solebat, nunc navigio portari alieno.

Lugubre naufragavis exemplum.

Die octava Februarii, hora penè diei tertia *Cyprum* attigimus, ac in portum *Salinæ* intravimus, multósq; in eo loco dies consumpsimus propter causas certas. Hæc Civitas olim *Salamina* dicta est ex tali eventu. Est Salamina Insula quædam in Euboico mari contra Athenas sita, urbem retinens sui nominis in qua Telamon Ajacis & Teucri pater regnavit. Sed cùm reverteretur Teucer ex bello Trojano, nec se de inimicis Ajacis ultus fuisset à Patre pulsus Cyprum petrexit, ibique hunc urbem ex nomine patriæ condidit. De quo Horatius primo libro carminum :

Cypro inf.

Salamina Salina.

Nil desperandum Duce Teucro & Auspice Teucro.
- - - certus enim promisit Apollo;
Ambiguam tellure nova Salamina futuram.

In hac urbe, ut habetur Act. 13. Paulus & Barnabas prædicârunt verbum DEI, ibique demùm Barnabas Martyrio vitam finivit.

Est circa eam lacus ingens Salis optimi; qui Solis excoctus ardoribus in salem optimum coagulatur, qui deinde Syriam, Græciam, Italiam atque alias in partes transportatus ultra trecenta millia aureorum, Venetorum conflat dominio.

Lacus Salis.

Circa portum Salaminæ est Ecclesia, in cujus una parte Græci in altera verò celebrant Latini. Haud procul ab inde circa mare sub quodam colle extant ruinæ Amphitheatrales. Juxta hoc, antrum est saxis

Antiqua monumenta Salamina.

saxis pyramidalibus desuper stratum, ac circa ea multæ vetustatis saxa ingentia, inter quæ vidi unam columnam marmoris candidi cum tali Scriptura * - - Cætera obliterata.

** deest in Cod.*

In conspectu Salaminæ est mons quidam altissimus aut editissimus, quem causa devotionis XVIII. die Februarii conscendimus. Est enim ibi Crux quædam lignea, ad formam & quantitatem Crucis Dominicæ formata, & itidem plures reliquiæ.

Post hoc, me valetudine laborante, Comites mei profecti sunt Nicosiam, quæ nunc est Cypri metropolis: ac Famagustam urbem Maritimam olim Cypri primariam.

* *Auctor hoc in loco desinit Diarium more suo conscribere, vel quia in Cypro pluribus diebus ob causas, quas non exprimit, remanserunt: vel quia morbo præpeditus, cum sociis Nicosiam & Famegustam ire non potuit.*

** Nota. P. Leopoldi Wydemani.*

CAP. XIV.

Die Tertia Martii quia navis nostra in alio Insulæ loco, frumento erat oneranda, rebus omnibus in navi dimissis, itinere pedestri eò perreximus, tum relaxandi animi gratia, tùm etiam Insulæ explorandæ causa. Venimúsque prosperè sequenti die ad Lymison, quondam Nimosiam dictam, hospitati apud Vicarium Episcopalem. Et quoniam die Quinto Martii, qui erat Dominicus Quinquagesimæ, nondum navis advenerat, Divinis ibi interfuimus officiis. Est enim ibi Episcopatus unus ex quatuor Cypri episcopatibus. Primus enim est in *Leucosia* quæ hodie *Nicosia* dicitur; secundus *Famagustæ*: Tertius in Papho, Quartus in Lymison, qui Episcopatus singuli sunt duplices, ita ut in unoquoque eorum sit & Græcus & Latinus Episcopus.

Lymison Nimosia Urbs Episc. in Cypro.

Eodem die Quinto Martii post meridiem venit navis nostra. Raptim itaque comparamus commeatum, navem conscendimus. Inde mox solventes cùm vix ad unum Milliare Navigaremus, contrario vento adorti sub quodam Insulæ promontorio jactamus anchoras, ibique totos dies carnisprivii, intermissione saltûs, Choreas sed valde insuaves facientes, murmur ventorum & procellas maris pro tibicine & Cythara habuimus.

Inter hæc venit ad nos navis una Rhodiorum, pyraticam exercens, quæ navim nostram cùm explorâsset, quid vel cujus merces veheret, & omnia Christianorum esse didicisset, remis aliquibus, quibus egebat, nobis ablatis in sua discessit.

Die VIII. Circa meridiem cessante illa tempestate, vela fecimus, ac in altum aliquatenus progressi præter navigavimus Collosum vicum Cypri, Zuchari abundantiâ Nobilem. Similiter & Piscopiam Civitatem, quam Rex quidam Angliæ in ultionem stupri sororis suæ, quàm ibi Jerosolymam petens dimiserat, funditùs fastavit.

Collossus Urbs. Piscopia ab Anglis deleta.

Die X. Venimus *Paphum*. Hæc nobilissima Civitas Cypri olim metropolis, Veneris fuit Regia: hodiè ut omnes ferè Cypri Civitates, admodum lacera est & desolata. Fecit hoc, ùt ait Divus Hieronymus, frequens terræ motus. Ostenditur tamen & hodie ex ruinarum vestigiis, quid olim fuerit.

Paphus.

Extat ibi hactenus carcer Sancti Pauli. Qui, ùt habetur Act. 13. Sergium proconsulem, virum prudentem ibidem ad fidem convertit, ac Judæum quendam sibi adversantem lumine privavit, quem tamen ad prædicti proconsulis preces rursùs sanavit. Qui Judæus malitia obduratus, demum Salaminam veniens, seditionem ac tumultum in Barnabam excitavit, eúmque crudeliter cum complicibus necavit.

Carcer S. Pauli Ap.

A Papho, secundo Milliari habitavit aliquamdiu ignotus, mirabilis ille mirabilium patrator virtutum, Sanctus Hilarion, ùt habetur in vita.

Habitatio S. Hilarionis.

In Papho, ùt in tota ferè Cypro, aër non admodum est salubris, licèt passim Majoranæ, hyssopi aliarúmque saluciferarum herbarum exuberet copia.

Hanc Civitatem Paphus Pigmaleonis ex Eburnea filius exstructam ac de suo nomine vocatam Veneri consecravit. Qui etiam in ea templum amplissimum ædificavit, ad quod, ùt quidam volunt, dùm Helena ex Græcia appulisset, à Paride rapta, Trojanæ urbis excidium fuit. Sunt tamen, qui hoc ipsum in Cythera Insula, cujus libro primo memini factum dicant. Super Paphum est in colle hortus Veneris, in quo Juno, Pallas & Venus de pomo contendisse feruntur.

Paphi conditor Pigmaleon. Hortus Veneris.

Die XI. Ex Papho solventes venimus jam nocte obscura ad pagum nomine *Corsico;* qui in amœnissima quadam valle situs,

Corsico pagus.

situs, prospectum habet versus mare usq; in Ciliciam, quæ hodie *Scandilora* dicitur. Ibi ergo plures consumpsimus dies, donec navis frumento, ac Bombyce oneraretur. Interim verò oblata sunt nobis amygdala, pisa aliíque fructus horni, quæ nobis non modicam & admirationem & oblectationem pepererunt, cogitantibus de frigore, quod eo tempore solet vigere in partibus nostris.

Cypr9 ins.

At verò Cyprus Insula nobilissima, in Carpathio mari sita, in maximo Asiæ sinu, media propè ad ortum occasúmque, se immittens recto jugo, inter Ciliciam Syriámque porrigitur. Inter alias orbis Insulas famosissima veterum divitiis abundans, luxui plurimùm dedita, ob quod veneri sacra scribitur. Ingens ipsa, ùt quæ aliquando nomen regni habuerit. *Cethim* in Scripturis Sacris nominata, fert frugem affatim, bombycem, sericen, oleum, Zucharum, nec Vini alienа est. Hic colles innoxii, valles amœnissimæ, canoro aviculari concentu personantes; hìc tepidi soles ac nemorosæ convalles, herbæ roscidæ, gramina vernantia, prata mollia & ad cubandum accommoda. In tanta tamen fertilitatis amœnitate, & amœnitatis fertilitate, mirum dictu, nec urbium colitur nec pagorum frequentia: sed tanquam sterilis ac deserta, paucis inhabitatur mapalibus. Urbes etiam, præter Nicosiam & Famagustam, nullas habet, quarum prima & magnitudine, & potestatis illic residentis Dominatione celebris habetur. Altera verò tum portu, tum suis munitionibus præcellit.

Ejus opes & ubertas.

Infrequentia.

Nicosia, & Famagusta.

Cypri incolæ Venetorum servi.

Ad hæc omnes Cypri Incolæ, Venetica sunt mancipia. Omnium nempe, quæ ipsis vel ex agricultura, vel aliunde proveniunt, tertiam partem dominio solvunt, sive in frugibus, vino & oleo, sive in pecoribus & qualicunque lucro. Insuper omni septimana tenetur quilibet duos dies, ubicunque fuerit ordinatus, laborare. Si verò aliquem vel laboris proprii occupatio, vel valitudo detinuerit, tot marcellos solvit, quot diebus à labore vacavit. Nihilominus tamen sæpius in anno surgunt tributa, donationes, & alia multa gravamina, quibus miserum vulgus adeò exossatur; ut vix pauperi victui habeat necessaria: & ideo Insulæ hujus commiseratione tactus, illi, dum ibi essem, ex tempore tetrastichon cecini.

Si dolor & lachryma superos contingere possent,
quàm tua desleres regna prolapsa venus!
Insula nempe bonis clara hospitióque Deorum
vix colitur raris nunc pudor! indigenis.

Ut autem tradit Orosius, Cypri spatium in longum tenet millia passuum centum Septuaginta quinque; in latum millia passuum centum viginti quinque. Strabo verò dicit ambitum ejus esse trium millium quadringentorum Viginti stadiorum.

Amplitudo Cypri.

Faciunt de nostris milliarib9 in longum viginti septem milliariaq; in latum octodecim milliaria.

Reliquum tempus cum magno fastidio ibi consumpsimus, donec navis justum onus implesset.

CAP. XV.

Die XXVIII. Martii ventum lenem nacti, vix Sole exorto, ex Cypro solvimus: ac tenuiter navigantes otio & solatio indulsimus. Habuimus autem in navi duos arietes Indicos, utrumque cornua quatuor habentem, duo directè in fronte oblonga & recta, mox recta extremitate recurva & quasi coeuntia, rursumque ab invicem recedentia & in acie obtusa & quasi globosa. Tale fuit Diadema Soldani & Papæ ejus, quem in Cayro superiùs vidimus. Reliqua autem duo cornua arietum illorum erant circa aures, tota plana & recta, & primis duobus multo breviora.

Arietis Indici cornua.

Die XXIX. Tanta fuit maris undique tranquillitas usque ad vesperum, ut mare videretur immobile, & quasi pavimento plano persimile. Eo die plures aviculæ, quæ plùs justò à terra evolaverant, pennis fortè defatigatis in malo navis & antennis consederunt, quas nocte adveniente Naucierus comprehensas, naulum solvere coëgit. Inter eas fuit una dicta *Cotala*, colore candido, anseri par, quæ in sublime volitans visûs acumine mare metitur, ac minutiores pisciculos in superioribus vagantes uncis rapit pedibus. Et est hæc ejus esca, hoc juge exercitium.

Cotala avis.

Die XXX. Ac sequenti pertransivimus in maxima atque optatissima auræ serenitate sinum, sive Golphum satalia, qui etiam Golphus Sanctæ Helenæ dicitur. Hìc siquidem Sancta Helena Constantini mater, dum ex Jerosolymis

Sinus Satalia seu S. Helenæ navigantib9 fere insidiosus.

 Con-

Constantinopolim peteret, gravidissimá- A. que quateretur tempestate, Clavum, unum, quo Christi pedes benedicti erant confixi, in fundum maris projecit, ac protinus tunc procella omnis atque tuo or conquievit. Hunc Golphum etiam exercitatissimi nautæ non solùm navigare, sed etiam de eo loqui & audire formidant, atq; contremiscunt.

Die prima Aprilis contrario vento laboravimus. Die verò secunda, quæ tunc fuit Dominica *Lætare*, in conspectu castelli Rhodii, quod Rhodianis attinet, in scopulo quodam alto & præcipiti, dum cornua velatarum obvertimus antenna- B. rum, ventus fortissimus contra nos exortus, velum majus à summo ad imum per medium discidit. Tunc in horrendo mortis constituti periculo trepidamus & tremimus. Aliquando nempe tollimur in cœlum curvato gurgite, & iterum aliquando subductâ ad manes imos descendimus undâ. Hi summo influctu pendent; his unda dehiscens terram inter fluctus aperit: furit æstus arenis. Clamores undique tolluntur & ploratus, hinc quidem desperantium, illic verò adhortantium. Tunc vota, tunc gemitus, tunc preces funduntur in auras: C. tunc terram diximus terque quaterque beatam. In hac necessitate omnes simul ad velum per aëra temerè volitans concurrimus, quod jam famulacerum in navem tandem vix detraximus: atque illicò aliud velum, quod de industria sub malo jacebat, ereximus: sicque rursus navi in Gubernaculo receptâ, quasi de morte ad vitam reducti, respiravimus gratias DEO agentes. Sed & ventus ille sævus jam pacabatur; & Rhodus Insula econtra se attollens nos spe meliori reficiebat.

Insula & Urbs Rhodus.

Die tertia Aprilis ante portum Rho- D. dium obviam habuimus navem Rhodiorum, eundem in Turciam ad prædandum. Quæ nobis retulit, ante dies octo, quinque Turcorum navigia, quæ Fustæ vulgo dicuntur, sub prædicto castello Rhodiorum consixisse, sed Rhodiorum virtute repulsa, etiam pudorem & damnum reportâsse. Brevi post hoc in portum Claræ Rhodos delati sumus, anchoras jecimus, vela complicavimus. Egressi de hinc navi intravimus urbem munitionibus & rebus gestis clarissimam. Hanc Ægypti Soldanus, hanc ipse Turcus, ambo rebus gestis & potentia magni, ambo Christianæ fidei hostes acerrimi, sæpenumero obsidentes, evertere summis viribus conati sunt, ingenti conatu & formidabili apparatu id annixi (DEO suis favente) plus detrimenti accipientes, quàm ipsi eis intulissent, novissimè liberam dimittere coacti sunt, à qua indies multa patiuntur damna.

Sæpius sed frustra à Saracenis tentata.

Hæc Insula, teste Pomponio Mela lib. 2. est Lyciæ Provinciæ & prima Cycladum venientibus ab Oriente: in qua Rosæ capulum dicitur à nonnullis fuisse inventum, dum urbis fundamenta foderentur, à qua & Insula & Civitas nomen sortita putatur. *Rhodos* enim Græcè, rosa est Latinè.

Earundem situs & nominis origo.

In hac urbe præter cætera in admiratione fuit Colossus solis, quem, ùt ait Plinius, fecerat Clares Lydius. Lysippi Discipulus, qui septuaginta cubitorum altitudinis fuit. Pauci pollicem ejus amplecti potuerunt: majores enim erant digiti, quàm pleræque statuæ. Vasti specus hiabant defractis membris; spectabantur intus magnæ molis saxa, quorum pondere stabilierat opus. Duodecim annis tradunt effectum trecentis talentis, quæ contulerant ex apparatu Regis Demetrii relicto.

Colossus Solis.

Hic Colossus inter præclarissima septem orbis miracula meritò annumeratus, Rhodios fecit vocari *Colossenses*, ad quos extat Epistola B. Pauli Apostoli scripta. Ejus ambitus complectitur noningenta viginti stadia. Dicta est ab olim *ophirosa*, deinde *stadia*, postea *Cethim*; eò quòd Chelindes eam incoluerint. De ea Solinus sic dicit: *Nunquam ita cœlum nubilum est, ut insulæ Rhodos non sit Sol: & ideo olim soli fuit consecrata.* Ejus incolæ hac tempestate in turribus morantur metu pyratarum; frumentum omne ac reliqua victualia Rhodum convehunt, in fossas subterraneas ad id egregiè apparatas componunt, inde cùm res tulerit velut ex privato penu recepturi. At si quandoq; hostes se Insulæ infuderint, ex turribus, quas per singulos pagos inhabitant, igne signum datur ac sic in brevissimo momento tota noscit insula, quo concurrendum quidve agendum immineat.

Inde Rhodii dicti Colossenses.

CAP. VI.

CAP. XVI.

Rhodi munitio.

URbs ipsa triplici fossa cingitur, quam & ipsæ amplitudine & profunditate mirum in modum præcellunt. Murus verò fortissimus, & omni armatura, præsertim verò bombardis & aliis missilibus refertissimus, quamlibet fossam egregiè dividit * ac tutatur. Munimenta, turres atque antemuralia talia sunt, ut ferrea videantur & manibus fabricata Cyclopum.

** Fortè defendit.*

Rhodiorum perpetua bella cum vicinis barbaris.

Incolis Rhodi cum infidelibus nulla pax, nulla fœdera, nulla pacta commercia, sed continuum nunc cum turcis finitimis, nunc cum Mauris, Africis, Ægyptiis, & reliquis à fide vera alienis bellum. Et hoc quidem anno, paulò ante appulsum nostrum unica navis Rhodia, quamvis & sui magnitudine & militum numero longè impar, congressa est cum una grandis magnitudinis nave, quæ quingentis Afris & ducentis Judæis onerata erat, quam post cruentum & longum conflictum tandem vicit, cepit, spoliavit, ac in portum Rhodi captivam duxit. Qua re comperta, Soldanus è vestigio suum oratorem misit Rhodum (quem & nos eo tempore vidimus) precibus primùm, de hinc minis expostulans, ut navem cum captivis, cúmque bonis eorum missos faciant. Sed magnus Rhodiorum Magister nec precibus motus, nec minis territus, nihil horum, quæ postulabantur, fecit. Imò Regis turcici fratrem & primores ejus, quos navi ceperat, vinculis & custodiæ tradidit: reliquum vulgus ad fossata urbis excudenda atque ad alia necessaria deputavit.

Philermo castellum.

Die septima, remorante nos navi, profecti sumus ad Philermo, ibique Divinis interfuimus officiis. Est verò Philermo, quinto à Rhodo milliari, collis altissimus, & super eo templum Beatæ Mariæ Virgini dicatum, ubi multa & magna crebrescunt miracula. Erat ibi quondam Civitas magna & munita, hodie modicum castellum, satis tamen communitum.

Mons Rhodi altissimus.

Exindè versùs austrum videtur mons quidam, qui sua altitudine non solùm hujus insulæ, sed etiam aliarum regionum adjacentium montibus & videtur & asseritur esse altissimus. Ex quo monte tradunt, post diluvium Columbam à Noë emissam, ramum olivæ sibi ad arcam attulisse.

A. In portu Rhodio sunt tredecim magnæ turres, molendina aërea continentes, à Januensibus captivis in pœnam proditionis & communis utilitatis bonum constructæ.

Regia M. Magistri Johannitarum.

In Castro Rhodiorum residet Magnus Magister Johannitarum, plures sub se habens adjacentes insulas, præcipuè tamen castrum quoddam in ora Turcorum situm, quod ad sanctum Petrum dicitur, ubi multos canes, mirum dictu, edoctos habent, qui in hostilem terram noctu emissi excurrunt, & si quem invenerint infidelium, continuò invadunt & plerumque

Canes in Turcas grassari docti.

B. discerpunt: Christianos verò solo olfactu cognoscunt, eisque ad castrum prædictum & viam & munimen præbent. Illud quoque de eisdem canibus traditur, quòd ad soni um campanæ sine mora conveniant, atque cibo accepto quasi exploratores ad sibi injunctum negotium discedunt. Multi apud Turcos Christiani captivi hoc scientes, versùs hoc castrum noctu aufugiunt, atque à canibus excepti ad suos deducuntur. Nam & eo tempore ego vidi unum ex partibus Russiæ tali modo evasisse.

C. Ejusdem diei vesperi, sumpta refectione commeatúque comparato navem conscendimus, atque sine mora inde solventes, navigavimus inter Insulam & continentem leni admodum vento.

Die octava velificavimus inter sparsas per æquor Cycladas cum maximo & pyratarum & maris fluctivagi timore & periculo. Jugiter enim nocte & die excubavimus, semper in armis parati, si res tulisset, sine mora confligere.

Cyclades insulæ maris Ægæi.

Portò Cyclades insulæ, ùt dicit Solinus, in mari Ægæo sitæ, quòd nunc *Archipelagus* dicitur, ideo sic dicuntur, quia in morem *Cycli*, hoc est, rotundi dispo-

D. nuntur. Sunt autem Quinquaginta quatuor, omnes inter Ægæum & Malæum mare constitutæ, in quarum medio est *Delos*, quæ & *Ortygia* à coturnicibus ibi primùm visis. Hæc etiam dicta est *Pyrpile* ab igne illic primùm reperto: à quibusdam præterea *Asteria*, ab aliis *Cynthia*. Unde & Cynthius Apollo, & Diana Cynthia. Ex Cycladibus prima est ad ortum Rhodos, prima ad austrum Carpathos, prima ad septentrionem Tenedos, prima ad occidentem Cythera. At verò mare Ægæum navigantibus adeo periculosum

Delos.

losum est, ùt nullum aliud mare esse creditur, quòd majores afferat motus neque periculosiores, nisi quid magis ab alto imminerer.

Creta. Die nona Aprilis ex Cycladibus gratia DEI eruti, venimus in conspectum *Cretæ* juxta Salmonem, quod promontorium *Salmon. Urbs.* Pomponius mela *Samonium* appellat: ubi, quia tunc placidum ventis stabat mare, nihil ferè & vento & remis nitendo profecimus.

Die sequenti Nauclerus noster, digito in os merso atque in aëra extento, dum ventos captâsset, eosque continuo salubres affuturos prædixisset, venerunt quidem, sed admodùm lenes & pigri, ut eorum flatu nihil ageretur.

CAP. XVII.

Die XI. Cretam appulsi, portum intramus, amicos salutamus: atque ibi nonnullos commorati dies vidimus inter alia echinorum capturam. Sunt autem *Echini*, ùt ait Plinius, genus parvorum piscium hirsutorum ex cancrorum genere, semipedales magnitudine, virtutis admirandæ, ita ut navis, cui adhæret echinus, licèt plenis velis per mare decurrat, & cunctæ maris procellæ desæviant, se quasi radicatam & immobilem firmet. De quo etiam Lucanus libro sexto

Non puppim retinens Euro tendente rudentes
In medius Echinus aquis.

Modus capiendi Echinos ad Cretam Ins. Capiuntur autem tali modo: Nudant se nandi peritiores, ac nudos cultros manu gestantes, gradiuntur pedetentim per littus saxis asperum, cui libenter echini adhærent, simúlque visu fundum maris scrutantes, pedibus etiam, ubi visus non attingit, pertentant. Quos ubi vel visu, quia nigri sunt, vel pedibus, quia spinosi sunt, apprehenderint, capite sub aquam merso, pedibus interim supra aquam eminent, & una manu se sustinentes, altera, qua cultrum tenent, echinum à petra evellunt, atque in superna elatum in comitantem sibi sportulam conjiciunt. Eduntur verò crudi, sola aquositate effusa.

Die XXII. Aprilis, quæ fuit eo anno Vigilia Paschæ, ex Chio Insulæ triste malum & novum accepimus; tres scilicet fustas sive Myoparones Rhodiorum à Tur-

A. cis interceptas, comprehensas & necatas.

Ante hunc verò diem, id est, in die Parasceves, vidimus quoddam tale spectaculum. Erant in comitatu trecenti ferè Latini pariter & Græci, qui ante festa Paschæ faciem totúmque corpus velabant, solo dorso excepto. Hi per omnes plateas obeuntes, flagris acutissimis dorsa cædebant, adeo, ut per flagella, vestis, tota caro ac platearum solum cruore manaret. *Flagellantium pompa.* Fertur verò quosdam inter eos fuisse, qui id genus flagellationis in recompensam passionis Christi sponte subirent.

B. Majorem tamen partem fuisse dicunt eorum, qui idipsum pretio ab aliis conducti facerent & paterentur. Moris enim esse Senioribus terræ illius, ut, cùm ipsi aut præ senio, aut præ valetudine corpus suum acerbiùs tractare non prævalent, alios, qui id loco eorum agant, subordinent. Itaque videas plures ephebos amore pecuniæ corpus suum quasi truncum aut statuam sine sensu sæviendo ferire, ictus sonare, saniem profluere ac omnia cruore fœdari. Quid enim non mortalia pectora cogit auri sacra fames? Ad hoc spectaculum civitas tota effusa, adulti & pue-

C. ri, mares ac fœminæ per intervalla acclamitant; Latini quidem *misericordia, misericordia*, Græci ἐλέησον, ἐλέησον ingeminantes. Quæ res commiserationis plena erat, ut nemo, nisi ferrea habuisset pectora, se à lachrymis continere potuisset.

Die XXIV. melius priori audivimus novum; Galeam scilicet unam Rhodiam, septem Turcas fustas, quæ nuper suos ceperant & necaverant, versâ fortunâ comprehendisse, & captivos quidem aliquot, prædam verò omnem recuperâsse. Ob quam victoriam supplicatio per totam

D. insulam decreta est.

Die XXV. quæ fuit sancti Marci, conducto quodam navigio, quod cyprum vocant, ex portu Candiæ solvimus. Vixque quatuor milliaribus in altum progressi sumus, cùm ecce vacuum ventis sterit mare, ita ut nec regredi omnino daretur. Adfuerunt hujus mali ostensa, pisces Delphini jactu lapidis à navigio se volutantes. Qui insuper nostrorum cantu ac sibilo propiùs navem allecti, visibiliores se nobis præbuerunt.

Est verò Delphinus piscis, vel potiùs maris *Delphinorum natura.*

maris bellua, omnium non modò mari- A. norum sed etiam terrestrium animalium velocissima, penè volucrem æquans, & nisi multum infra rostrum os illi foret medio ferè in ventre, nullus piscium celeritatem ejus evaderet. Sed affert morram providentia naturæ, quia nihil, nisi resupini, corripiunt. Lingua est illis contra naturam aquatilium mobilis, pro voce gemitus humani similis: dorsum repandum habent ac spinas dorsi cultellatas, rostrum & suum: unde & nomen * Simonis agnoscere dicuntur. Mulcentur arte musica, præsertim Symphoniæ cantu; hominem non expavescit, obviam B. navigiis venit, ùt de Arione Cytharædo tradunt historiæ. Puerorum amore ducitur, id quod Appion se vidisse apud Puteolos scribit. Idem tradit & Theophrastus.

** Fortè leg. sui nominis. Locus corrupt.*

CAP. XVIII.

Delphini tempestatum nuntii.

SEd horum piscium infausta visio ac penè nobis exitialis fuit. Observatum quippe nautæ habent, in quam se partem Delphini voluntant, ex ea ventum tempestatémque orituram, & non nisi mari tranquillo aut in tranquillum vergente eos se volutare. Dum itaque paca- C. to mari aliquamdiu laboraremus (quemadmodùm sæpè contingit, ut mutatio in melius, malorum soleat esse principium) ecce violentus turbo ventusque increvit contrarius; simul & fluctus intumuerunt: atque caligo cuncta complevit, ut nec iter progredi, nec velum demittere possemus. Cum vento igitur conversi actam relegimus viam. Pavor tunc non modicus, mortisque formido cunctos invaserat. Navicula enim utpote exigua, velut temulenta saltans, plerumque in fluctibus inferior erat. Nonnunquam imbrem marisque procellas D. recipiens, tota ferè nobiscum operiebatur, in momento iterum enatans. Sæpenumero etiam fluctibus super eam jam jamque irruere volentibus, quasi & ipsa periculum timeret, festina evasit. Et de aliis quidem quid tunc ageretur, nescio: de me verò possum dicere quod.

Fugerat ore color, sanguisque reliquerat artus

Aruerat gelido corpore laxa cutis.

Nunquam me certè nec terrâ nec mari, major formido tenuit, quàm tunc, cùm semianimis, quomodo in aqua moriendum esset, revolverem, aut cujus piscis vel belluæ intestina replerem. Omnia certè membra mea horrore tremebant. Et licet vir fortis esse anniterer, mortémque non timendam mihi persuadebam, prævalebat tamen, multóque fortior erat imminentis periculi necessitas, quàm mea imperiosa voluntas. Sed quia misericordiæ multæ Domini, omnis illa procella tempestatis tandem conticuit. Quô factum est, ut in sinum quendam Candiæ angustum, cui nomen est *Fraschlia*, confugeremus, ibique jactis anchoris pernoctavimus, ventis ac imbribus tota nocte exagitati.

Fraschlia Candiæ portus.

Die XXVI. Sole jam exorto, quia ventus contrarius iterum surgebat, & propè esset urbs Candia, rursùs in portum ejus cum ingenti turbine & pluvia impulsi sumus. Cæterùm non obliti, in quali fueramus terrore & periculo, data parte nauli Patrono, ei valedíximus, res è navicula extulimus, antiquum hospitium intravimus; DEO omnipotenti, sine mora Ecclesiam intrantes, gratias egimus. Post hæc cum una grandi nave, inito pacto Venetias nos trajiciendi, tam diu Cretæ commorati sumus, donec navis justum onus impleret. Interim verò multis nobilibus & Venetis & Græcis familiares effecti, jucundè satis & honestè inter eos habiti sumus.

Miseria Nautarum.

Nunc autem quoniam ex multo jam tempore rem nauticam vel gustavi, vel potiùs perculi, libet de illa aliquantulum perscribere, ut intelligatur non esse duriorem ullam, quàm nautarum sortem. Quod unicuique facilè persuadebo, si is animadvertat, quos æstus & frigora eos tolerare, quæ perhorrescere tonitrua & fulgura, quibus perfundi imbribus, qua ventorum rabie agitari quotidie ac ferè in horas necesse sit. Si cognoscat, quoties squallore etiam deterrimo consumi contingat. Si attendat habitationem eorum instar carceris, supellectilem vel nullam vel sordidissimam, strata dura, cibaria aspera & ad quæ ferreis dentibus opus est, potum immundissimum, indumenta spurca, incommoditatem omnium rerum, noctes insomnes sub divo semper & inquietas. Taceo perpetuum quoddam eorum exilium, patriæ extorres, profugos, vagos, pallantes, ignaros quietis, privatos omni

omni (quo nihil est in vita dulcius) conjugis sobolisque fructu ac jucunditate. Quis non abjectissimos longéque omniū mortalium miserrimos tales judicabit? Prætereo Scyllam, Charybdim, Syrtes, Malæam, Symplegadas, tot infesta navigantibus maris pericula. Omitto tempestates, quibus nec visum est quidquam tristius, nec horribilius: quibus & ad summum usque discrimen quotidie jactantur, quatiuntúrque, &, quod sæpè accidit, submersi tandem obruuntur. I nunc & ventis animam committe secundis, dolato confisus ligno, ac digitis semotus à morte quatuor aut quinque.

Quod tamen non eò dixerim, quò navigandum ad loca illa Sanctissima dissuadeam. Quos, licèt dicta incommoda contingere possint, non tamen omnia, nec semper, nec pari cum nautis præmio. Illi enim, ut ventri, qui DEUS est talium, satisfiat, se æternùm ejusmodi carceri contradunt. Hi verò ob animarum salutem suarum, & grati erga Redemptorem suum temporaneæ se & spontaneæ subjiciunt molestiæ, quæ quò est difficilior, eò est laudabilior & magis meritoria. Generosum quippe animum difficultas erigit, alit labor. Illic maximè nititur, & id pluris æstimat, ubi resistentiæ plùs invenerit. Sed eò id intuli, ut intelligatur humanæ cupiditatis stulta & supervacanea occupatio, qui terrâ non contenti, fragili exiguóque ligno pretiosam audent committere animam. Ut enim & olim gigantes contra DEUM, ita isti contra fluctus virésque naturæ pugnare videntur, laboriosum hominum genus corpori plus quàm animæ inservientium. Et hæc quidem de vita nautica: quam licèt modò damnaverim, cogor tamen eandem rursus perpati, non immemor cujusdam nautæ, qui, cùm rogaretur, ubinam Pater ejus obiisset? In mari, inquit. Cúmque ille idem de Avo, Proavo, Atavo nominatim quæsiisset, responsúmque idem de singulis accepisset, intulit: & nunquid tu mare, inquit, ingredi non times? Respondit nauta dissimulans: & ubinam tuus obiit Pater? suo, ait alter, in lectulo. Ubi Avus? Inquit: & ipse, & Proavus, & majores mei omnes in suis lectis obierunt. Tùm nauta: nùm tu, inquit, non times tuum lectum ascendere?

Cæterùm de Candia, superiori libro

A satis me dixisse memini: quibus tamen adhuc adjicio. Tradunt hanc insulam pecore abundantem; lupis, vulpibus, serpentibus ac cæteris noxiis carere animalibus, & si quod fortè aliunde talium illuc illatum sit, continuò mori; morsus tamen ac lacerationes unguibus muliebribus factas, lethales omnino esse & sine remedio. *Candia noxiis animalibus libera.*

In hac etiàm Insula sanctus Andreas, antequam in Achaiam iret, prædicavit. Post Eum Beatus Paulus, qui in ea Discipulum suum Titum, illic Episcopum ordinavit, qui ibidem requiescit in Ecclesia

B sui Nominis.

CAP. XIX.

Die XXIII. Maij postquam navis nostra debitum onus accepisset, ventusque ad vela vocaretur, DEI omnipotentis maximè invocato nomine, provehimur portu, explicatis omnibus velis, quæ vento leni impleta, paulatim navim promovebant. Sed qui ventis credit, ventis ipse levior est. Ecce enim contrarius turbo statim exortus, à proposito itinere nos deflectens, in angulum Candiæ Fraschlia dictum (ubi & priorem tempestatem de-

C clinavimus) etiam renitentes impulit, ubi velis complicatis jactísque anchoris substitimus biduo, ventum secundum exspectantes.

Interim duæ Venetorum galeæ armatæ, simili fortuna actæ, ad nos divertentes, retulerunt, Turcos cum triginta diversi generis navigiis, quæ bombardis, scalis, aliisque ad capiendas expugnandásque urbes aptis instrumentis plenæ fuerant, à Rhodis interceptos: cujus rei nuntium & literas Duci Candiæ allatas se vidisse dicebant.

D Die XXVI. ventum lenem nacti exinde surreximus, ac non justo quidem itinere, sed prout ventus flabat, æquor sulcantes, has ad dexteram præterlapsi insulas sumus: *Neamphoras*, à qua marmor Parium dicitur, *Policandrum*, promontorium Tervi, *Naxum*, ubi Homerus sepultus est, *Milocibeli*, saceam *Falcanariam*, plurésque alias & insulas & scopolos, de quorum nominibus mihi non constat. *Neamphoras Inf. Policandrum. Naxus Milocibeli, Falcanaria &c.*

Die XXIX. opportunè ad *Bella Pala* appulsi, cùm vix anchoras jecissemus, ac in demittendis complicandísque velis occupa- *Bella Pala.*

cuparemur, venit ecce turbo ingens tempestásque horrida, quæ mare à fundo excire videbatur fluctúsque ad instar plumarum, altiùs attollens & per aëra circumagens, stridorem rudentûm antennarúmque edebat horribilem, quòd sub insula positi fuissemus. Et hæc fuit illa dies, in qua, ùt post * hæc dicetur, Candia Civitas crudeli terræ motu ex parte magna quassata corruit.

** Cap. 21.*

Die XXX. Cum vento aliquantò secundo inde progressi, ante oculos habuimus *Peloponesum*, quæ nunc *Morea* dicitur. Præterivimus etiam Castellum quoddam Venetorum, nomine *Neapolim de Romania.*

Peloponesus, Morea. Neapolis de Romania.

Die XXXI. Circa *Malphasiam* navigantes, maris tranquillitate laboravimus. Est verò Malphasia Castellum Venetorum, unde vites primùm in Cretam transplantatæ vinum ferunt, quòd *Malvasium* dicunt. Distat Malvasia à Neapoli de Romania quinquaginta ferè milliaribus. Et hæc sola duo Castella in tota Morea Veneti ægrè retinent, Turco reliqua occupante. Sed quoniam Morea * ante suo loco descripta est, repetitione non eget. Solùm hoc addiderim, quod Lacedæmonia, dudum oculus Græciæ, sita sit inter promontorium Maleæ & Malphasiam versus mare Ægæum. *Corinthus* verò, quam Horatius bimarem dicit, respectat Mare Jonium ac Ægæum. Huic vicina est Patras Civitas; ubi Sanctus Andreas Martyrio est coronatus. In Morea etiam olim Argos & Michenæ insignes erant urbes.

*Malphasia. Vinũ Malphasium. * Lib. 2. c. 3. Lacedæmonia. Corinthus. Patras.*

Die primâ Junii venimus ad *promontorium Maleæ*, & illud quidem à dextris: Cytheram autem, quæ contra Maleam emissa est, ad lævam habuimus. Erat tunc mare tranquillum, quod Nautæ vulgo *Bonaza* dicunt. Misimus itaq; Scaphâ cum viris in Insulam Cytheram, quæ, commeatu comparato, attulit etiam secum Corvos duos, capras tres, item & aquam & ligna. Quæ omnia, nescio, an pretio, an prædatione conquisiverit. Statim quippe, ut in navem hæc venerunt, ventus contrarius surgens multùm nos frustra laborantes fatigavit. Sæpè enim altum petentes, aciémque promontorii Metaphono evadere volentes, vi ventorum repulsi sub scopulos fugiebamus. Sed neque illic propter periculum consistere audentes, rursum in altum secedebamus: atque nunc transversè, nunc obliquè, nunc cum vento, nunc contra ventum navem dirigentes, tempus frustra trivimus. Est quippe periculosa semper & suspecta navigatio. Quam ob rem etiam locus hic, unus ex periculis maris nominatur.

Malea promontorium. Cythera Ins.

Porro Maleæ (quod vulgus Chaomaliæ dicit) teste Servio, est Laconiæ promontorium, quod per quinquaginta milliaria in mare protenditur: ubi unda adeò sæva est, ut persequi navigantes videatur, dicente Statio.

Malea Navigationibus adversa.

Et rauca circumsonat ira Maleæ.

Assumpsit nomen à Maleo Argivorum Rege, qui super portu sumptuosissimum Apollini templum construxit, quod Maleoticum dixit. In cujus templi ruinis hoc tempore Sacellum in honorem Sancti Michaëlis Archangeli erectum extat. Qua ex re v.ntis inde vergentibus nautæ dicunt Sanctum Michaëlem, quia alatus pingitur, alas suas quatere, ex quarum motu vehementi consurgant venti. Ideoque præter navigantes Sanctum Michaëlem orant, ut interim alas quiete contineat. Et sanè nonnunquam contigit, ut navigantes hinc exire bimestri ac trimestri spatio laborent, antequam hoc promontorium evadant. Nos tamen ex speciali DEI gratia illud satis quietè prætérlapsi sumus; quò magis etiam laboravimus, ne iterum retroacti cum eo multùm pugnare cogeremur.

Ejus conditor Maleus. S. Michaëlis alæ.

CAP. XX.

Die Quarta Junii adjuti vento Africo promontoria multa (quibus Peloponesus quasi fibris inciditur) tandem superavimus. Dehinc *Coronam* Moreæ urbem præterlegentes, perdicem unam illic amisimus. Hæc perdix ex Corona in Candiam advecta fuit & ibi per nos comparata: quæ postquàm huc ventum est, ex incuria nostra navi evolat, patriam, ùt credo, olfaciens, quam tamen non attigit: nam mox fluctu absorpta est. Eodem die circa occasum præternavigavimus Modonam & Lepontum, urbes Peloponnesi.

Corona. Modona.

Die Quinta manè præterivimus Insulas Strophades, quæ vulgò stripholi dicuntur. Hæ insulæ, teste Plinio lib. Quarto natur. histor. & Virgilio tertio Æneidos, in mari Jonio ante Cephaloniam positæ, priùs *Plotæ* dictæ, postea *Strophades*, ob hanc causam: Phyneus Rex fuit

Strophades Striphols Ins.

Arcadiæ. Hic suis liberis superduxit novercam, cujus instinctu eos cæcavit. Ob quam rem irati Dii oculos ei sustulerunt; & adhibuerunt Harpyias. Quæ cùm ei diu cibos abriperent, Jasonem cum argonautis propter vellus aureum Colchos petentem suscepit hospitio, cui etiam dedit ductorem. Hoc ergo beneficio illecti argonutæ Zethum & Calaim, filios Boreæ & Orithyiæ, alatos juvenes, ad pellendas Harpyias miserunt. Quas cùm strictis gladiis persequerentur, pulsæ illæ de Arcadia, pervenerunt ad Insulas, quæ vocabantur *Plotæ*. Et cùm ulteriùs vellent tendere, ab Iride admoniti sunt, ut à Jovis canibus desisterent, & suos converterent volatus. Quorum conversio, id est, *Strophe*, insulis nomen dedit *Strophades*.

De his Virgilius ita cecinit:

Lib. 3. Æneid. 209. & seq.

Strophades Graijo stant nomine dictæ
Insulæ Jonio in magno; quas dira Celæno
Harpyiæq; colunt aliæ: Phineia postquam
Clausa domus, mensásque metu liquére priores.
Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla
Pestis, & ira DEum, stigiis sese extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluvies, uncæq; manus, & pallida semper
Ora fame &c.

Sunt autem insulæ istæ duæ, sibi vicinæ: una major, minor altera. In ista pascua sunt salubria pecori; in illa verò egregium quoddam Græcanicum monasterium.

Zacynthus Ins.

Eodem die tetenderunt vela nostra Noti: &

Virg. Æneid. 3. 269. & seq.

fugimus spumantibus undis,
Quà cursum ventúsque gubernatórque vocabant.
Tum medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos.

Quæ hodie *Alsanto* sive *Alfonso* dicitur, estque parva, sed amœna insula in Græco mari propinqua *Otholiæ*, quæ fortassis hodie *Natolia*, Turciæ pars dicitur. Habet verò Zacynthus unicam sui nominis urbem cum castello munito, alto utrumque

A. loco situm. Unde & Ovidius hanc altam vocat dicens:

Dulichii Samíque & quos tulit alta Zacynthos.

Cùm ergo Zacynthum ex dextro latere præterlabi niteremur, vento adverso immutati & coacti in sinistrum ejus secessimus, ibique jactis anchoris pernoctavimus ventum secundum præstolantes.

Die Sexta priorem passi fortunam sub ipsum fere civitatis portum navem fiximus, missaque Scapha parum victualium habere potuimus.

Tornegi Castellum

Die Septimâ exinde sublatis anchoris B. versùs *Castellum Tornegi* adnavigavimus, ventum inde secundum captare volentes. Qui quoniam non venit, misimus bolidem, fundum maris explorantes. Invenimus viginti quinque passus, unde exhilarati anchoras dejecimus atque navem firmavimus. Tunc etiam Cervam unam, quam ex Cythera nescio quomodo, comparavimus, quia moritura videbatur, mactavimus, atque viritim divisam in epulas sumpsimus. Eo pacto, tempus molestum epulationibus compotationibúsque liberioribus breve nobis faciebamus. Navis quippe tota erat onerata ferè Malvasia. Cæterum Castellum Tornegi in Pelopon-C. nesi altissimo colle situm est, quod Veneti in pacto cujusdam fœderis Turco ignominiosè tradiderunt.

Die Octava rursus ventis prohibentibus, in portum Zacynthi venimus, ubi etiàm multi nostrûm navi exeuntes, in civitatem arcémque ascenderunt, ac aliquantulum victualium attulerunt.

Die Decima solventes inde navigavimus inter Zacynthum & Cephaloniam, quæ sunt multùm vicinæ & ambæ Venetorum ditionis. Ibi navis quædam Cretensis facta est nobis obvia, quæ dum nos amicos cognovisset ex navis & velorum D. dispositione, cœpit nos gratulabunda salutare, vocibus clamosis vexillísque sublatis. Et dum Bombardam grandem unam, minùs cautè loco suo stabilitiam, exoneret, machina illa suo impetu in mare prolapsa, nusquam comparuit. Ita dum nobis vult applaudere, suum damnum incurrit.

Haud mora, post hoc ventus adversus surrexit, qui nos ad lævum Cephaloniæ fugere compulit: & quantum illo die itineris emensi sumus, tantum rursus nocte illâ retroacti perdidimus.

CAP.

CAP. XXI.

Ithaca Ins.

DIe XII. Simili fortuna navigantes, prætergressi sumus Insulam, quam Itali vulgares *vallem de Compare* dicunt, Græci verò Itaki, Latini autem *Ithacam*. Hæc Insula, teste Plinio lib. 4. Natur. histor., ante Leucadem & Achajam posita, cantatissima fuit dominio Ulyssis. In qua Mons est de nomine *Neritos*, à quo & tota Insula *Neritos* appellatur. Unde Virgilius:

Neritos Mons.

Lib. 3. Æneid. 271.

Et Neritos ardua Saxis.

Dulichium.

Propè hanc est alia Insula, *Dulichium* dicta, ab ortu habens Strophades: & ab occasu Ithacam, in qua etiam regnavit Ulysses.

Leucas Ins. S. Maura.

Eodem die etiam præterlapsi sumus Insulam *Leucadem*, in qua est Castellum, *Sancta Maura*, dictum, quod similiter ut Castellum Tornegi, à Venetis in fœdere quodam ferunt Turco traditum. Porro Leucas Insula, teste Pomponio Mela, posita est contra Ambracium, ubi & ejus nominis urbs habetur, quam Augustus *Nicopolim* appellavit victis illic Antonio & Cleopatra. Quæ Insula montem habet altissimum ejusdem nominis. Virgilius:

Lib. 3. Æneid.

Mox & Leucate Nimbosa cacumina montis.

Erat quondam Leucas continenti conjuncta, ut ostendit Ovidius XV. Metamorphoseos, cùm ait:

Leucada continuam veteres habuêre coloni;
Nunc freta circumeunt.

Nam, ut ego à quodam græco ejus Insulæ indigena audivi, exiguus canalis est, & duarum vix galearum simul capax per transversum, qui Leucadam à continenti secludit.

Tunc etiam præterivimus promontorium quoddam Acarnaniæ, quæ hodie Ducatus dicitur.

Paxos Ins.

Die XIII. Præterlapsi sumus Paxum & Antipaxum Insulas, & modicas, & solo notas nomine.

Corcyra Phaacia & Corfu.

Dehinc venimus in conspectum *Corcyræ*, cujus etiam quandam aciem brevi apprehendimus. Sed ibidem propter tranquillitatem maris pernoctare compulsi sumus, jactis anchoris velisque demissis.

Die XIV. Mane appulimus *Corcyram*, quæ & *Phæacia* olim dicta, nunc verò *Corphuntum*. Fixa nave urbem intravimus, ac diuturnam cibi famem deli-

A. catioribus epulis indulgendo depulimus. Ibi ego ex piscium esu gravem febrem contraxi, sed eandem biduanâ affectam & afflictam medicinâ tandem recedere coëgi.

Die XV. Nobis Corcyræ demorantibus supervenit navicula, quæ *Brigantina* dicitur, triste novum ferens. Præfectum utriusque maris Venetorum (cùm jam verè officio suo functus esset, ac illud resignaturus venetias peteret) cum duabus magnis galeis, una nave ac aliis quindecim diversi generis navigiis, tempestate obrutum, atque submersum, & ex tan-

B. to numero ægrè sex homines evasisse, reliquos omnes circiter tria millia desideratos nusquam comparuisse. Et id verum fuisse postmodum Venetiis constitui didicimus.

Candia terræmotu ferè subruta.

Die XVI. Ut sunt res humanæ semper fluidæ & caducæ, supervenit rursus alia Brigantina cum alio non magis Jucundo Novo: Candiam scilicet Civitatem ad 29. diem Maji ferè totam horrendo terræ motu corruisse; Domos plurimas & sacras & privatas vel corruisse funditus, vel scissas & disruptas habitationi hominum factas suspectas: Ultra sexcentos homines

C. oppressos, inter quos & esse Cancellarium, virum humanissimum & de nobis optimè meritum, compluresque alios nobis notos, & Nobiles & plebejos. Sed non solùm Candia hunc terræ motum sensit, verùm & Scitia ejusdem insulæ Civitas, ubi & Castellum & plures domus corruerunt. Imo & per totam ferè insulam castella pagique hanc pernitiem senserunt. Ad hæc alia Insula, quæ Santorini dicitur, per medium ita scissa est, ac in duas insulas effecta, ut non absimile vero credatur, quod de Sicilia Italiaque veteres prodiderunt, quòd scilicet utraque tel-

Santorini ins. eodem motu discissa.

D. lus, olim una fuerit. Unde Virgilius.

Lib. 3. Æneid. 417 & seq.

Una foret; venis medio vi pontus, & undis
Hesperium Siculo latus abscidit, armaq; & urbes
Littore diductas, angusto interluit æstu.

Die XVII. Ut malum malo addi solet, aliud rursus novum, inceptum quidem, sed, laus DEO, non perfectum excepimus de proditore quodam Genuensi. Hic nempe inter Turcos conversatus, linguam morésque eorum perdidicis, ac veneno li-

 vo-

voris succensus, Turcum adiit, & polliceretur, se ei Rhodum sine suorum sanguine traditurum. Credit Turcus, ac ad rem peragendam virum donis ac promissis ingentibus hortatur. Ille sumpto Turci habitu ad Rhodios quasi Turcorum captivus transfugit. Et quia personatus erat, se inter Turci consiliarios fuisse mentiebatur, ac multa Turcorum arcana prodebat simulatè. Tantáque erat ei vis dicendi & suadendi, ut vera dicere putaretur, ac jam inter primos Rhodiorum assumeretur.

Ordinaverat autem apud Turcos, ut sibi viginti vasa cum Caviario, quò multùm Italici utuntur, Rhodum mitterentur, in quorum medio essent gladii, tela, sagittæ & alia diversa arma. Hoc autem eo fine factum, ut, cùm tempore messis populus Civitatis ad frugum messuram exiret, ipse captivos Turcas, Saracenos, Afros & Judæos vinculis liberatos armis illis muniret, ac omni populo urbis trucidato, urbéque occupata, ad Turcum sine mora in vicino præstolantem mitteret.

Rhodus proditione periclitata.

Sed nequam commentum ejus Dominus DEUS in caput ejus convertit. Interim enim alter quidam ex Turcis verè profugus, ad Rhodios veniens, rem clanculum apud Turcos perceptam, Magistro Rhodiorum aperit, ac auctorem sceleris demonstrat, deque captivis indicium facit. Quorum plures ad veritatem extorquendam torti rem fatentur, nec traditor ipse denegat. Tum plures ergo illius conspirationis rei in crucem alii, alii in compedes custodiámque arctiorem traditi sunt. Proditor verò adhuc illic servatur, quia indies exspectantur vasa illa cum armis in Caviario occultatis. Est autem Caviarium cibus quidam seu salsamentum ex piscium intestinis congestum & glutinatum.

Quid Caviarium?

CAP. XXII.

Epirus. Butrotū.

Die XVIII. Qui tunc fuit Sanctæ Trinitatis, ex Corcyra solventes, navigavimus sub scopulo quodam Corcyræ vicino, super quo est tanta arcis cujusdam structura, quantus est ipse scopulus: in quam arcem vel tempore pestis vel laxandi animi gratia, primores Corcyræ secedere solent.

Virg. Lib. 3. Æneid. 291. & seq.

Protinus aërias Phæacum abscondimus arces,
Littoráque Epiri legimus, portúque subimus
Chaonio, & celsam Buteroti ascendimus urbem.

Ubi piscibus ex subterlabenti fluvio, & ovibus aliquot comparatis, nautæ nostri ad nos remeantes propter ventorum intemperiem navem fixerunt. Totum etiam biduum illic substitimus. At verò Epirus (in qua est Butrotus) firma dicitur. Hæc regio priùs Mollesa * dicta est, quæ à Chaone fratre Heleni Chaonia demum dicta est. In ea Mons Dodanæ sylva, & templum Jovis Dodonæi, carminibus poëtarum & Græcorum & Latinorum fuit percelebre, ad quod duæ columbæ dabant responsa è cœlo, quarum altera Delphos Civitatem volavit, & ibi Apollinis Delphici clarius fecit oraculum: altera in Africam ad Jovis Ammonis templum transmeâsse scribitur; qua de re in Chaonia Jovis oraculum terminatum fuit.

** Molossia. Templum Jovis Dodonæi.*

In Epiro itaque est hæc Buterotus, in qua olim post Trojæ excidium regnavit Helenus Priami filius tali modo. Pyrrhus Achillis filius, Trojâ succensâ, Andromachen Hectoris Conjugem, ac Helenum captivos secum duxit, Andromachénque, quasi legitimam habuit, & ex ea Molossum suscepit filium. Postea cùm vellet Hermionem Menelai ex Helena filiam, Oresti jam desponsatam, ducere uxorem, Orestis insidiis in templo Apollinis Delphici occisus est. Verùm moriens præcepit, ut Andromache, quæ apud eum conjugis locum tenuerat, Heleno daretur, propter hoc beneficium, quia eum à navigatione illa prohibuerat. Inde factum est, ut teneret regnum Privigni, qui suum cesserat Patri.

Helenus Priami filius Rex Epiri.

* Est verò urbs illa semilacera sub Venetorum ditione, qui succum ex subditis expressantes, Venetias transferunt.

** Cod. qui succum ignem ex subd. &c.*

Die XXI. Euro leniter flante, exinde sustulimus, venimúsque sub *Casope*, desertum Corcyræ oppidum, olim Epirotarum coloniam. Ibi Missâ scaphâ sive Barcha aquarum, & aquam & agnellos duos lignáque sine mora & faciliter comparavimus. Abinde provecti pelago, ad dexteram habuimus vicina *Ceraunia*, quorum primo libro * memini, unde iter Italiam, cursúsque brevissimus undis. Prætervenimus etiam Insulam *Sasyro* & duas *Merleras*, itemque & *Phanon* plurésque alias.

*Cassiope. * cap. 3. Sasyro, Merlera & Phanos Ins.*

Die

Velana Urbs Albaniæ.

Die XXII. Noto falubriter vela implente, vaftum cava trabe decurrimus æquor, abfcondimúsque tunc nonnullas civitates ad dextrum nobis fitas. Quarum una fuit *Velana* in Albania fita. Hanc Bajazethes, primus ex Turcis, occupavit, rebellantem Amurathes recuperavit. Ex hac Turcus fub Anno Domini MCCCCLXXX. Hydruntum Apuliæ Civitatem cepit, trucidatífque in ea multis mortalibus, folo eam æquavit.

Dyrrachium, Durazzo.

Deinde eft *Dyrrhachium*, quàm vulgus Durazzo vocat. Hæc in Epiro condita eft tempore Antonii Marci, quæ olim *Epidamnos* dicebatur. Nam, ùt ait Pomponius Mela, cùm locus ille portus effet ad omnem Græciam, & priùs ad nomen, velut in damnum ituris portendere videretur, priori nomine, *Epidamnos*, abjecto Durachium dicta fuit. Hanc etiam quidam *Epidaurum* vocant: eftque hodie fub Venetorum imperio.

Scutaris, Zozara. Budua & Cathera oppida Dalmatiæ.

De hinc præterivimus *Scutarim*, quondam *Zozaram* dictam in Albania fitam, quam etiam Veneti in fœdere quodam Turco tradidiffe feruntur. Poft hæc abfcondimus Buduam & Catheram, Dalmaticas Civitates.

Ragufa.

Die XXIII. cùm jam rubefceret ftellis aurora fugatis, præterlabimur Ragufam, Dalmatiæ urbem infigniorem, quæ præ cæteris Dalmatiæ urbibus, & privatis & publicis ædificiis, magnificè eft extructa, habens portum optimum, catenâ claufum. Quæ, cùm fit potens & libera adinftar Reipublicæ Venetorum, adminiftratur per Patritios. Eodem die & fequentibus, duobus præterivimus has Infulas Ragufæorum, videlicet *Calamuta*, infula de medio, *Zupanam* & quasdam alias.

Calamuta & Zupana Inf.

Melita Inf.

Poft hoc fub *Melita* Infula, vi ventorum in portum quendam fubintravimus, atque ibi pifces, ad inftar fcapharum, fe volutantes vidimus. Dumque ibi ex otio & æftu quidam nautæ natarent, adfuit continuo canis marinus, brachia habens alata. Quem cùm adeffe fpeculator ex fummo mali prævident, atque natantibus conclamaret, omnes illico trepidi in navem fe receperunt: Saxa dehinc in canem illum & miffilia jacientes, eum effugaverunt.

Canis Marinus.

Die XXVI. ex portu illo folventes, navigavimus inter prædictam infulam melitam, & inter continentem. Statímque Sole exorto obviam habuimus galeam oneratam peregrinis, in terram fanctam euntibus, quam nec falutare nec alloqui ventus ingens murmúrque pelagi permittebat. Inde ad dexteram anguftæ infulæ cujusdam circa Scopulos Infulæ Corfulæ navim alligavimus.

Caftellum & Infula Corfula.

Die XXVII. navigavimus fub Caftello Corfulæ. Et quia ventus lenis erat, nautæque quidam exinde nati erant, miffâ fcaphâ ad oppidum, & commeatu copiosè comparato cum parentibus & affinibus fuis ad nos redierunt. Eft verò Caftellum ipfum, licet modicum, munitum tamen & peramœnum fub Venetorum ditione, ficut & tota Infula. Populus mixtim, & Italica & Sclavonia utitur lingua.

Inde navigantibus nobis flatu leni fupervenerunt duæ Villanorum fcaphæ, à quibus pifces, pira, ficus virides aliófque varios fructus levi pretio affatim coëmimus.

Lefnia Civitas.

Poft hæc inter Lesniam & prædictam Corfulam navigantes cum maximo nimborum & circajacentium Scopulorum metu in portum *Lefniæ* civitatis appulimus. Nam ante non multos dies Navis una frumento onufta ibi naufragavit.

Die XXVIII. in oppidum exeuntes, Miffam audivimus, & curatis corporibus res etiam noftras imbribus compluta Soli expofuimus. Porrò oppidum ipfum muro quidem caret, arcem verò habet, quam & fitus loci & munitio reddit inexpugnabilem.

Liffa Infula.

In portu Lefniæ tantam in fundo maris vidimus pifcium copiam, quantam in nullo alio loco. In confpectu Lefniæ eft *Liffa* Infula, ubi Sardelli, ac omne genus pifcium tanto capitur numero, ut navigantibus Venetis, Apulis, Genuenfibus, Cretenfibus, Corcyriacis, Cypris & Rhodianis abunde fuppeditet: Traduntq; ex fola pifcium talium datia feu tributo mille trecentos auteos Venetis provenire.

Vefpere ejus diei applicuit in portum Lefniæ una galea armata, portans novum Præfectum maris cum tympanorum tubarumq; fonitu: poft quam & alia huic fimilis cum tribus miroparonibus five fuftis jam nocte obfcura portui eidem fubintravit.

CAP.

CAP. XXIII.

Die XXX. Junii ex portu Lesniæ surgentes præterivimus Insulas, *Bratiam* & *Saltam*: ac deinde vento urgente in portum quendam, qui justè *Sessula* dicitur, intravimus. Est quippe portus ille quasi hemicyclus sive Cathedra formatus, navium statio tutissima, in tantum, ut etiam sine anchoris ibi quieverimus. Distat autem à Spalatro *: verò ad Yaira castrum Ungarorum triduanum iter fertur.

Sessula.

* *deest aliquid.*

Die I. Julii Sessulâ solvimus; ac prætérlapsi scopulum S. Andreæ, venimus in conspectum cujusdam promontorii, quod *Cahocista* dicitur: circa quem locum nautæ ex antiqua & insolita consuetudine invicem, si quæ habent, sibi debita persolvunt. Circa hoc promontorium multi asperi scopuli periculosam navigationé efficiunt.

Scopulus S. Andreæ. *Promontorium Cahocista.*

Die II. III. & IV. Circa initium diei ventis laboravimus contrariis; circa meridiem verò tranquillitate, quam nautæ Bonazam dicunt. Et ob hoc aliquando transversè, cum ventis, aliquando contra ventos nitentes, sæpe etiam remis incumbentes multùm fatigabamur. Ad hæc commeatus & ligna foco defecerant: & Sol admodum urens nos excoquebat; quibus rebus non parum fastidii sustinuimus. Interea C. tamen subnigo Castellū præternavigavim*.

Die V. Cùm ex portu quodam exissemus, vespere ab atro * consurgunt venti, totóq; sonuerunt æthere nimbi. Tunc etiam nobis turbo violentus velum in prora eminens, quod trinileto dicunt, disrupit per medium; quod demum cum labore vix refecimus.

* *f. antro.*

Die VI. Similem passi maris instabilitatem *Osseram* præterivimus: vidimus etiam è regione Osseræ *Montana Ancona*: Eodem die Patronus navis, Nauelerus, ac major nautarum pars, furioso vino succensi, in arma vicissim surrexerunt; alii alios per D. capillos distrahentes, aliqui saxis de alto navis alios jactantes, quidam etiam gladiis cominus congressi, crura manúsq; sociorum transfodiebant, navim interim in periculo dimittentes. Demum ubi satis sibi factum visum est, nautæ nave in gubernacula receptâ *Polam* Histriæ urbem celeriter abscondimus.

Ossera. *Montana Ancona.* *Pola.*

Rubinum Die VII. Jul. applicavimus *Rubinum*, oppidum Historiæ; ubi nequaquam ultra Habriæ * illi navi fidentes, soluto naulo rebusque nostris transpositis propriam Scapham conduximus.

Die VIII. quia cœli facies prosperitatem pollicebatur, conscendimus Scapham, quam & velis & remis agentes, prosperè celeriterq; Venetiis adnavigavimus, ita ut circa horam vesperarum speculator ex

*

A. malo Urbis templorum cacumina se videre uobis acclamaret. Nos ad exoptatam urbem advenientes (cùm nauseæ maximè finis futurus erat) cum gaudio ingenti clamare cœpimus ac ingeminare *Venetias, Venetias*; atq; in laudem Dei laxatis vocibus cum jubilo cecinimus cæteros hymnos & sequentias. Quibus crescentibus, sole verò decrescente jamque sub undas tandem merso, intravimus desideratam urbem, ubi à familiaribus conterraneisq; nostris affectuosissimè excepti, noctis illius majorem partem cum eis colloquendo transegimus. Nam non satis erat eis semel audisse, sed pendentes ab ore narrantium, nunc de gestis, nunc de prosperis, visisque & auditis nos percunctabantur.

Postridie grati erga Deum omnipotentem ac erga suam illibatam genitricem, quorum ductu & auspiciis tot pelagi terræque pericula eviciſſemus, in- B. travimus Ecclesiam, vota solvimus, in futurum nos denique recommendavimus.

Die XXVI. Julii supervenit Jacobus Dodeschinus negotiator Venetus, cum quo unâ galeâ Alexandriam usq; vecti amicitias contraxeramus. Is retulit nobis Candiam rursus terræ motum passam ad nonam diem Julii, & quod prior ille terræ motus omisit, hoc iste secundus funditus quassavit, turrem illam præcelsam, quæ portum muniebat & ornabat, plurimaq; alia ædificia dejecta, Capitâneum hominem gravem cum pluribus nobilibus interiisse. Ad hæc de insulæ Santorini divisione supra memorata nobis disseruit.

Prædixerat hoc malum frater quidam de Observantia Sancti Francisci, græcè ad populum Candianū concionando, nisi videlicet vitam emendarent, eo anno ipsos notabiliter puniendos.

Die XXIX. Jul. Ex Venetiis versus patrios lares trajicientes, primò Margeam *, ubi in conductitiis equis, quos matres vocant, venimus tarvisium: ibique equis comparatis socii mei iverunt equestres; egò verò, quia equitare non potui, in equis maternis, paternisq;, duobus pedibus equites illos ferè omni die præveni.

* *f. Marchiam.*

Ivimus verò primò per Velitras, quod oppidum vulgo Feltres dicitur. Hinc per tridentum, Bolsanum, Brixinam, Oenipontem, Hallas, Schwatz, Rottenburg, ac tandem in dulcem patriolam *Kuefstain*, quod oppidulum, tametsi perexiguum est, tamen & peramœnum & munitissimum esse non dubitatur. Ibi à tota civitate humanissimè excepti, & quasi triumphales honorati, ante omnia Omnipotenti ac benignissimo Deo, ejusque Virgini Matri, ac Sanctis omnibus, præcipuè tamen trilaureatæ Catharinæ, gratias egimus viribus totis.

Kuefstain

Conclusio Operis.

Quia verò omne trinum dicitur perfectum, & juxta Poëtam. *Numero Deus impare gaudet*; sicut in primi & secundi libelli calce Lectorem pium ad benedicendum Deum cohortatus sum: itidem & in hoc tertio libello hortor & obsecro, ut pro his laboribus, proque omnibus aliis beneficiis nobis largiter impensis decantet in cordis orisque jubilo mecum, & cum omni Creatura in cœlo. & in terra, & in mari, & dicat: Benedictum sit millesies mille millies dulce nomen Domini nostri JEsu Christi, & laudabile nomen gloriosæ Virginis Mariæ, Matris ejus dignissimæ, in æternum & ultra.

Versus. Nos cum prole pia benedic pia Virgo Maria. Amen.

F I N I S.

INDEX HISTORICUS IN TOMUM II. THESAURI ANECDOTORUM NOVISSIMI.

Primus numerus partem hujus Tomi: secundus columnam partis: littera Alphabetica segmentum columnæ innuit.

A.

B.

C.

 S. Christ

Kilia

L.

M.

N.

O.

F.

R.

S.

T.

U.

W.

INDEX
TOPOGRAPHICUS
IN SECUNDUM TOMUM
THESAURI ANECDOTORUM
NOVISSIMI.

INDEX
MORALIS
TOMI II.
THESAURI ANECDOTORUM NOVISSIMI.

D.

E.

F.

G.

H.

Homo

I.

L.

M.

N.

O.

P.

Finis Secundi Tomi Thesauri Anecdotorum Novissimi.